

ASCETICON

SIVE

ORIGINUM REI MONASTICÆ

LIBRI DECEM.

Auctore ANTONIO DADINO ALTESERRA, *V. J. Professore, & Decano Universitatis Tolosanæ.*








PARISIIS,
Apud LUDOVICUM BILLAINE, in Palatio Regio.

M. DC. LXXIV.
CUM PRIVILEGIO REGIS.







ILLUSTRISSIMO VIRO D.

GUILLELMO

DE LAMOIGNON,

SENATUS PRINCIPI.



NON *alienum est*, PRINCEPS SENATVS ILLVSTRISSIME, *rei Monasticæ opus tibi inscribi. Principatus quem tenes, non præfectura & sæcularis militia apud te est, sed magis sacerdotium & asceticum institutum. Laudamus & miramur Sacerdotes & Monachos, qui jugi-*

bus officiis intenti cœlestem vitam ducunt in terris. quanto mirabilius Magistratum in foro Sacerdotem implere, in strepitu rerum forensium a Dei conspectu non recedere, inter turbas & querelas litium libero cœlo perfrui. Nam si quid indulges amicorum & literatorum conversationi, jucundior non est tibi sermo quam de Deo & rebus piis. Inter hæc, SENATUS PRINCEPS ILLUSTRISSIME, *nihil de Reipublicæ studiis omittis, Regi reddis quod suum est, quæ sunt Dei Deo. Mosis exemplo perpetuus apud Principem pro populo intercessor existis, & salvo regiæ Majestatis obsequio, plebis solatio quasi Tutor fidelis, & Parens bonus, amanter*

& considerate consulis. Inter bellicos tumultus & regios triumphos auditur vox orantis Commodum Publicum; & Principi placet sinceri prudentisque affectus officium. Celebris fama de his universam Galliam personat. Hæc ego qua inlætus & exiliens audio: ac ne populari lætitiæ desim, hoc studii & obsequii in te mei monumentum dico & addico,

CELSITUDINI TUÆ

Tolosæ 27. Martii 1673.

Obsequentissimus & devotissimus
ANT. DADINUS ALTESERRA,
U. J. Professor, & Decanus
Universitatis Tolosanæ.

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

INDEX CAPITUM.



LIBER SECUNDUS.



LIBER TERTIUS.

LIBER QUARTUS.

LIBER QUINTUS.

LIBER SEXTUS.

LIBER SEPTIMUS.



LIBER OCTAVUS.

LIBER NONUS.

LIBER DECIMUS.



SUMMA PRIVILEGII
REGIS CHRISTIANISSIMI.

CAUTUM est auctoritate Regis, ne quis in ipsius regno, aliisve locis ejus ditioni subjectis, intra annos decem a die publicationis exemplarium numerandos, librum, qui sic inscribitur: *Asceticon, sive Originum rei Monasticæ Libri decem*, absque ANTONII DADINI ALTESERRÆ, U. J. Professoris, & Decani Universitatis Tolosanæ, permissu excudat, aut vendat: qui secus fecerit, mulcta ei indicta, prout amplius in ipso diplomate regio continetur, dato Versaliis, die 15. mensis Decembris anni 1674. & signato de mandato Regis, DE HAUDESENS.

Prima editio absoluta fuit die 6. Septembris anni 1674.

ASCETI-



ASCETICΩN
SIVE
ORIGINUM REI MONASTICÆ
LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.



AM olim miratus singularem Dei providentiam in disponendis variis ordinibus Ecclesiæ, & instituendis Monachis in opem & subsidium Ecclesiæ; & memoria sæpius recolens, quibus & quam parvis initiis Monachi ex Ægypti finibus in vniversum orbem sese effuderint, & ex eremo transierint in vrbes & oppida, & provincias vniversas occuparint, ita vt eremus videretur sese commiscuisse Ecclesiæ; mirabilem abstinentiam, & cæteras virtutes Monachorum cogitans, quæ tantæ erant, vt in carne angeli viderentur: delectatus etiam lectione Patrum tum

Græcorum, cum Latinorum, maxime Hieronymi, Theodoriti, Palladii, Ruffini, Severi Sulpitii, Gregorii M. Jo. Moſchi, & aliorum, qui de vitis Aſcetarum eleganter & ſumma fide ſcripſere; alle&tus etiam crebris hac de re ſermonibus reverendi Patris & avunculi mei Nicolai Albaſpinæ, viri piiſſimi & eruditiſſimi, Ordinis D. Franciſci, & Exprovincialis provinciæ Toloſanæ, quem maximo ſtudiorum damno infelici & immaturo funere raptum fere adoleſcens amiſi; conſilium cepi, quod nunc adjuvante Domino aggredior, Aſcetica ſeu Origines rei monaſticæ tradere: ad hæc invitatus quoque deſiderio & hortatu amicorum & familiarium, qui hoc operis a Profeſſore vtriuſque Juris non alienum duxere, cum Juriſprudentia ſit, Juris divini & humani ſcientia, & quod pertinet ad Regulares ſit pulcherrima pars Juris canonici. Tu, Lector, propoſitum grato & benevolo animo ſuſcipe, & ſi juvat, ora pro auctore, vt hoc opus ei proſit ad ſalutem & veniam peccatorum, ſimulque ad laudem & emolumentum Monaſtices.



CAPUT I.

Monastices ætas a temporibus Diocletianæ aut Decianæ persecutionis.

REGNA & Imperia suas habent ætates, parvis crescunt initiis, & latius terminos fundunt: cum excreverint per tempus, durant in suo statu; tandem vergentia in senium dilabuntur. Eadem fere fuit sors monasticæ religionis. Tenuiora fuere ejus exordia in eremo: inde crescente nominis fama, vrbes & provincias pervasit, & ad vltimas oras orbis terrarum penetravit. Verum vt se habent res humanæ, diutius in eo statu non stetit, re recenti incaluit, sed temporis lapsu refrixit: penitus defectura, nisi subinde restituta esset studio & vigilantia Pontificum & Principum, qui religionis observantiam cura sua dignam semper existimarunt. Scripturo igitur de re monastica mihi congruens visum est, primum origines & incrementa Monachismi explorare, ne ignoretur origo rei quæ est totius operis argumentum, & vt efformetur qua par est diligentia, typus religionis, quæ perfecte nosci non potest, nisi noscas ejus origines, incrementa & casus. Ecclesia ab Apostolis instituta est in ordine Clericorum, quorum vita ei similis erat, quæ nunc est propria Monachorum. Clerici enim, imo & fideles omnes in commune vivebant, & victus causa sua conferebant, Act. 4. Sed si verum amamus, nondum notum fuit nomen vel institutum Monachorum, & de his nullum vestigium extat apud Scriptores apostolicorum temporum. Quod enim scriptum est ab Hieronymo de Scriptor. eccles. cap. 11. & Cassiano de institut. cœnobior. lib. 2. cap. 5. Sozomen. lib. 1. cap. 13. & aliis, Monachos Ægyptios a B. Marco Evangelista, & primo Alexandrino Episcopo, vivendi formam accepisse: non ita accipiendum est, vt credamus Monachos ab Apostolis exordium sumpsisse; sed potius quasi dictum esset, Monachos exemplo Apostolorum perfectionis evangelicæ studio ardentes, vitæ apostolicæ genus, quod tale erat, vt nihil proprium

haberent, & omnia cum fratribus communia ducerent, restituisse. De cætero enim Monachorum nomen & institutum ignotum fuit longo post Apostolos tempore. Et quod etiam Philo de vita contemplativa scriptum reliquit, de quibusdam viris Ægyptiis, qui vitam colebant fere similem ei, qua vtuntur Monachi, per quos & Monachos depingi voluit Eusebius lib. 2. cap. 12. pertinet tantum ad Christianos, quorum nomen forte dissimulavit Philo, ne homo Judæus videretur probare Christianam religionem, & in se excitaret invidiam & insidias Judæorum, quibus nomen Christi & ejus cultorum sciebat exosum. Nec modo ab Apostolis, sed etiam e veteri Testamento, nimirum ab Elia, Elizeo, Rechabitis, Nazareis & Joanne Baptista stemma suum repetere nituntur, eodem fere ingenio, quo sæculares, dum se commendant de antiquitate generis. Nec carent auctoribus, quos inter Hieronymus ad Paulinum: *Nos autem habeamus propositi nostri principes Paulos & Antonios, Julianos, Hilarionem, Macarios; & vt ad Scripturarum auctoritatem redeam, noster princeps Helias, noster Heliseus, nostri duces filii Prophetarum, qui habitabant in agris & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Jordanis.* Et idem ad Rusticum Monachum: *Filii Prophetarum quos Monachos in veteri Testamento legimus, ædificabant sibi casulas propter fluenta Jordanis, & turbis vrbium derelictis, polenta & herbis agrestibus victitabant.* Et Isidorus de ecclesiasticis officiis lib. 2. cap. 15. *Quantum enim pertinet ad auctoritatem veterum Scripturarum, hujus princeps Elias, & discipulus ejus Elizæus fuerunt, sive alii Prophetæ, qui habitabant in solitudine, vrbibusque relictis faciebant sibi casulas prope fluenta Jordanis. Hujus etiam propositi in Evangelio Joannes Baptista extitit, qui eremum solus incubuit, locusta tantum & agresti melle nutritus.* Sed hæc omnia fuerunt tantum simulacra vitæ monasticæ, nec Monachi Christiani possunt laudare auctores homines veteris Testamenti, quod lege evangelica omnino evacuatum est. Et satis est, si admittamus eos adumbrasse figuram Monachorum, quorum longe perfectius fuit propositum solemnitate & religione voti. Nec Monachorum origo altius repetenda est quam a temporibus Diocletianæ aut Decianæ persecutionis, quæ omnium quæ antecesserant,

cruentissimæ fuere. Per hæc tempora grassante furore persecutionis per vniversum orbem Romanum, infinitus prope numerus fidelium, metu tormentorum, & diffidentia virium suarum secessit in solitudinem, maxime in Ægypto. Tum Paulus Ægyptius secutus consilium evangelicum: *Si vos persecuti fuerint in vna civitate, fugite in aliam*, Matth. 10. recessit in vastam solitudinem, & adjuvante Domino, necessitatem vertit in consilium, & suo exemplo Eremitarum & Monachorum institutum stabilivit. Hieronymus in vita ipsius Pauli init. *Inter multos sæpe dubitatum est, a quo potissimum Monachorum eremus habitari cœpta sit. Quidam enim altius repetentes, a beato Elia & Joanne sumpsere principium, quorum & Elias plus nobis videtur fuisse quam Monachus, & Joannes ante prophetare cœpisse, quam natus: alii autem, in quam opinionem vulgus omne consentit, asserunt Antonium hujus propositi fuisse caput, quod ex parte verum est. non enim tam ipse ante omnes fuit, quam ab eo omnium incitata sunt studia.* Paulus patria Ægyptius sub Decio & Valeriano fugiendæ persecutionis causa secessit in eremum: dum persecutionis finem præstolaretur, necessitatem in voluntatem vertit. Et Joannes Chrysostomus in Acta Apostolorum homilia 24. ὅτι κατὰ τὸν διωγμὸν τὸν παλαιὸν ἦν ἰδεῖν ὄντας χριστιανοὺς ἄνδρας, οἱ μὲν ἐν μνήμασι καὶ τάφοις, οἱ δὲ ἐν ἐρημίαις ἐκρύπτοντο. *In persecutione antiqua licebat videre veros Christianos: alii quidem in sepulcris & monumentis, alii vero in solitudinibus latebant.* Et Sozomenus libri 1. cap. 13. ἄλλοι δὲ φασὶν αἰτίαν ταύτη παραγενεῖν, τοὺς κατὰ καιρὸν τῇ θρησκείᾳ συμβάντας διωγμούς. *Memorant porro alii persecutionum procellas, quibus religio Christiana variis jactabatur temporibus, homines ad hoc vitæ genus suscipiendum impulisse.* Inde receptis animis, ex eremo prodiere Monachi ad lauream martyrii. Per ipsum tempus Diocletianæ persecutionis martyrium passus memoratur Petrus ἀσκητής, seu Monachus Ægyptius, Euseb. lib. 8. cap. 20. Dionysium qui sub Decio martyrium pertulit, Monachum fuisse fertur ex Damaso; sed ejus auctoritas facile corruit eo ipso quod astruit e Monacho electum fuisse Pontificem. Incredibile enim est Pontificem præter canones electum e laico, qualis erat Monachus ea ætate, & Ecclesiam Romanam quæ tot pollebat

Clericis idoneis & peritis, elegisse hominem expertem rerum Ecclesiæ, maxime difficillimis temporibus, debacchante persecutione, in qua Ecclesia indigebat viro præstantiori, qui Ecclesiæ clavum teneret. Proximus a Paulo Antonius, non metu cruciatus, & fuga persecutionis, sed majori cum laude, studio purioris & melioris vitæ, audiens illud Evangelii: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, Matth. 19. rebus distractis & erogatis in pauperes, recessit in eremum, Monachos collegit, Cœnobitas instituit. Athanasius in ipsius vita: ἔπεισε πόλλους αἱρήσασθαι τὸν μονήρη βίον· καὶ οὕτω λοιπὸν γέγονε, καὶ ἐν τοῖς ὄρεσι μοναστήρια, καὶ ἡ ἔρημος ἐπολίσθη ὑπὸ μοναχῶν. *Multos persuasit eligere vitam solitariam; unde illa in montibus monasteria, & eremus in civitatem redactus a Monachis.* Cassianus collat. 18. cap. 6. *Cujus professionis principes sanctos, videlicet Paulum vel Antonium, novimus extitisse, qui non ut quidam pusillanimitatis causa, nec impatientiæ morbo, sed desiderio sublimioris profectus, contemplationisque divinæ, solitudinis secreta sectati sunt, licet prior eorum necessitatis obtentu, dum tempore persecutionis affinium suorum devitat insidias, eremum penetrasse dicatur.* De quo & Sozomenus lib. 1. cap. 13. Socrat. lib. 1. cap. 17. Isidor. de ecclesiasticis officiis lib. 2. cap. 15. Unde & Paulum anachoreseos auctorem, Antonium illustratorem prædicat Hieronymus ad Eustochium: *Hujus vitæ auctor Paulus, illustrator Antonius, & ut ad superiora conscendam, princeps Joannes Baptista.* Et Antonium hujus propositi caput ex vulgi sententia vocat idem Hieronymus in vita Pauli, propter Cœnobitas qui ab eo initium sumpsere.



CAPUT II.

Monastices initia in Ægypto, inde ejus transitus in Syriam & Palæstinam.

PAULUS & Antonius primi vitæ asceticæ exordia statuere in eremo & solitudinibus Ægypti, a quibus Hilarion, Macharius, Pachomius, & tot Sanctorum examina ibi-

dem prognata sunt. Unde effectum sit, vt Ægyptus olim patria materve superstitionis & idololatriæ, cultrix monstrorum & dæmonum, tot Sanctos ediderit: forte quod regio, quæ olim Hebræos exulantes, adeoque Christum ipsum in cunis vagientem, Herodis furori subreptum suscepit, vestigiis Christi consecrata, tot Sanctos meruit obtinere, in præmium officii, & gratiam hospitalitatis. Vel Deus singulari beneficio tot Sanctos in Ægypti solitudine suscitavit, vt impleretur dictum Apostoli: *Ubi abundavit peccatum, superabundavit & gratia.* Nusquam enim superstitio insanius valuit, quam in Ægypto: quæ fuit ratiocinatio Palladii Histor. Lausiac. cap. 52. & Deus tulisse videtur Ægyptios propter merita posterorum, id est, propter Ecclesias & monasteria quæ postea claruere in Ægypto, & propter illos qui vitam angelicam ibi coluerunt, vt fere sensit Joannes Chrysostomus orat. 55. ad populum Antiochenum. Inde infinitus prope numerus Monachorum, & tot monasteria surrexere in Ægypto. Augustinus de verbis Domini serm. 50. in hæc verba Cantici: *Ubi pascis, ubi cubas in meridie? Illic autem in Ægypto, quomodo pastor est iste? Qui norunt, agnoscunt; qui non norunt, requirant quam magnum illic gregem colligat, quantam numerositatem Sanctorum atque Sanctarum habeat contemnentium penitus mundum.* Et Severus Sulpitius de virtute Monachor. Orient. Dialog. 3. *Haud longe ab eremo contigua Nilo multa sunt monasteria: habitant in uno loco plerique centeni, quibus summum jus est, sub Abbatis imperio vivere, nihil arbitrio suo agere, per omnia ad nutum illius potestatemque pendere.* Antonii & sequacium nominis & vitæ sanctitatis fama ita orbem implevit, vt Constantinus auditis Antonii meritis honorificas ad eum literas scripserit, de quibus Athanasius in ejus vita, & Sozomenus lib. 1. cap. 13. & fideles etiam ab extremis Occidentis partibus, religionis causa Ægypti monasteria lustrarent. Hieronym. de se ipso lib. 3. advers. Ruffinum: *Inde contendi Ægyptum, lustravi monasteria Nitriæ, & inter Sanctorum choros aspides latere perspexi.* Tanta fuit cura fidelium in Patres Ægyptios, vt sustentarentur eleemosynis etiam Gallorum. Sisinnium Monachum in Orientem misit Exuperius Tolosanus Episcopus, cum literis ad Hierony-

mum ea tempestate degentem in Bethleem, vt stipes perferret Monachis Palæstinæ & Ægypti, de quo testem habemus ipsum Hieronymum in prooem. lib. 1. 2. & 3. in Zachar. Ab Ægypto religio monastica transiit in Syriam & Palæstinam, duce Hilarione discipulo Antonii: eo curante in Syria & Palæstina surrexere quamplura monasteria. Hieronymus in vita ipsius Hilarionis: *Quod postquam auditum est, & longe lateque percrebuit, certatim ad eum de Syria & Ægypto confluebant, ita vt multi crederent in Christum, & se Monachos profiterentur; necdum enim tunc monasteria erant in Palæstina, nec quisquam Monachum ante sanctum Hilarionem in Syria noverat. Ille fundator & eruditor hujus conversationis & studii in hac provincia fuit.* Et paulo post: *Exemplo itaque ejus per totam Palæstinam innumerabilia monasteria esse cœperant, & omnes ad eum Monachi certatim currere.* Et brevi religio ascetica in tantum profecit in Syria & Palæstina, vt ætate Hieronymi Syria fere certaret cum Ægypto de numero monasteriorum, & laude religionis: testis ipse Hieronymus in Esaiæ cap. 19. *Hæ enim vel maxime gentes Monachorum florent examinibus, Ægyptus & Mesopotamia, & pari inter se pietate contendunt.* Pauciora tamen fuisse monasteria in Syria ea ætate, & longe freqnentiora & tumultuosiora in Ægypto intelligere est, quod Germanus Abbas apud Cassianum collat. 24. capite 18. ait se teneri desiderio ex Ægyptia eremo redeundi in monasterium Syriæ, quod erat Bethleemiticum, studio secretioris anachoreseos. Adhuc ea ætate, vt pateat qualis fuerit progressus Ascetices in Oriente, pauciora fuere monasteria in Ponto & Armenia, & Anachoretarum nomen vix notum. Cassianus collat. 18. cap. 7. *Temporibus siquidem Lucii, qui Arianæ perfidiæ Episcopus fuit,* (is fuit Alexandrinus Episcopus) *sub Valentis imperio, cum Diaconiam nostris fratribus deferremus, his videlicet qui de Ægypto ac Thebaida fuerant, ob Catholicæ fidei perseverantiam, metallis Ponti atque Armeniæ relegati, licet cœnobiorum disciplinam in quibusdam civitatibus rarissimam viderimus; Anachoretarum tamen apud illos ne ipsum quidem nomen auditum fuisse comperimus.*



CAPUT

CAPUT III.

Incrementa Monachismi per totum orbem terrarum. Monachi per Basilium ex eremo evocati, vt opponerentur Arianis.

NON longo temporis tractu, Monachi læta propagine fusi per totum orbem terrarum, & monasteria passim constructa, non modo in locis aviis & desertis, verum & in vicis, suburbiis & vrbibus. Augustinus de moribus Eccles. Catholic. capite 31. *Quis enim nescit summæ continentiæ hominum Christianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magisque diffundi, & in Oriente maxime atque Ægypto? quod vos nullomodo potest latere.* Joannes Chrysostomus in Matthæum homil. 34. καὶ μαρτυροῦσιν οἱ τῶν μοναχῶν χοροὶ, οὓς κατεφύτευσαν πανταχοῦ, οὐ τὴν οἰκουμένην μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν ἀοίκητον ἐκκαθάραντες. *Testantur id chori Monachorum, quibus vbique plantatis habitata simul & deserta loca perlucent.* Idem in 1. ad Corinth. homil. 6. ἢ οὐχ ὁρᾷς οἰκουμένην πᾶσαν προσελθοῦσαν, τὴν πλάνην σκεδασθεῖσαν, τὴν τῶν μοναχῶν φιλοσοφίαν ὑπὲρ τὸν ἥλιον λάμπουσαν. *An non vides universum orbem terræ accessisse, errorem dissipatum esse, Monachorum philosophiam plusquam solem resplendere?* Quod eo dictum, quia Monachorum multitudo valde profecit ad tollendas reliquias erroris, id est, Paganismi. Theodoritus de vit. Patr. cap. 25. in Asclepio: πολλοὶ δὲ καὶ ἄλλοι τὴν τούτου ἐζήλωσαν ἀρετὴν, καὶ πλήρης οὐχ ἡ ἡμετέρα μόνη, ἀλλὰ καὶ αἱ γειτονεύουσαι πόλεις, καὶ κῶμαι, τῆς τοιᾶσδε φιλοσοφίας. *Multi porro & alii hujus virtutem æmulati sunt, nec nostra solum plena est, sed vicinæ etiam vrbes & vici hujusmodi philosophia.* Et idem eodem libro capite 30. μυρία δὲ τοιαῦτα, καὶ ἀριθμὸν νικῶντα φιλοσοφίας ἐστὶ φροντιστήρια, οὐκ ἐν τῇ ἡμετέρᾳ δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ κατὰ πᾶσαν τὴν ἕω· πλήρης δὲ τούτων καὶ Παλαιστίνη, καὶ Αἴγυπτος, καὶ Ἀσία, καὶ Πόντος, καὶ Εὐρώπη πᾶσα. *Extant autem infinita numerumque excedentia istiusmodi philosophiæ gymnasia, non in regione nostra tantum, sed per totum etiam Orientem; plena istis & Palæstina, & Ægy-*

ptus, & Asia, & Pontus, & Europa universa. Idem testatur Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 16. βλέπε μοι ἑκάστου ἔθνους ἐπισκόπους, πρεσβυτέρους, διακόνους, μονάζοντας, παρθένους, καὶ λοιποὺς λαϊκούς. *Perspice cujuslibet nationis Episcopos, Sacerdotes, Diaconos, Monachos, Virgines, & reliquos laicos.* Quanta fuerit Constantinopoli turba Monachorum, ex hoc vno disces, quod ingentes turbas cierint ob discessionem Joannis Chrysostomi, & majorem Ecclesiam occuparint. De quo Zozimus libro 5. ἀπείληπτο δὲ ἡ τῶν χριστιανῶν ἐκκλησία ὑπὸ τῶν λεγομένων μοναχῶν. *Jamque adeo fuerat intercepta Christianorum Ecclesia ab iis qui Monachi vocantur.* Eadem ætate populosa collegia Monachorum fuere, & in plerisque vrbibus, vt subjungit idem Zozimus: οὗτοι δὲ γάμοις τοῖς κατὰ νόμον ἀπαγορεύουσι, συστήματα δὲ πολυάνθρωπα κατὰ πόλεις καὶ κώμας πληροῦσιν ἀνθρώπων ἀγάμων, καὶ οὔτε πρὸς πόλεμον, οὔτε πρὸς ἄλλην τινὰ χρείαν ἀναγκαίαν τῇ πολιτείᾳ. *Hi legitimis nuptiis abstinent; & tam in vrbibus quam vicis populosa collegia complent hominibus non maritatis, nec ad bellum, nec ad alium Reipublicæ vsum idoneis.* Primus fere in Oriente Basilius ex Monacho Episcopus Cæsariensis, ex eremo Monachos transtulit suam in diœcesim: in ea varia cœnobia instituit, vt Monachos opponeret hæreticis, nimirum Arianis subrepentibus, & regulam dedit. Socrat. libro 4. cap. 21. δεδιὼς γὰρ μή πω Ἀρειανὴ καινοτομία καὶ τὰς κατὰ τὸν Πόντον ἐπινεμηθῇ ἐπαρχίας, δρομαῖος ἐπὶ τὰ ἐκεῖ μέρη διέβαινεν, ἐκεῖ τε ἀσκητήρια συστησάμενος. *Nam cum magnopere extimesceret, ne nova Arianorum doctrina per provincias Ponti serperet, summa cum celeritate ad eas partes proficiscitur, ibi monasteria constituens.* Hac de re Basilium laudat Gregorius Nazianzenus orat. 20. in ejus laudem, quod vitam solitariam, & communem, maxime discrepantes, inter se conciliarit, extructis asceteriis Virginum & monasteriis non longe a vulgo remotis: ἀσκητήρια καὶ μοναστήρια δειμάμενος μὲν, οὐ πόρρω δὲ τῶν κοινωνικῶν, καὶ μιγάδων. Ægre tulere hæretici monachos Nicænæ fidei acerrimos propugnatores. Hac de causa se hæreticos valde infensos habere, quod apud se Monachos haberet, fatetur ipse Basilius epist. 63. ad Neocæsarienses: ἐγκαλούμεθα δὲ, ὅτι δὲ ἀνθρώπους ἔχομεν τῆς εὐσεβείας ἀσκητὰς, ἀποταξαμένους τῷ κόσμῳ, καὶ

πάσαις ταῖς βιωτικαῖς μερίμναις, &c. *Accusamur vero & hujus, quod homines habeamus pietatis studiosos, qui mundo renunciarint, & vniversis sæculi istius curis.* Imo & inter hæreticos paulo ante Basilium Marathonius Nicomediensis Episcopus, & propagator hæreseos Macedonianæ, vtriusque sexus cœnobia sua in diœcesi instituit. Socrates libro 2. cap. 30. *σπουδαῖος δὲ περὶ τὸ συστήσασθαι ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν μοναστήρια.* Roma orbis caput, & vniversa Italia Monachos & sacras Virgines suscepit ab Athanasio Alexandrino Episcopo, qui Romam profugus Monachos fugæ & laborum socios habuit, & vitam Antonii a se scriptam attulit, & monasteria vtriusque sexus sua intra septa admisit. Nomen Monachorum ab initio vile & contemptum propter novitatem & deformitatem cultus, cognitis professionis meritis honorificum & amplectendum visum est, & paucos intra annos Romæ & per Italiam varia surrexere monasteria vtriusque sexus. Hieronymus ad principium de laudibus Marcellæ: *Nulla eo tempore nobilium feminarum noverat Romæ propositum Monachorum, nec audebat propter rei novitatem ignominiosum, vt tunc putabatur, & vile in populis nomen assumere. Hæc ab Alexandrinis Sacerdotibus, Papaque Athanasio, & postea Petro, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant, vitam beati Antonii adhuc tum viventis, monasteriorumque in Thebaide Pachumii & virginum ac viduarum didicit disciplinam, nec erubuit profiteri quod Christo placere cognoverat.* Et paulo post: *Crebra Virginum monasteria, Monachorum innumerabilis multitudo, vt pro frequentia servientium Deo, quod prius ignominiæ fuerat, esset postea gloriæ.* Urbis exemplo clariores civitates Italiæ Monachos vocarunt, & monasteria intra muros vel in suburbiis collocarunt, maxime studio & cura Episcoporum, vt Mediolanum studio Ambrosii sui Episcopi. Augustinus Confessionum libro 8. capite 6. ex relatione Nebridii: *Inde sermo ejus devolutus est ad monasteriorum greges, & mores suaveolentiæ tuæ, & vbera deserta eremi, quorum nos nihil sciebamus; & erat monasterium Mediolani plenum bonis fratribus, extra vrbis mœnia, sub Ambrosio nutritore, & non noveramus.* Et idem de moribus Eccles. Catholic. capite 33. *Vidi ego diversoria sanctorum Medio-*

lani non paucorum hominum, quibus unus Presbyter praerat vir optimus & doctissimus. Romae etiam plura cognovi, in quibus singuli gravitate atque prudentia & divina scientia praepollentes, caeteris secum habitantibus praesunt, Christiana caritate, sanctitate & libertate viventibus. Inde primus in Occidente Eusebius Vercellensis Episcopus Monachos, eosdemque Clericos instituit in Ecclesia sua. Auctor est Ambrosius epist. 82. ad Vercellenses: *Quod si in aliis Ecclesiis tanta suppetit ordinandi Sacerdotis consideratio, quanta cura expetitur in Vercellensi Ecclesia, ubi duo pariter exigi videntur ab Episcopo, monasterii continentia, & disciplina Ecclesiae? Haec enim primus in Occidentis partibus diversa inter se Eusebius sanctae memoriae conjunxit, ut & in civitate positus instituta Monachorum teneret, & Ecclesiam regeret jejunii sobrietate.* Et paulo post: *Haec igitur patientia in sancto Eusebio monasterii coaluit usu, & durioris observationis consuetudine hausit laborum tolerantiam. Namque haec duo in attentiore Christianorum devotione praestantiora esse quis ambigat, Clericorum officia, & Monachorum instituta? Ista ad commitatem & moralitatem; disciplina illa ad abstinentiam assuefacta atque patientiam. Haec velut in quodam theatro, illa in secreto, spectatur ista, illa absconditur.* Idem sermone 69. de natali S. Eusebii Vercellensis Episcopi: *Illud quam admirabile est, quod in hac sancta Ecclesia Vercellensi eosdem Monachos instituit quos Clericos, atque iisdem penetralibus sacerdotalia officia contineri, quibus & singularis castimonia conservatur, ut esset in ipsis viris contemptus rerum, & accuratio Levitarum: ut si videris monasterii lectulos, instar orientis propositi indices; si devotionem Cleri perspexeris, angelici ordinis observatione gaudeas.* Eodem tempore surrexere monasteria in insulis quae sunt in ora Tyrrheni maris, de quibus idem Ambrosius Hexamer. libro 3. capite 5. *Quid enumerem insulas, quas velut monilia plerumque praetexit, in quibus ii qui se abdicant intemperantiae secularis illecebris, fido continentiae proposito eligunt mundum latere, & vitae hujus declinare dubios anfractus.* Inter ea clariora fuere monasteria sita in insulis Capraria, Gorgonia & Palmaria, de quibus Rutil. Numatianus Itinerarii lib. 1. Augustinus epistola 81. Gregorius libro 1. epist. 48. & 50. lib. 4. epist. 49. & 60. Eisdem temporibus Monachi congregati in

Africæ, monasteria instituta Carthagine, Thagaste, Hippone Regio, & aliis celebrioribus vrbibus Africæ. Paulin. ad Alipium epist. 35. apud Augustinum: *Benedictos sanctitatis tuæ comites & æmulatores, in Domino fratres, si dignantur, nostros tam in Ecclesiis quam in monasteriis Carthagini, Thagastæ, Hippone Regio, & totis parochiis tuis, atque omnibus cognitis tibi per Africam locis, Domino catholice servientes, multo affectu & obsequio salutari rogamus.* Et Augustinus Retractationum lib. 2. cap. 21. *Vt de opere Monachorum librum conscriberem, illa me necessitas compulit, quod cum apud Carthaginem monasteria esse cœpissent, alii se suis manibus transigebant, obtemperantes Apostolo; alii vero ita ex oblationibus religiosorum vivere volebant, vt nihil operantes vnde necessaria vel haberent, vel supplerent, sed potius implere præceptum Evangelicum existimarent*, &c. Monachorum institutioni propagandæ in Africa, maxime operam dedit Augustinus post reditum ex Italia in Africam. Testis ipse libro de Opere Monachorum capite 28. *Sub generali nomine Monachorum vestrum propositum blasphematur, tam bonum, tam sanctum, quod in Christi nomine cupimus, sicut per alias terras, sic per totam Africam pullulare.* Unde factum est, vt hæretici qui Monachos impatienter ferebant, Augustino obstreperent, quasi hujus instituti auctor esset. De Petiliano vno ex Donatistis Augustinus ipse lib. 3. contra Petilianum cap. 40. *Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem monasteriorum & Monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus vitæ a me fuerit institutum: quod genus vitæ quale sit nescit, vel potius toto orbe notissimum nescire se fingit.* Adeoque Augustinus ipse monasterium suum habuit juxta Ecclesiam. Auctor est ipse Augustinus libro de bono Perseverant. cap. 15. *Fuit quidam in monasterio nostro, qui corripientibus fratribus cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret, respondebat: Qualiscumque nunc sim, talis ero qualem me Deus futurum esse præscivit.* Idem instituit & monasterium Virginum, & regulam dedit. Testis ipse epist. 109. Eodem fere tempore Fulgentius Ruspensis Episcopus etiam monasterium instituit e Clericis & Monachis mixtum, vt legitur in ejus vita apud Surium 1. Januar. *Similitudinem magni cujusdam monasterii, Monachis & Clericis adunatis, sapienter effecit: erat quippe eis*

communis mensa, commune cellarium, communis oratio, simul & lectio.



CAPUT IV.

Processus Monachismi in Gallia, Anglia, Hispania & Germania. Cur serius in Occidente Monasticen profecit.

ISDEM fere temporibus religio monastica suscepta est in Galliis, & Athanasio exulante apud Treviros cum Monachis Ægyptiis, quos passionum socios habuit, juxta muros vrbis ædificatum est monasterium, in quo repertum codicem vitæ beati Antonii ab ipso Athanasio scriptæ eo vivente narrat Augustinus Confess. lib. 8. cap. 6. Inde Martinus relicta militia cum venisset in Galliam, susceptus ab Hilario Pictaviensi Episcopo, haud procul oppido monasterium posuit: postea electus Turonensis Episcopus propositi tenax novum monasterium construxit; Monachos in eo collocavit, & regulam imposuit. De quo Severus Sulpitius libro 1. de vita sancti Martini cap. 7. Paulinus lib. 2. Fortunat. lib. 2. de ejusdem vita. Proximis temporibus a beato Honorato ædificatum est monasterium in insula Lirinensi, quæ objacet litori Narbonensi, de quo Sidonius in Eucharistico ad Faustum Reiensem:

——— *Quantos illa insula plana*
Miscuit in cœtum montes.

Honoratum adjuncto sibi sene Caprasio celeberrimum in insula Lirinensi monasterium extruxisse refert Hilarius Arelatensis de vita & morte Honorati apud Surium 16. Januar. Eadem ætate a Joviniano, Minervio, Leontio & Theodoro clarissimis Monachis instituta sunt cœnobia insularum Stœchadum, quæ sunt in ora Massiliensi. Cassianus in Præfat. collat. 18. qua eisdem dicavit septem collationes posteriores: *Totidem & nunc vobis, o sancti fratres Joviniane, Minervi, Leonti & Theodore, credidi deputandos: posterior siquidem vestrum illam cœnobiorum sanctam atque egregiam disciplinam in provinciis Gallicanis antiquarum virtutum districtione*

fundavit; cæteri vero non solum cœnobialem professionem apprime Monachos expetere, verum etiam anachoreticam subire sublimitatem vestris institutionibus provocastis. His auctoribus asceticum vitæ genus late propagatum in Galliis. Minervius & Alexander Monachi ex insulis, ni fallor, evocati ab Exuperio Tolosano Episcopo, Tolosæ claruere. Eorum amicitiam eadem fere observantia, qua Exuperii, coluit Hieronymus, & his commentarium in Malachiam eodem tempore, quo Exuperio commentarium in Zachariam dicavit. Testis est ipse in Procem. libro 3. in Amos: *Præsenti anno, qui sexto consulatus Archadii Augusti, & Annicii Probi, fastis nomen imposuit Exuperio Tolosanæ Ecclesiæ Pontifici Zachariam, & ejusdem nobis Minervio & Alexandro Monachis Malachiam Prophetam interpretatus sum.* Minerium vocat Hieronymus in Procem. Commentar. in Malachiam, vbi eosdem germanos, vel saltem genere proximos fuisse significat: *Hæc, mi Mineri & Alexander, non tam sanguine quam religione concordes, ne susceptum opus dimitterem Prophetarum, & extraordinario vobis labore sudarem, breviter in Procemio sum locutus.* Eodem tempore Massiliæ fuit monasterium, in quo Monachum profiteri aliquando cogitavit Paulinus Ausonii nepos. Auctor est ipse in carmine Eucharistico de vita sua, vbi Deum sic affatur:

Quem majora meis audentem viribus ante
Prospiciens, melius per te mihi consuluisti,
Conatus inhibendo meos, nimis alta petentes,
Auderem vt Monachi perfecta vivere ritu.

Et infra:

Massiliæ demum pauper consistere legi
Vrbe quidem, in qua plures Sancti essent mihi cari.

Denique his temporibus monasteria tota Gallia intrebuere, Monachorum numero & sanctitate pollentia. Cassianus in Præfat. collat. 11. mihi auctor est, sua ætate in Gallia fuisse plurima cœnobia, ingenti numero fratrum repleta, quibus ad ritum Orientalium vitæ normam præscripsit. E Gallia, vt Monastices iter prosequamur, religio monastica pervenit serius in Angliam, a Gallicis monasteriis petita disciplina regularis, ita vt illius addiscendæ causa, Angli vtriusque sexus monasteria Gallicana adirent. De quo Beda lib. 3. Histo-

riæ Anglicanæ cap. 8. *Earcongota filia Eadbaldi Regis Cantiæ Monialis sanctissima in monasterio, quod in Francia constructum est ab Abbatissa Fara, in loco qui dicitur Brige. Nam eo tempore necdum multis in regione Anglorum monasteriis constructis, multi de Britannia, monasticæ conversationis gratia, Francorum vel Galliarum monasteria adire solebant, sed & filias suas eisdem erudiendas, ac sponso cælesti copulandas mittebant, maxime in Brige, & in Cale, & in Andilegum monasterio.* Inter antiquiora & celebriora, quæ in Anglia extitere monasteria, fuit Bangoriense, de quo idem Beda libro 2. cap. 2. *Erant autem plurimi eorum de monasterio Bancor, in quo tantus fertur fuisse numerus Monachorum, vt cum in septem portiones esset cum præpositis sibi rectoribus Monasterium divisum, nulla harum portio minus quam trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum suarum vivere solebant.* Quid de Hispania anno Christi 575. Donatus Monachus cum septuaginta sociis sentiens cladem religionis invasione Barbarorum, ex Africa migravit in Hispaniam, & ope nobilissimæ matronæ, cui nomen erat Minicea, monasterium posuit Letabi, & Hispanis regulam monasticam tradidit, vt refert Vaseus in Chronic. 569. Mariana ex Ildefonso lib. 5. cap. 11. Serius in Germaniam pervenit religio monastica, nec ante Bonifacium Moguntinum Episcopum, qui primus suscepta legatione Sedis Apostolicæ in Germania, Christianam fidem simul & monasticam vivendi rationem invexit, & celeberrimum monasterium Fuldense extruxit in Saxonia, ex Mariano Scoto, Sigeberto, & aliis. Hic fuit processus religionis monasticæ ab Ægypto & Oriente vsque ad extremas oras Occidentis, vt his gradibus Monachi filii matris sterilis, quæ est religio, continentiæ alumna, orbem terrarum impleverunt, felici vaticinio Esaiæ cap. 54. *Exulta sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum.* Tardius in Occidente profecit religio monastica, quam in Oriente, quod in Oriente Monachi sua dote, id est, suo labore se exhiberent: verum in Occidentis partibus Monachi orationi & lectioni magis quam labori manuum operam darent, & pleraque monasteria beneficio Principum & Episcoporum posita fuerint. Cassian. de institutione

Cœnobi-

Cœnobitarum lib. 10. cap. 23. *Hinc est quòd in his regionibus nulla videmus monasteria tanta fratrum celebritate fundata, quia nec operum suorum facultatibus fulciantur, vt possint in eis jugiter perdurare; & si eis suppeditare quoquomodo valeat sufficientiæ victus alterius largitate, voluptas tamen otii & pervagatio cordis diutius eos in loco perseverare non patitur.*



CAPUT V.

Monachorum nomen quando notum. Monachi unde dicti. Monachorum varia nomina: ἀσκηταὶ, Nonni, Sancti.

DISCUSSA ætate instituti vitæ monasticæ, an eadem fuerit ætas nominis Monachorum, & quando Monachi dici cœperint, observatione dignum videtur, & proximum proposito. Monachi tertium hominum genus, medium inter Clerum & plebem, vix notum fuit ante tempora Diocletianæ persecutionis, imo necdum notum fuit nomen Monachorum. Ante Constantinum qui hujusmodi vitæ genus colebant, quale Monachi, dicti sunt θεραπευταί. Dionysius dictus Areopagita de Eccles. Hierarch. cap. 6. Quod nomen videtur fuisse commune Christianorum, quorum vitam depinxit, quosque similiter θεραπευταὶ vocat Philo de vit. contemplativ. quem laudat Eusebius lib. 2. capite 16. A temporibus Constantini frequens fuit & celebre nomen Monachorum. Arnobius in Psalm. 105. *Ille Monachus hoc egit, ille Clericus hoc, illa Sanctimonialis hoc.* Dionysius loco modo laudato: ἡ δὲ τῶν τελουμένων ἁπασῶν ὑψηλοτέρα τάξις ἡ τῶν μοναχῶν ἐστὶν ἱερὰ διακόσμησις. *Summus vero eorum qui perficiuntur, ordo est sanctorum Monachorum.* Unde Monachorum nomen recentius professione & instituto. Augustinus in Joannem tractat. 97. ad finem: *In Antiochia enim, primum post Ascensionem Domini appellati sunt discipuli Christiani, & xenodochia & monasteria postea sunt appellata novis nominibus; res tamen ipsæ, & ante nomina sua erant, & religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur.* Idem insinuat & Cassianus collat. 18. capite 5. *Qui paulatim tem-*

pore procedente segregati a credentium turbis, ab eo quod a conjugiis abstinerent, & a parentum se consortio mundique istius conversatione secernerent, Monachi sive Monazontes singularis ac solitariæ vitæ districtione nominati sunt. Monachi sic dicti a solitudine, a Græco μόνος, quod est solus. Hieronymus epist. 13. ad Paulinum: *Sin autem cupis esse, quod diceris Monachus, id est, solus; quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum?* can. *Si cupis* 16. quæst. 1. Et idem ad Heliodor. *Interpretare vocabulum Monachi, hoc est nomen tuum: quid facis in turba qui solus es?* Et Augustinus in Psalm. 132. in illud: *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in vnum! Ex voce hujus Psalmi appellati sunt & Monachi, ne quis de vobis de isto nomine insultet Catholicis.* Et infra: *Quare ergo & nos non appellemus Monachos, cum dicit Psalmus: Ecce quam bonum, &c. μόνος enim vnus dicitur, & non vnus quomodocumque: nam & in turba est vnus, sed vna cum multis dici potest; μόνος non potest, id est, solus: μόνος enim vnus solus est. Qui ergo sic vivunt in vnum, vt vnum hominem faciant, vt sit illis vere, quomodo scriptum est, vna anima, & vnum cor; multa corpora, sed non multæ animæ; multa corpora, sed non multa corda: recte dicitur μόνος, id est, vnus solus.* Nec vnum fuit nomen Monachorum, alio enim nomine dicti ἀσκηταί. Eusebius lib. 8. cap. 20. ἐπὶ τῆς αὐτῆς Καισαρείας Πέτρος ἀσκητής. *Hic fuit Monachus Ægypti Cæsareæ martyrium passus.* Et Athanasius in Apolog. ad Constant. καὶ οἱ μὲν ὑπὸ Ἀλεξάνδρου ἐπίσκοποι, μονάζοντες καὶ ἀσκηταὶ ἐξωβλήθησαν: *Atque ita ab Alexandro Episcopi, Monachi, Ascetæ profligati sunt.* Monachos vulgus reverentiæ ergo vocabat Nonnos, id est, Sanctos. Arnobius in Psalm. 105. modo laudatum: *Si ille qui Sanctus vocatur & Nonnus sic agit.* Et idem in Psalm. 140. *Et adulantes nobis invicem in præsenti positi Sanctos nos vocamus & Nonnos.* Sancti dicti sunt Monachi ob laudem sanctitatis professioni propriam, magis quam ob personæ merita. Hieronymus lib. 3. in Zachariæ ad Exuperium Tolosanum: *Rudes igitur non mea culpa, sed studio portitoris suscipe libros, dum ipse festinat Sanctis æra dividere,* id est, Monachis Palæstinæ & Ægypti. Augustinus de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 33. *Vidi ergo diversoria sanctorum Mediolani non paucorum hominum, quibus*

vnus Presbyter praerat vir optimus & doctissimus. Idemque in Psalm. 75. *In societatem Sanctorum.* Et Cassianus collat. 18. cap. 16. *Et beati Isidori Abbatis atque Presbyteri, aliorumque Sanctorum consortio fruebatur.* Idem cap. 1. ejusdem collat. *Ad vicum cui nomen est Dyoleos, vni ex septem Nili fluminis ostiis imminentem, non tam itineris necessitate, quam desiderio Sanctorum illic commorantium compellente pervenimus.* Idem collat. 17. capite 2. *Quid agimus de sponsionis fide, quam senioribus nostris velocissimum reditum pollicentes dedimus, nos novimus, vt vel vicissim liceret nobis hujus provinciæ Sanctos, & monasteria circumire.*



CAPUT VI.

Duo præcipua genera Monachorum, Anachoretæ & Cœnobitæ. In Ægypto tertium genus Monachorum, quod Remoboth dicunt vel Sarabaitas. Quid distent Anachoretæ ab Eremitis.

UBI semel fama celebrata est vita & conversatio Monachorum, maxime Pauli, Antonii, Hilarionis, Pachomii & Macharii, & aliorum id ætatis Primatum: ita placuit id vitæ genus, vt millia hominum in eremum & solitudinem agmine facto secesserint, & in tantum auctus sit numerus Monachorum, vt eremus nomen suum amiserit, & monasteria in civitates fere conversa sint. Inde Monachi pro vario ingenio hominum, alii statim eremum & solitudinem petierunt, ante disciplinæ monasticæ expertes, & dicti sunt Eremitæ: alii horrorem vastæ solitudinis non ferentes in vnum convenere, cœnobia seu monasteria ædificarunt, & dicti sunt Cœnobitæ. Hæc duo propria genera Monachorum agnoscit Justinianus Novell. 5. de Monach. capite 3. Et ante Augustin. de moribus Ecclesiæ Catholicæ capite 31. *Nihil de illis dicam, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu pane solo, qui eis per certa intervalla temporum affertur, & aqua contenti, desertissimas terras incolunt, per-*

fruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, & ejus pulcritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi Sanctorum intellectu percipi non potest. Et paulo post: *Sed si hoc excedit nostram tolerantiam, quis non illos miretur, & prædicet, qui contemptis atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam, castissimam sanctissimamque congregati simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi, sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam & intentissimam in Deum gratissimum munus ipsi offerunt, & quo ista posse meruerunt.* Idem Severus Sulpitius de Monachis Orient. Dialog. 2. *Haud longe ab eremo contigua Nilo multa sunt monasteria: habitant in uno loco plerique centeni, quibus summum jus est sub Abbatis imperio vivere, nihil arbitrio suo agere, per omnia ad nutum illius potestatemque pendere. Ex his si qui majorem virtutem mente conceperint, aut acturi solitariam vitam se ad eremum conferant, nonnisi permittente Abbate discedunt*, &c. Eadem duo genera Monachorum laudat Cassian. de institut. Cœnobitarum lib. 5. cap. 36. *Itaque cum de Palæstinæ monasteriis, ad oppidum Ægypti quod Dyolcos appellatur, rudes admodum venissemus, ibique plurimam turbam cœnobii disciplina constrictam, & optimo ordine Monachorum, qui etiam primus est, institutam mirifice videremus; alium quoque ordinem qui excellentior habetur, id est, Anachoretarum, cunctorum præconiis instigati sagacissimo corde videre properavimus.* De vtrisque Evagrius lib. 6. cap. 21. *οἱ μὲν γὰρ ἀγεληδὸν ζῶντες, οὐδενὶ τῶν ἐς γῆν βριθόντων κρατοῦνται.* Et paulo post: *ἕτεροι δ' αὖ πάλιν ἀπεναντίας ἰόντες μόνους ἑαυτοὺς κατειργνύουσιν ἐν οἰκίσκοις. Nam alii gregatim vitam degunt, nihil rerum quæ animos hominum ad terram deprimere solent, possident. Alii autem aliud ingrediuntur vivendi genus, idque diversum a superioribus: nam se separatim in ædiculas concludunt.* De quo & Nicephorus lib. 11. cap. 41. Utrumque Monachorum genus laudat & Gregorius Nazianzenus orat. 21. in laud. Basilii: *οἱ μὲν τὸν πάντη μοναδικόν τε καὶ ἄμικτον διαθλοῦντες βίον, ἑαυτοῖς μόνοις προσλαλοῦντες καὶ τῷ Θεῷ, καὶ τοῦτο μόνον κόσμον εἰδότες, ὅσον ἐν τῇ ἐρημίᾳ γνωρίζουσιν. οἱ δὲ νόμον ἀγάπης τῇ κοινωνίᾳ στέργοντες, ἐρημικοί τε ὁμοῦ καὶ μιγάδες. Quorum alii vitam prorsus solitariam & ab homi-*

num societate remotam agunt, sui ipsorum tantum & Dei colloquio fruentes, atque hanc dumtaxat terræ partem pro mundo habentes, quam in solitudine cognitam habent. Alii autem caritatis legem per communionem & societatem colentes, Solitarii simul & Cœnobitæ sunt. Cœnobitas & Eremitas complectitur Epiphanius adversus hæreses in Anachephaleos num. 23. τινὲς δὲ τῶν μοναζόντων αὐτῆς κατοικοῦσι τὰς πόλεις, τινὲς δὲ καὶ ἐν μοναστηρίοις καθέζονται, καὶ ἀπὸ μήκοθεν ἀναχωροῦσιν. *Porro Monachorum alii in urbibus degunt, alii in monasteriis habitant, & ab hominum frequentia longius abscedunt.* Et Theophylactus in Marcum cap. 4. οἱ μὲν εἰσι παρθένοι καὶ ἐρημικοί. ἄλλοι μιγάδες καὶ ἐν κοινοβίῳ. *Sunt Virgines & Solitarii, alii qui in cœnobio vivunt.* In Ægypto tria genera Monachorum: primum Anachoretarum, secundum Cœnobitarum, tertium, idque acerrimum, quod Ægyptia lingua vocabant Remoboth; ponit Hieronymus ad Eustochium epist. 22. *Tria sunt in Ægypto genera Monachorum. Primum Cœnobitæ, quod illi Sanses gentili lingua vocant, nos in communi viventes possumus appellare. Secundum Anachoretæ, qui soli habitant per deserta, & ab eo quod procul ab hominibus recesserint, nuncupantur. Tertium genus est quod Remoboth dicunt, deterrimum atque neglectum, & quod in nostra provincia* (ea erat Syria & Palæstina) *aut solum, aut primum est. Hi bini vel terni, nec multo plures simul habitant, suo arbitratu ac ditione viventes, & de eo quod laboraverint in medium partes conferunt, ut habeant alimenta communia: habitant autem quamplurimi in urbibus vel capellis; & quasi ars sit sancta, non vita, quicquid vendiderint majoris est pretii.* Et his respondent Sarabaitæ, quod tertium genus Monachorum in Ægypto fuisse tradit Cassianus collat. 18. cap. 4. *Tria sunt in Ægypto genera Monachorum; quorum duo sunt optima: tertium tepidorum, atque omnimodis evitandum. Primum est Cœnobitarum, qui scilicet in congregatione pariter consistentes, unius senioris judicio gubernantur: cujus generis maximus numerus Monachorum per universum commoratur Ægyptum. Secundum Anachoretarum, qui prius in cœnobiis instituti, jamque in actuali conversatione perfecti solitudinis elegere secreta: cujus professionis nos quoque optamus esse participes. Tertium reprehensibile Sarabaitarum est.* De quibus idem cap. 7. ejusdem collat. *Emersit istud Sarabaita-*



rum genus, qui ab eo quod semetipsos a cœnobiorum congregationibus sequestrarent, ac sigillatim suas curarent necessitates, Ægyptiæ linguæ proprietate Sarabaitæ nuncupati sunt. Tria dumtaxat genera Monachorum, quæ erant antiquiora, descripsit Cassianus in d. capite 4. Quartum tamen ex Anachoretarum genere subortum innomine addit cap. 8. ejusdem collat. quod genus Gyrovagos appellat Benedict. regul. cap. 1. Cassianum vt solet secutus. Sex vero genera Monachorum posuit Isidor. de ecclesiasticis officiis lib. 2. cap. 15. nimirum Cœnobitas, Eremitas, Anachoretas, Gyrovagos, Circumcelliones, Sarabaitas, sive Renuitas. Sed hæc sex genera Monachorum ab Isidoro posita facile rediguntur ad tria, Cœnobitas, Eremitas, & Sarabaitas seu Gyrovagos. Breve enim est confinium inter Eremitas & Anachoretas, & ea ætate plerumque Eremitæ & Anachoretæ promiscue accipiebantur. Eremitæ proprie sunt, qui statim e sæculo migrant ad solitudinem: Anachoretæ, qui post diutinam in monasterio exercitationem, studio majoris perfectionis de licentia Abbatis secedunt in eremum, sic dicti a Græco ἀναχωρέω, secedo, ἀναχώρησις, secessio. Severus Sulpitius de Monachis Orient. Dialog. 2. *Ex his si qui majorem virtutem mente conceperint, aut acturi solitariam vitam se ad eremum conferant, nonnisi permittente Abbate discedunt.* Cassianus dist. cap. 4. *Secundum Anachoretarum, qui prius in cœnobiis instituti, jamque in actuali conversatione perfecti solitudinis elegere secreta.* Sozomenus lib. 6. cap. 31. οἰκοῦσι δὲ ἐν τοῖς κελλίοις, ὅσοι τῆς φιλοσοφίας εἰς ἄκρον ἐληλύθασι, καὶ σφᾶς ἄγειν δύνανται, καὶ μόνοι διατρίβειν, δι' ἡσυχίαν χωρισθέντες τῶν ἄλλων. *Has equidem cellas incolunt hi, qui ad id quod in disciplina monastica summum est pervenerint, seque ipsos rite instituere, & soli vitam degere possunt, propter quietem ab illis sejuncti.* Et Aimoinus Floriacensis de Miracul. sancti Benedicti lib. 2. cap. 4. *Venerabilique viro Wlfado ei succedente, qui post Carnotensis extitit Præsul vrbis, jam dictus vir Drogo ab eo petiit, ægerrimeque impetravit, vt sibi in cœnobitali diuturna probato conversatione, eremi liceret egredi pugnam.* Inde æmulatione veterum, institutum vt cellæ seorsim ponerentur intra septa monasterii, in quibus seniores & emeriti Monachi, permissu Abbatis, & sub ejus imperio vive-

bant. Synod. Agathensis can. 38. *Servandum quoque de Monachis, ne eis ad solitarias cellulas liceat a congregatione discedere, nisi forte probatis post emeritos labores, aut propter infirmitatis necessitatem asperior Abbatis licentia regula remittatur: quod ita demum fiat, vt intra eadem monasterii septa manentes, tamen sub Abbatis potestate separatas habere cellulas permittantur.* Can. *Monachum* 20. quæst. 3. Serius vero nec ante tricennium impletum in monasterio impetrata anachoresis. Isidorus loco modo laudato: *Tertium genus est Anachoretarum, qui jam cœnobitali conversatione perfecti includunt semetipsos in cellis procul ab hominum conspectu remotis.* Et paulo post: *Sed isti examinatione cœnobiorum probati, in omnibus disciplinis monasterii per triginta annos, ad hanc contemplationem per obedientiam eliguntur.* Post triginta annos in cœnobio transactos se in eremum secessisse, ait Abbas Joannes apud Cassianum collat. 19. capite 2. qui hoc exemplo permotus seipsum damnat, quod vix biennium demoratus in Bethleemitico cœnobio, in eremum evolasset. Etiamnum Religiosi mendicantes post emerita justa stipendia de consensu Superioris possunt eligere vitam solitariam, cap. vnic. *de excess. Prælator.* in 6. cap. penult. de V. S. eodem. Alii hanc differentiam statuunt inter Eremitas & Anachoretas, quasi Anachoretæ sint, qui per silvas vagantur incertis sedibus: Eremitæ, qui certas sedes habeant in cellulis. Petrus Damiani Opuscul. 15. capite 3. *Eremitarum ordo bipartitus est, quorum videlicet alii cellulas incolunt, alii passim per eremi deserta gradientes, certas ædes habere contemnunt, sed qui per eremum spatiando discurrunt Anachoretæ; qui vero cellulis contenti sunt, usitato vocabulo Eremitæ dicuntur, quibus nimirum nomen commune factum est speciale.* Sarabaitæ sunt qui cellas sibi construunt, proprio viventes arbitrio sine duce: inde Renuitæ dicti Isidoro, quod renuant disciplinam. De his Odo Cluniacensis Collat. libro 3. cap. 23. *Nos miseri non sumus Monachi, vt falso nominamur, sed Sarabaitæ, id est, Renuitæ, qui jugum regularis disciplinæ renuimus.* Ivo Carnotensis epist. 192. *An fieri Sarabaitas, vt in privatis locis proprio jure vivant.* Et hoc est quod deterrimum & infidele genus Monachorum vocat Cassianus collat. 18. cap. 8. quem secutus est Benedictus regul. capite 1. Circumcelliones genus pessimum

Monachorum, vixque inter Monachos censendi: fuere enim Donatistæ, vagi, & sævi admodum in Catholicos, maxime in Clericos. sic dicti, quia circum cellas, id est, extra cellas vagabantur. Augustinus in Psalm. 132. & idem epistola 159. vnde desumptus est can. *Circumcelliones* 23. quæstion. 5. ibi vid. Archidiacon.



CAPUT VII.

Varia genera Eremitarum, μνημεῖται, στυλῖται, *inclusi*, ἀκοίμητοι.

EREMITIS & Anachoretis non vnum, sed varium fuit vitæ genus: quemadmodum flumina vario itinere ad mare perveniunt, æque Sancti vario vivendi schemate Deo placere studuerunt. Alii secreta solitudinis petentes, cellas seu tuguria construebant, in quibus orationi & lectioni & cælestium contemplationi assidui operam dabant, vt Antonius, Hilarion, & plerique alii. Hieronymus in vita Hilarionis: *Extructa deinceps brevi cellula, quæ vsque hodie permanet, latitudine pedum quatuor, altitudine pedum quinque.* Et infra de cellula beati Antonii: *Erat autem cellula non plus mensuræ per quadrum tenens, quam homo dormiens extendi poterat.* Sozomenus lib. 3. cap. 13. ex regula Pachomii: οἰκήματα δὲ μικρὰ κατασκευάσαι πολλὰ, καὶ καθ᾽ ἕκαστον οἴκημα τρεῖς καταμένειν, ὑπὸ ἕνα δὲ οἶκον πάντας τροφῆς μεταλαμβάνειν. *Præscripsit præterea, vt multas ædiculas extruendas curaret; & in singulis vt tres Monachi habitarent: in vna tamen domo, vt omnes cibum caperent.* Κελλία Nitriæ memorat idem lib. 6. cap. 31. ἕτερός ἐστι τόπος σχεδὸν ἑβδομήκοντα σταδίοις διεστὼς, ὄνομα Κελλία· ἐν τούτῳ ἀπεσπαρμένα ἐστὶ μοναχικὰ οἰκήματα πολλὰ, καθὸ καὶ τοιαύτης ἔλαχε προσηγορίας. *Est alius locus, qui a Nitria abest stadia fere septuaginta, cui nomen erat Cellia: in eo sunt cellæ Monachorum permultæ sparsim positæ, qua de causa hoc nomen habuit.* Alii in memoriis seu monumentis mortuorum cellarum vice se includebant, religionis causa. Synodus Chalcedonensis act. 4. Θεόδωρος μνημείτης ἐστί. Τύφας μνημείτης ἐστὶν, ἔχων δύο ἢ τρία ὀνόματα εἰς.

Idem Pallad. hist. Lausiac. cap. 38. Evag. lib. 1. cap. 21.

εἰς τὸ ξυλόκιρκον· Παῦλος ὁ Βιθυνὸς κτ̃ μόνας ἐστιν εἰς μνημεῖον. Et paulo post: ὥστε μὴ ἑαυτοὺς ἀρχιμανδρίτας λέγειν, τοὺς ἐν μνημείοις κατοικοῦντας. *Theodorus in monumentis habitat. Ipsius in monumentis habitat, habens duo vel tria nomina in xylocirco, id est, duas vel tres personas sibi parentes. Paulus Bithynus habitans solitarie in monumento. Ut non se dicant Archimandritas, qui in monumentis habitant. Hujusmodi solitarii, qui degebant in monumentis, habebant suum Præpositum, qui Archimandritæ nomen notatur assumere.* Et paulo supra dicitur: μνημειοφύλαξ, *custos monumentorum*, Ἐλπίδιος μνημειοφύλαξ τῆς Προκοπίου ἐστί. *Elpidius Præfectus monumentorum loci qui dicebatur Procopia.* Antiquius fuit hoc genus exercitationis: Antonium enim sub initia quandoque secessisse in sepulcra, narrat Athanas. in ejus vit. & de pœnitente incluso ἐν τοῖς νεκροτάφοις refert Palladius Histor. Lausiac. cap. 35. Fuit & pœnæ genus damnatio in sepulcrum, velut in metallum. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum sepulcro inclusit Bardas Cæsar ab eo excommunicatus. de quo Cedren. Κοπρωνύμου τάφῳ ἀποκλείειν. Alii fortiores in speluncis & specubus degebant, de quibus Evagrius libro 1. cap. 21. σπηλαίοις προσκαρτεροῦντες κὴ ταῖς ὀπαῖς τῆς γῆς, κτ̃ τὴν τοῦ ἀποστόλου φωνὴν, ἄλλοι σύνοικοι θηρίοις γινόμενοι, καὶ ποι τῆς γῆς ἀτεκμάρτων ἐνδομυχῶν τὰς πρὸς τὸν Θεὸν ἐντεύξεις ποιοῦντες. *Quorum alii, ut est apud Apostolum, in speluncis & cavernis vitam assidue degunt, unaque cum bestiis habitant, & in quibusdam occultis & ignotis terræ latibulis Deo precationes adhibent.* Epiphanius in Panar. hæres. 40. de Entacto hæretico: ἀναχωρητὴς γὰρ ἐδόκει εἶ) ἐν σπηλαίῳ τινὶ καθεζόμενος. *Anachoreta quippe esse videbatur in spelunca degens.* Alii cælo tantum pro tecto usi, per deserta vagabantur, incertis sedibus, herbarum radicibus pro omni pabulo utentes, quos βόσκοις, id est, silvestres, vocabant. Sozomenus lib. 6. cap. 33. Evagrius lib. 1. cap. 21. Nicephorus lib. 11. cap. 40. De his Severus Sulpitius de Monach. Orient. Dialog. 1. *Habitant plerique in eremo sine ullis tabernaculis, quos Anachoretas vocant: vivunt herbarum radicibus, nullo umquam certo loco consistunt, ne ab hominibus frequententur, quas nox coegerit sedes habent.* Alii in columnis stabant sub dio perpetuas Deo preces offerentes. Hujus propositi, quo vis

D

naturæ infertur, princeps & auctor fuit Symeon, inde dictus στυλίτης, id est, columnarius, qui primas columnam conscendit, & in ea fulmine percussus vitam finivit. Evagrius lib. 1. cap. 13. πρῶτος τὴν ἐπὶ κίονος στάσιν ἐπιτηδεύσας δίπηχυ μόλις ἐνδιαίτημα τὸ περίμετρον. *Hic primus stationem in columna instituit, domiciliumque in ea, cujus mensura vix duos continebat cubitos, construxit.* De quo idem lib. 2. cap. 9. in fine. Theodoritus de vit. Patr. cap. 26. Cedrenus in Theodos. Junior. Non multo post tempore Daniel in Anaplo (id nomen suburbio Constantinopolis) Symeonis exemplo provocatus, columnam inscendit, multaque & insignia edidit miracula. Testis est idem Cedrenus, & Zonar. in Leone Magno, necnon apud eundem in Nicephoro Generali Nicolaus quidam: ἐν τῷ ἔξω κιονίῳ ὁ ψευδοερημίτης. *In exteriori columella pseudoeremita memoratur.* In Gallia fuit & quidam Monachus apud Treviros, qui Symeonem æmulatus in montis vertice columnam conscendit; sed ab Episcopis descendere jussus, quasi impar proposito propter cæli inclementiam, reverenter paruit, & rediit ad monasterium, teste Gregorio Turonensi lib. 8. Histor. Francor. cap. 16. Alii etiam se humili & angustiori cellula, veluti perpetua custodia, vltro damnabant. κατειργμένους, inclusos Græci vocabant: apud Theodoritum de vitis Patr. cap. 20. celebratur Maris κατειργμένος, cui in cellula sacra mysteria se obtulisse refert ipse Theodoritus. vel ἐγκλείστους, eadem significatione. Cedrenus in Constantino Copronymo de Stephano Juniore Martyre: ἑξήκοντα γὰρ χρόνους ἐποίησεν ἐν τῷ βουνῷ τοῦ ἁγίου Αὐξεντίου ἐγκλειστός. *Sexaginta enim annos exegit in colle sancti Auxentii inclusus.* Hoc vitæ genere laudatus Acepsimas Ægyptius, per sexaginta annos vixit inclusus in cellula, neque visus a quoquam, neque cuiquam locutus. Theodoritus lib. 4. cap. 26. Et Jacobus Syrus cancellis se inclusit. Procopius de bell. Persic. libro 1. καὶ αὐτὸν οἱ ταύτῃ ἄνθρωποι ὑπεργυιοῦντες τῇ γνώμῃ δρυφάκτοις πολὶ περιέβαλον. *Hic ei addicti homines cancellis eum incluserunt.* Et Theodotus quidam ἐγκλειστὸς memoratur a Justiniano Rhinotmet, publicorum vectigalium Quæstor factus. Suidas in voce Ἰουστινιανός: καὶ Θεόδοτόν τινα, ἐγκλειστὸν γεγονότα, κατὰ τὰ Θρᾳκῷα μέρη τοῦ στενοῦ, τῶν δημοσίων λογιστήν. *Et*

Sigebert. ad ann. 418.

Theodotum quendam qui fuerat inclusus, in Thraciæ partibus publicorum vectigalium Quæstorem fecit. Apud Latinos passim occurrunt etiam Inclusi. Augustinus de opere Monachorum cap. 23. *An forte quia sunt sanctiores, eo sunt volucribus dissimiliores, quia nisi reponant sibi escas in plurimos dies, includere se itaut faciunt non valebunt.* Et Anastasius in Agathone: *Ex Presbyteris & Inclusis in exilium in Romanam directi sunt civitatem.* Horum frequens fuit vsus in Gallia, quos vulgus Reclusos vocabat. Hos inter celebriores fuere Maxentius, Calappa, Hospitius, Eparchius Reclusi: de quibus Gregorius Turonensis libro 2. cap. 37. lib. 5. cap. 9. & 10. lib. 6. cap. 6. Aimoinus lib. 3. cap. 39. Regin. 1. Chronic. Symeon Treviris, Theobaldus Vincentiæ vrbe Venetiæ, Paternus Padernornæ in Germania: de quibus Sigebertus in Chronico ad annum 1010. 1050. 1058. & Petrus inclusus in Hispaniæ finibus, qui fuit auctor & incentor sacræ expeditionis, quæ suscepta est a Godefrido & aliis; de quo Dorlechinus ad ann. 1096. Et vt virtus sexu non distinguitur, etiam mulieres tam audacis propositi laudem meruere. Puellam monasterii sanctæ Crucis Pictaviensis, permissu Radegundæ Abbatissæ inclusam celebrat Gregorius Turonensis libro 6. capite 29. *Hæc cum puella vidisset, compuncta est corde, & post dies paucos rogavit Abbatissam, vt sibi in qua includeretur cellulam pararet. At illa velociter perfecta ait: Ecce, inquit, cellulam; quid nunc desideras? Puella vero petiit vt recludi permitteretur. Quod cum ei præstitum fuisset, congregatis virginibus cum magno psallentio, accensis lampadibus, tenente sibi beata Radegunde manum, ad locum vsque perducitur. Et sic valefaciens omnibus, & osculans singulas quasque, reclusa est, obstructoque aditu, per quem ingressa fuerat, ibi nunc orationi ac lectioni vacat.* Etiam Romæ fuere Reclusæ. Stephanus II. epist. 4. ad Pipin. de obsidione vrbis per Aistulphum Regem Longobardorum: *Et Sanctimoniales feminas atque Reclusas, quæ ab infantia & pubertatis tempore pro Dei amore sese clausuræ tradiderunt.* Reclusæ quoque fuere in Normannia a Claustralibus distinctæ. Anselmus Cantuar. lib. 3. epist. 15. *Mandate hoc Monachis, & Sanctimonialibus in Normanniam inclusis, & Claustralibus.* Herveo & Evæ inclusis scripsit Goffridus Abbas Vindocinensis epistolam, quæ

est 48. libri 4. Sed cum hujusmodi Inclusi victi gravitate suscepti oneris, facile laberentur a proposito, ne temere includerentur, vetitum est ne id fieret absque consensu Episcopi & Abbatis. Concilium Francofordiense habitum anno Christi 794. can. 12. *Ut Reclusi non fiant, nisi quos ante Episcopus provinciæ atque Abbas comprobaverint, & secundum eorum dispositionem in reclusionis loco ingrediantur.* Leone Magno imperante Constantinopoli surrexit novum genus Monachorum, qui dicti sunt ἀκοίμητοι, insomnes, semper vigilantes, qui perpetuas diu noctuque per vices divisis officiis Deo laudes canebant. Hujusce instituti angelici princeps & auctor fuit Alexander, qui successores habuit Joannem & Marcellum, qui facilius exigendi jugis officii causa cœtum Monachorum in tres classes divisit. Eodem tempore Studius quidam divo Joanni Baptistæ monasterium posuit Constantinopoli, in quo id genus Monachos, qui dicebantur ἀκοίμητοι, collocavit. Testes sunt auctor vitæ Marcelli Abbatis apud Surium 29. Decembr. & Nicephorus libro 15. capite 23. Hi temporibus Justiniani a veteri laude lapsi, & Nestorii erroribus labefactati, a Joanne Romano Pontifice damnati sunt. Evagrius libro 3. capite 19. & libro 5. capite 16. Sua laus tamen remansit divino instituto, quod Romani Pontifices Gregorius II. & III. Paulus I. Adrianus Romæ æmulati sunt in nonnullis Ecclesiis, ex Anastasio. Nec institutum hoc caret exemplis veteris Testamenti: est enim imago perpetui sacrificii Judæorum, quod ἐνδελεχισμὸν vocabant. Joannes Chrysostomus orat. 36. ad Antiochenos.

Suidas in voce Στούδιος.





CAPUT VIII.

Eremitarum & Cœnobitarum comparatio. A Cœnobitis quid distent Synoditæ.

RELIGIO monastica cœpit ab Eremitis & Anachoretis, & per Cœnobitas mirum in modum aucta est & effusa per totum orbem terrarum. Inde valde disputatum est, quodnam vitæ genus esset præstantius, Eremitarum, an Cœnobitarum: de quo non alienum & supervacuum erit hoc loco tractare. Certe Eremitarum vita, si bene sibi constet, angelica fere & supra hominem est, quæ cum solo Deo commercium continet. Joannes Abbas apud Joannem Moschum in Sermonar. cap. 81. τὸ σπήλαιον τοῦτο, τέκνον, ἐμπορίον ἐστὶ πνευματικόν· δὸς, λάβε. *Spelunca ista, fili, spiritalis mercatura est: dat, accipit.* A solitariis scilicet perpetuæ laudes offeruntur Deo, & a Deo incessanter gratiæ & retributiones referuntur. Suo honore digni sunt Eremitæ, qui soli Deo vivunt, abdicatis omnibus. Synod. Chalcedonens. can. 4. οἱ ἀληθῶς καὶ εἰλικρινῶς τὸν μονήρη μετιόντες βίον, τῆς προσηκούσης ἀξιούσθωσαν τιμῆς. *Qui vere & sincere monasticam vitam aggrediuntur, digni sunt convenienti honore.* Can. *Qui vere* 16. quæst. 1. Eremitas tamquam Deo propiores Cœnobitis præfert Petrus Damiani lib. 6. epist. 12. *Fratres itaque in monasterio immobiliter permanentes tolerandi sunt; ad eremum vero fervido spiritu transmigrantes, plausibus ac præconiis efferendi: illi siquidem sub divinæ protectionis clypeo delitescunt; isti vero in campum certaminis prodeuntes, victoriæ titulis decorantur: illi defendunt sua; isti referunt spolia: illi Deo protegente sunt insuperabiles; isti quotidie satagunt hostium suorum calcare cervices: illi contra mœnia constituti obsidentes ne ingrediantur obsistunt; isti minaces hostium cuneos procul de suis finibus terga cedentes expellunt.* Eremitas inter membra Ecclesiæ refert Augustin. lib. contra Petiliani epist. cap. 14. in hæc verba Cantici: *Ubi pascis, ubi cubas in meridie? Si ergo sponsus tamquam de loco familiarius dilecto, & cubili quodam suo secreto interrogatus responderet esse in meridie; multo probabilius Ecclesia*

Catholica in his membris suis hoc agnosceret, quæ sunt in Ægypto, in millibus servorum Dei, qui per eremum sancta societate vivunt, perfectionem Præfecti evangelici studentes tenere, quod dictum est: Vis perfectus esse? vade, vende omnia quæ habes, &c. Cœnobitica tamen vita est potior & tutior, quia Cœnobitæ juvantur exemplo & correctione fratrum. Hieronym. ad Rusticum epist. 4. *Primumque tractandum est, vtrum solus, an cum aliis in monasterio vivere debeas: mihi quidem placet vt habeas Sanctorum contubernium, nec ipse te doceas, & absque doctore ingrediaris viam quam numquam ingressus es.* Can. *Si clericatus* 16. quæst. 1. Tutius est Cœnobitis, quia habent testem vitæ & conversationis, qui vultu suo peccandi pudorem eis suffundat, & labentes suscitet. Bernard. epist. 115. *Cur, inquis, non est sapere, vt opulentiam, vt vrbis frequentiam, vt pinguia fugiam & delicias? An non mea mihi pudicitia tutior erit in eremo, vbi in pace cum paucis, aut sola conversans, soli placeam cui me probavi? Nequaquam, nam volenti perperam agere, & desertum abundantiam habet, & nemus vmbram, & silentium solitudo; malum quippe quod nemo videt, nemo arguit. Vbi autem non timetur reprehensor, securius accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas: in conventu vero bona si qua facis, nemo prohibet; malum autem facere si vis, non licet: mox etenim a pluribus comperitur, arguitur, emendatur, sicut e contrario bonum cum vident, omnes mirantur, venerantur, imitantur.* Vita Eremitica timenda est propter periculum solitudinis, in qua cadentem deest qui sublevet. *Væ soli, quia cum ceciderit non habet sublevantem*, Eccles. His de causis vitam Cœnobiticam Eremiticæ præponit Basilius regul. fusius disput. regul. 7. Idem D. Thom. 2. 2. quæst. 188. art. 8. Jo. Andreas in cap. *Sane de Regular.* & Cœnobitarum genus fortissimum prædicat Bened. regul. cap. 1. Cœnobitarum vitæ etiam perfectior habetur, quia vna vitæ solitariæ & communis connubium continet, & mixta est ex vita activa & contemplativa. Gregor. Nazianzen. orat. 21. ἐρημικοί τε ὁμοῦ καὶ μιγάδες. *Solitarii simul & Cœnobitæ.* Alio & argumento Cœnobitarum vita perfectior probatur, quia scilicet hi renuntiant propriis, habentque hominem supra se: Eremitæ vero non renunciant propriis, deque his testamento vel inter vivos disponere possunt. Can. *Perlatum* §. *E contra* 19. qu. 3.

Gloss. in d. can. *Qui vere.* Eremitæ sunt acephali, can. *Nulla* 93. dist. & locustis comparantur, quæ non habent regem, Gloss. in d. can. *Qui vere.* Cœnobitarum vita eo rectior & perfectior intelligitur, quod vitæ monasticæ institutum cœpit quidem ab Eremitis, sed a Cœnobitis mirum in modum auctum, & per vniversum orbem propagatum; & quod erat rude & informe, certis regulis legibusque excultum est. Millia Monachorum Ægypti congregata sub vno duce Deo militarunt, non sine stupore totius orbis. Quinque Monachorum millia fuere coloni montis Nitriæ, quibus præerat vnus Presbyter. Pachomius ter mille fratrum Archimandrita in monasterio Tabennesiotarum, Ammon totidem, Serapion decem mille Monachorum Præfectus memoratur: de quo Pallad. Hist. Lausiac. cap. 6. 38. 48. 76. Sozomen. lib. 6. cap. 28. & 31. In Anglia tot extitere Monachi in Bangoriensi cœnobio, vt in septem classes dividerentur, quarum singulæ erant non minus trecentorum virorum suis rectoribus subditæ. Beda lib. 2. Hist. Anglor. cap. 2. Inde congregatio Monachorum quasi Synodus fuit, propter frequentiam & multitudinem, & Cœnobitæ iidem dicti συνοδῖται. Eosdem Synoditas vocat L. *Addictos* C. *de Episcopal. audient.* quos Cœnobitas L. *Addictos*, quæ est eadem C. Th. *de pœn.* Socrat. lib. 4. cap. 18. ἓν πρὸς τοὺς ἐν τοῖς κοινοβίοις ἢ ἐν συνοδίαις μοναχούς. *Vnus ad Monachos qui in cœnobiis & conventibus degunt.* Et Gennad. de viris illustrib. cap. 11. *Composuit & Cœnobitis & Synoditis doctrinam aptam vitæ communi.* Cœnobitæ fuere, vt conjicio ex his locis, quibus vnum fuit tectum, vnum cœnobium: Synoditæ, qui fuere in diversis monasteriis sub eodem Abbate; vtrosque tamen vulgus imperitum promiscue accipiebat. Quidnam de vita Cœnobitica senserint Patres, re, id est, gestis probarunt. Antonius primus post vicennium exactum in eremo, Cœnobium construxit, & fratres congregavit: ac licet postea redierit ad eremum, monasterii curam non abjecit. Athanas. in ejus vit. Et idem Paulo Simplici, vitæ Eremiticæ studio æstuanti, vitam Cœnobiticam suasit, apud Pallad. Histor. Lausiac. cap. 28. εἰ ἄρα θέλεις μοναχὸς εἶναι, εἴσελθε εἰς κοινόβιον πλειόνων ἀδελφῶν, οἵ τινες δύνανταί σου τῆς ἀσθενείας ἀνέχεσθαι.

Si enim vis esse Monachus, ingredere cœnobium ubi sunt complures fratres, qui possunt tuam ferre imbecillitatem. Eodem ingenio Paulus Abbas relicta anachoresi rediit ad cœnobium. Cassianus collat. 19. cap. 2. & 3. Paulo vitam Cœnobiticam suasit Antonius, propter simplicitatem morum & ætatem provectiorem, quæ impatiens videbatur solitudinis. Anachoresis vel Cœnobitica suadetur pro ingenio & ætate cujusque. Cassian. collat. 24. cap. 8. *Non enim quia bona est ἀναχώρησις, universis eam congruam comprobamus. A multis enim non solum infructuosa, sed etiam perniciosa sentitur: nec quia institutionem cœnobiorum, nec curam fratrum sanctam atque laudabilem merito profitemur, idcirco ab universis eam expetendam esse censemus.* Alii Anachoretarum vitam probant fiducia anteactæ probationis in monasterio: Eremitarum vitam damnant propter disciplinæ vacuitatem & periculum prævaricationis proximæ, quæ timenda est ex tædio solitudinis. Ivo Carnot. epist. 192. *Hæc dicens Anachoritarum vitam non improbo, eorum videlicet, qui in cœnobiis regularibus instructi disciplinis ordinabiliter ad eremum secedunt, quibus est solitudo paradisus, & civitas carcer, ut activam vitam de labore manuum viventes exerceant, aut dulcedine contemplativæ vitæ mentem reficiant, fontem vitæ ore cordis sitiant, & eorum quæ retro sunt obliti, ad ea ultra non respiciant. Verum cum quidam ex hac professione in melotis suis vicos, castella, civitates gyrando perlustrent, humilitate vestium, vilitate ciborum merita sua populis ostentant, ambiunt fieri magistri, qui numquam fuerunt discipuli, deprimentes vitam omnium hominum, quia non sunt quod ipsi sunt: hos nec Eremitas computandos intelligo, nec Cœnobitas, sed Gyrovagos, aut Sarabaitas, qui corpus Christi quod est Ecclesia, tamquam ad unum membrum redigunt, &c.*



CAPUT

CAPUT IX.

Monachismi propagatio in Oriente per Basilium, in Occidente per Benedictum. Studium Romanorum Pontificum laudatur in construendis monasteriis, etiam Monachis Græcis.

PRIMUS in Oriente Basilius ex Monacho Episcopus Cæsariensis, Monachos ex eremo transtulit in suam diœcesim, vtilitatis Ecclesiæ causa, & sua in diœcesi varia monasteria instituit, & Monachos quos vocant Cœnobitas, id est, in commune viventes, ibi collocavit, & regulam dedit, quam in hunc diem colunt Monachi S. Basilii, qui non modo in Oriente, sed etiam in Græcia, Italia, Calabria & Sicilia propagati, ea forte occasione, quod pars Italiæ occupata sit à Græcis. Hujus generis est monasterium Cryptæ Ferratæ in agro Tusculano, 12. milliario ab vrbe, quod Monachi Græci tenent in hunc diem, ad quos pertinet cap. *Constitutus* extr. *de Religios. domib.* Hujus monasterii fundator memoratur S. Nilus Abbas, patria Calaber, Martyrolog. Rom. 26. Sept. Paul. Morisus Origin. monastic. lib. 1. cap. 16. Miræus in Chronic. ad ann. 1438. In Occidente ante Benedictum singula monasteria habebant suam regulam, & instituta, & Abbatis manu & propria disciplina potius quam lege regebantur. In Gallia multa monasteria susceperunt regulam Lerynensium Patrum, quæ est eadem, ni fallor, quæ Cæsarii, qui ex Monacho Lerynensi factus est Arelatensis Episcopus; vel Columbani, qui construxit monasterium Luxoviense in Burgundia, & regulam dedit: de quo fusius dicemus infra lib. 4. cap. 2. Benedictus prius in loco, cui nomen Sublacus, quadragesimo ab vrbe Roma milliario, in spelunca solitariam vitam egit per triennium, cum vnico socio, nomine Romano: inde sentiens se non posse diutius ibi latere fama sanctitatis illuscescente, additis fratribus Mauro & Placido, Cassinum (id nomen castro Samnii) se trans-

E

tulit, vbi in editissimo monte monasterium posuit, caput religionis futurum. Leo Ostiens. lib. 1. cap. 1. Paulus Warnefrid. de gest. Longobard. lib. 1. cap. 26. Regino 1. Chronic. 450. Gregor. Dialog. lib. 2. cap. 14. Aimoin. lib. 2. cap. 16. Marian. Scot. ad ann. 561. Benedictus religionis propagandæ causa Maurum in Galliam, Placidum in Siciliam misit. Maurus in Gallia comiter susceptus a Theodeberto Rege, monasterium Glannafolium construxit in pago Andegavensi, adjuvante Floro Vicecomite Andegavensi. Faust. in vita Mauri apud Surium Januar. 14. Aimoin. lib. 2. cap. 25. Orderic. Vital. lib. 8. Post Benedicti obitum everso a Longobardis tunc Italiæ incubantibus, monasterio Cassinensi, fratres vix salvi evaserunt, & Romam secum asportarunt regulam Patris Benedicti, libram panis & mensuram vini; & beneficio Pelagii II. Pontificis, juxta Lateranense Patriarchium monasterium B. Petro sacrum construxerunt. Leo Ostiensis lib. 1. cap. 4. Regin. 2. Chronic. Sigebert. ad ann. 596. Anno 714. Cassinense monasterium a Petronace Abbate instauratum, centum & decem annis ex quo a Longobardis desolatum fuerat. Gregor. Dialog. lib. 2. cap. 17. Regino 2. Chronic. Sigebert. ad ann. 714. Leo Ostiens. lib. 1. cap. 4. Antiquiora monasteria Benedicti regulam & instituta certatim assumpsere, & quæ ab eo surrexere monasteria, sub Benedicti regula constituta sunt, & monasterium Lerynense traditum Cassinensibus. Monasterium S. Medardi Suessionensis à Clothario I. fundatum sub regula B. Benedicti, ex Bulla Joannis III. quæ extat apud Chopinum Monastic. lib. 1. tit. 2. num. 19. & alia fere omnia, quotquot ab eo extitere monasteria. Odilo Abbas Cluniac. in vit. S. Maioli Abbatis: *Processu vero temporis, post transitum videlicet supradicti piissimi Patris, per beatum Maurum ejus discipulum omnis pene Gallia ejus institutionis & religionis suscepit exordium; deinde per eum & eos quos ipse ad justitiam condiit, per plurima temporum spatia eadem religio ad cumulum perfectionis excrevit.* In Gallia Glannafolium monasterium nequitia Gaidulfi Comitis Andegavensis destructum, præcepto Ludovici Pii Fossatensibus Monachis vnitum. Vet. Scriptor. miraculor. B. Mauri cap. 3. Sed postea in Conc. Turonensi habito ab Urbano II. anno

Christi 1096. idem monasterium Fossatensibus ademptum, & Cassinensi cœnobio attributum. Leo Ostiensis Chronic. Cassinens. lib. 4. cap. 18. Idem præterea Pontifex pro negotiis Ecclesiasticis Gallias ingressus, in Turonensi Concilio, vbi ipse præsidebat, monasterium S. Mauri in Glannafolio a Fossatensium monachorum abstractum tyrannide, pristinæ dignitati libertatique restituit, sub magisterio tantum Cassinensis cœnobii perpetuo mansurum. Hac de plaga graves querelæ excitatæ a Fossatensibus, pro quibus apud Paschalem II. intercessit Ivo Carnot. epist. 159. *Conqueruntur enim se in Concilio Turonensi fuisse prægravatos, quoniam ad suggestionem Comitis Andegavensis dicunt fuisse subreptum Domno Papæ Vrbano monasterium S. Mauri, situm in patria Andegavensi, quod sub jure Fossatensis monasterii, antea per trecentos aut eo amplius annos extiterat, de ejusdem monasterii jure auferret, & ordinato ibi Abbate liberum esse constitueret. Quod & factum est, Fossatensibus Monachis jus suum reclamantibus, & multis qui Concilio intererant, aliter sentientibus, cum viderent privilegium, quo nitebantur Fossatenses Monachi, de manibus eorum ab Andegavensibus fuisse ereptum, & in plures partes fuisse conscissum. Adhibitis ergo multorum intercessionibus supplicant prædicti Monachi, vt eorum negotium a majestate vestra legitima discussione retractetur,* &c. In Gallia igitur propagatus est Ordo B. Benedicti per Maurum, in Sicilia per Placidum; in Germania vero per Bonifacium ex Monacho Moguntinum Episcopum, & Legatum Sedis Apostolicæ in Germania, a quo conditum est Fuldense monasterium in Saxonia. Joann. Diaconus vit. Gregor. M. lib. 4. cap. 80. 82. In Anglia per Augustinum & Mellitum Monachos & Missos Gregorii I. a quibus Angli initia fidei simul & Monastices acceperunt. Episcopi a Monachis lecti, & Monachi pro Clericis instituti in plerisque Ecclesiis Episcopalibus, vt patet ex Beda lib. 2. cap. 1. & aliis Scriptoribus Anglicis, & ex cap. *Novit ex. Ne sede vacant. aliquid innovet.* De quo Chronic. Normannor. ad ann. 1151. *Sunt itaque hodie in Gnatia 4. Episcopatus, in Anglia 17. In octo eorum sunt Monachi in Episcopalibus sedibus: hoc in aliis provinciis aut nusquam aut raro invenies; sed in omni Anglia hoc reperitur, quia primi prædicatores Anglorum, scilicet Augustinus,*

Mellitus Iustus, Laurentius, Monachi fuerunt. In aliis octo Episcopalibus sedibus sæculares, in una Canonici regulares. Et Ordericus Vitalis lib. 12. ad ann. 1112. *Angli Monachos, quia per eos ad Deum conversi sunt, indesinenter diligentes honoraverunt, ipsique Clerici reverenter & benigne sibi Monachos præferri gavisi sunt.* Et idem lib. 4. ad ann. 1070. *Augustinus & Laurentius, aliique primi prædicatores Anglorum, Monachi fuerunt, & in Episcopiis suis vice Canonicorum, quod vix in aliis terris invenitur, Monachos pie constituerunt, cœnobia multa & præclara construxerunt, & conversis instituta regularia verbis & exemplis tradiderunt.* Itidem in Sardiniam missi sunt Monachi ab ipso Benedicto, postulante Boresore Sardiniæ Rege. Leo Ostiens. Chronic. Cassinens. lib. 4. cap. 22. Monachos e Cassinensi cœnobio impetravit & Stephanus Ungariæ Rex, per quos genti recens ad fidem conversæ accessit religio monastica. Idem Ostiens. lib. 2. cap. 79. Bonfin. rer. Hungaric. lib. 1. decad. 2. In Orientem penetravit & Ordo Benedictinus; ab Amalphitanis negotiatoribus extructum est monasterium Hierosolymis, consensu Caliphæ Ægyptii, quod dictum est de Latina, quod fundatores Latini erant, quo nomine veniebant omnes Occidentales. W. Tyr. de Bell. sacr. lib. 18. cap. 5. In Gallia, vt eo redeam anno Christi 911. Cluniacense cœnobium in diœcesi Matisconensi fundatum à Bernone Abbate, Guillelmo Pio inde dicto Comite Arvernorum, & Duce Aquitaniæ dotem dicente: de quo auctor vit. S. Genulfi lib. 2. cap. 17. Glaber lib. 3. cap. 5. Perperam Geraldo Aquitanico id tribuit Orderic. Vital. lib. 12. nec felicius Sigebertus Avæ Comitissæ, rejecta fundatione ad ann. 895. Mirum in modum ibi effloruit religio monastica. Petrus Damiani lib. 6. epist. 4. *Cluniacus præterea spiritualis quidam campus est, vbi cælum & terra congreditur, ac velut arena certaminis, vbi spiritualis more palæstræ caro fragilis adversus potestates aereas colluctatur,* &c. Et Petrus Cluniacens. de Miracul. lib. 1. cap. 9. *Est autem Cluniacense monasterium religione, disciplina, severitate, fratrum numerositate, omnique monastici ordinis observatione, toto pene orbe notissimum, singulare ac commune peccatorum refugium, per quod multa inferis damna illata, & regnis cælestibus quamplurima lucra collata sunt. Ibi innumera ho-*

minum multitudines, graves mundi sarcinas ab humeris suis abjicientes, suavi Christi jugo colla submiserunt. Ibi omnium professionum, dignitatum & ordinum personæ fastum luxumque sæcularem in humilem & pauperem Monachorum vitam commutaverunt. Ibi ipsarum Ecclesiarum venerabiles etiam Ecclesiasticorum negotiorum onera fugientes, tutius quietiusque vivere, magisque subesse quam præesse elegerunt. Et paulo post: *Hinc effusa spiritualium virtutum nardo, impleta est tota mundi domus ex odore vnguenti, dum religionis monasticæ fervor, qui illo tempore pene refriguerat, illorum virorum exemplo studioque recaluit. Gallia, Germania, transmarina quoque Britannia hoc testatur. Hispania, Italia, totaque Europa fatetur, plena monasteriis ab eis aut noviter fundatis, aut ab antiquo senio reparatis. Sed quid aliquas mundi partes enumero, cum de nostro vltimo Occidente vsque ad ipsum Orientem fama hæc pervenerit, nec aliquem Christiani orbis angulum latuerit?* Cluniacensibus tanta erat fama eorum vitæ sanctitatis, vltro se adgregarunt quamplura antiquiora monasteria Galliæ. Cœnobio Cluniacensi à Gregorio VII. adunatum est cœnobium Moyssiacense in finibus Cadurcorum in Aquitania, quod fundationem repetit a Clodoveo, vt observavi ex rescripto Paschalis II. ad Hugonem Abbatem Cluniacensem, quod edidit Quercelanus in Bibliotheca Cluniacensi, & ex Registro ipsius Gregorii VII. lib. 9. epist. 29. qua emendatio Monachorum Moyssiacensium tamquam subditorum rejicitur ad Abbatem Cluniacensem, ob ereptam certam Ecclesiam Canonicis D. Saturnini Tolosæ. *Conqueruntur & super Monachis Moiacensibus, qui quandam Ecclesiam, vnde interpositus sacrosanctis Evangeliis, secundum judicium Legati nostri Amati Ellorensis Episcopi; (is erat Legatus Sedis Apostolicæ in Aquitania) collaudantibus aliis Episcopis qui aderant, lis inter eos determinata fuerat, iterata deterius injuria per vim Comitis W. datis, vt fertur, muneribus, occupatam detinere nituntur. Et mox de Monachis tamen, quoniam Cluniacensi Abbatiæ pertinent, ipsi venerabili Abbati inprimis notificandum censemus, vt ipse insolentiam subditorum suorum compescat, & justitiæ acquiescere, si forte noluerint, compellat.* Falso id Urbano II. tribuit vetus scheda monasterii Moysiacensis, quæ apud me est: quæ tamen hoc loco omittenda non est, pro-

pter multa singularia, quæ ibi feruntur concessa esse Abbati Moysiacensi, in gratiam vnionis & subjectionis. Quod iste Dominus Urbanus olim Monachus Cluniacensis submisit monasterium Moysiaci Cluniacensi monasterio, licet monasterium Moysiacense sit antiquius, &c. *Cum Dominus Vrbanus dicit in Bulla sua, quod tempore suo monasterium Moysac. fuit reparatum per Abbatis Cluniacensis industriam; Abbas autem Moysiacensis multa insignia habet in monasterio Cluniacensi in primo adventu suo: nam incarceratos omnes relaxat tam monasterii quam castrorum; tenet etiam capitulum secunda die, in quo magnam habet potestatem; eadem honorifice & processionaliter ex aliis Monachis Cluniacensibus claves castrorum recipit, & multa alia facit.* Per idem tempus & novum monasterium Pictaviense traditum Cluniacensibus. Chronic. Malleacens. ad ann. 1075. *Eodem anno donatum est monasterium novum, quod est Pictavis, Hugoni Abbati Cluniacensi: in quo cœnobio primum Abbatem Guidonem constituit Monachis ibidem Deo servientibus.* Cluniacenses in Majori monasterio Turonensi instituit Odo Comes Campaniæ, Turonum suggerente Hermengardi vxore sua pulsis Clericis sæcularibus. Anonym. de gest. Episcop. Turon. & Abbat. Major. monaster. *Nec modo per Galliam palmites suos dilatavit Cluniacum, sed & in Hispaniam & alias regiones.* Ab Alphonso VI. Rege Castellæ acciti Cluniacenses, vt religionem monasticam fere extinctam in Hispania diutina incubatione Sarracenorum restituerent: Bernardum olim Monachum S. Orientii Auxitani, oriundum ex oppido Salvitatis apud Aginnenses, cum aliis fratribus misit Hugo Abbas Cluniacensis, qui primum fuit Abbas S. Facundi, postea Archiepiscopus Tolosanus. De quo Roderic. Tolet. lib. 6. cap. 25. Marian. lib. 9. cap. 17. In Orientem vsque penetrarunt Cluniacenses: Prioratui Caritatis Cluniacensis Ordinis monasterium Civitot dictum, in suburbio civitatis Constantinopolitanæ, concessit Imperator CP. Petrus Cluniacens. libro 2. epist. 59. ad Calojoannem Imperatorem: *Fecit hoc inter egregios Principes recensendus Alexius pater vester.* Et paulo post: *Inter quæ Cluniaco monasterio omnibus Latinis Regibus & gentibus notissimo, eique subdito magno & religioso loco, qui Charitas dicitur,*

monasterium juxta ipsam regiam civitatem, quod Civitot vocatur, dedit, & in perpetuum Abbatis Cluniacensis & Prioris de Charitate obedientiæ subjecit, &c. Nec tacendum hoc loco memorabile studium Romanorum Pontificum in propagandis & curandis monasteriis. Constitutum Innocentii I. de regulis monasteriorum laudat Anastasius in ejus vita: *Hic constitutum fecit de omni Ecclesia & de regulis monasteriorum.* Præter infinita monasteria, quæ struxerunt & dotarunt Romani Pontifices, etiam Monachis Græcis monasteria posuere Paschalis I. & Leo IV. De Paschali testatur Anastas. in ejus vita: *Construxit in eodem loco a fundamentis cœnobium, quod & nomine sanctæ Praxedis Virginis titulavit, in qua & sanctam Græcorum congregationem aggregans, quæ die noctuque Græcæ modulationis psalmodiæ laudes omnipotenti Deo Sanctisque illius ibidem quiescentibus sedulo persolveret, introduxit.* De Leone IV. idem in ejus vita: *Mox autem ipse almificus Pontifex superno nutu compunctus monasterium, quod nunc sancti vocatur Stephani, & Cassiani restaurans muneribus ac divitiis locum plenissime perornavit.*



CAPUT X.

Agnatio variorum Ordinum, Camaldulensium, Grandimontensium, Cartusianorum, Cistercienfium. Cistercienses albo colore distincti a Benedictinis. Cisterciensibus aggregantur varia monasteria Benedictina. Propagatio Cisterciensium.

MULTIS sæculis Monachi SS. Basilii & Benedicti soli orbem implerunt, & quasi diviso inter se orbe imperium Dei in terris tenuerunt: sed tandem e multitudine Monachorum nata est diversitas Ordinum. Jam olim quidem Monachi vario vitæ genere & exercitationum discrimine gaudebant, nec istud a vera religione alienum erat. Variæ sunt viæ, quibus ad Deum pervenitur; & hoc est quod signavit Propheta regius Psalm. 127. *Qui ambulant in viis*

ejus. Ubi Chrysostomus: Non dixit via, inquit, sed viæ, ostendens non vnam esse, sed multas quibus ad Deum pervenitur, vt earum multitudine faciliorem nobis faceret ingressum: *τῇ ἀφθονίᾳ τὰς ὁδοιπορείας εὔκολον ποιῶν ἡμῖν εἴσοδον.* Eodem spiritu Ecclesia, quæ est sponsa Christi, gaudet videri coram sponso versicolori veste ornata, Psalm. 44. *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Non sine stupore spectabat orbis tot genera Monachorum, fideles movebat hujusmodi spectaculum ad pietatem, infideles ad fidem; & hi qui spiritualia sapiebant, varium hoc vitæ monasticæ schema Deo acceptius esse affirmabant. Theodoritus de vit. Patrum cap. 26. *καὶ ὥσπερ οἱ βασιλεύειν τῶν ἀνθρώπων λαχόντες ἀμείβουσι κατά τινα χρόνον περίοδον τὰς τῶν νομισμάτων εἰκόνας, ποτὲ μὲν λεόντων ἐκτυποῦντες ἰνδάλματα, ποτὲ δὲ ἀστέρων καὶ ἀγγέλων, ἄλλοτε τῷ ξένῳ χαρακτῆρι τιμιώτερον ἀποφαίνειν πειρώμενοι τὸν χρυσόν· οὕτως ὁ τῶν ὅλων παμβασιλεὺς οἷας χαρακτῆρας τὰς καινὰς ταύτας καὶ παντοδαπὰς πολιτείας τῇ εὐσεβείᾳ περιτιθεὶς, οὐ μόνον τῶν τροφίμων τῆς πίστεως, ἀλλὰ καὶ τῶν τὴν ἀπιστίαν νοσούντων εἰς εὐφημίαν τὰς γλώττας κινεῖ. Et quemadmodum qui apud homines imperium obtinent, per temporum intervalla nummorum imagines mutant, leonum interdum effigiem imprimentes, interdum stellarum & angelorum, interdum novo charactere pretiosius aurum reddere conantes: sic universorum Rex tamquam characteres quosdam novas istas diversasque vitæ rationes pietati adjiciens, non fidei alumnorum tantummodo, sed incredulitate quoque laborantium linguas ad laudandum excitat.*

Hactenus tamen vnus & alter erat Ordo Monachorum, nimirum SS. Basilii & Benedicti: verum posteriore excrescente in millia Monachorum, & ex turba intepescente observantia districtiori regulæ, non sine numinis providentia factum est, vt e lapsu Benedictini Ordinis surrexerint varii Ordines, qui diverso schemate regulam sancti Benedicti pene deficientem excitarunt, vt Camaldulenses, Cistercienses, & alii quos recensere par est. Anno Christi 1012. a beato Romualdo instituti sunt Camaldulenses Eremitæ sub regula sancti Benedicti, & Camaldulense monasterium, quod est caput Ordinis, fundatum in diœcesi Aretinæ: de quo Petrus Damiani in ejus vit. Sigovius de regno Italiæ lib.

libro 8. Bernardus epist. 126. Gloss. in cap. *Cum monasterium* extr. *de Elect.* Joannes Andreas in cap. *Sane* extr. *de Regularibus.* Anno Christi 1080. Stephanus de Mureto in monte de Mureto gentilitii dominii monasterium quoque condidit sub regula sancti Benedicti, quod post ejus decessum translatum est in locum Grandismotis, à quo nomen acceperunt Grandimontenses Monachi, quos propter vitæ simplicitatem vulgus Bonos-homines appellavit. Stephanus Tornacensis epist. 1. de Grandimontensibus: *Hominibus placent, & servi Christi sunt, Boni-homines appellantur.* Et infra: *Si ab eis quæsieris cujus Ordinis sunt, respondent: Peccatores sumus. Si ab aliis, Bonos-homines esse dicunt: nam & in provincia sua unde originem habent, ubi est caput & sedes eorum, cellulæ ipsorum Bono-homine appellantur.* Anno 1084. initium cepere Cartusiani fundatore Brunone Canonico Coloniensi, a quo extructum est monasterium in eremo in finibus Delphinatus juxta Gratianopolim, quod est caput totius Ordinis Cartusiani, & sedes generalis ejusdem Ordinis: de quo Bernardus epist. 11. 126. & 153. Petrus Cluniacensis libro 6. epistola 12. Cap. *Per tuas de simon.* Cap. *Sicut & homicid.* Capite 2. §. *Statuimus de decim.* in 6. Anno Christi 1098. Robertus Molismensis Abbas in Burgundia, studio restituendæ observantiæ regulæ & disciplinæ Benedictinæ, quæ jam opum affluentia & multitudine Monachorum dilabi cœperat, Cisterciense monasterium in diœcesi Cabillonensi fundavit sub regula sancti Benedicti. Sigebertus anno Domini 1098. *Robertus Abbas Molismensis monasterium Cisterciense instituit, auctoritate & consensu Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis, & Sedis Apostolicæ Legati, & Walterii Cabillonensis Episcopi, & Odonis Burgundiæ Ducis; & præfatus Abbas Robertus virgam pastoralem suscepit ab Episcopo Cabillonensi.* Idem Ordericus Vital. lib. 8. ad ann. 1098. & Cæsarius de Miracul. lib. 1. cap. 1. Petrus Cellensis lib. 7. epist. 14. Extunc Congregatio Cisterciensis late suos palmites extendit. Hujus initia illustravit Bernardus, postea Clarevallensis Abbas & fundator. Primariæ Cistercii propagines fuere Firmitas, Pontiniacum, Clarevallis, Moribundus. Cæsarius loco modo laudato: *Extunc cœpit vinea illa Domini Sabaoth crescere ac*

De Grandimontensibus Vincent. Belvacens. Specul. Hist. lib. 26. cap. 46. & seqq.

dilatari, atque palmites suos extendere a mari vsque ad mare, & impleta est terra possessione ejus. Primæ ejus propagines Firmitas, Pontiniacum, Claravallis, Morimundus. Istarum quatuor domorum Abbates tantæ auctoritatis sunt, vt Abbatem Cisterciensem visitent simul, & singillatim ab eo versa vice visitentur. Paucis annis tot monasteria Cisterciensium surrexere in Gallia, Anglia, Germania & aliis regionibus, vt statuto Capituli Cisterciensis anni 1155. modus impositus sit, ne plura ædificarentur. Matthæus Parif. ad hunc annum: *In Capitulo Cisterciensi statutum est, ne de cætero aliqui novam construerent Abbatiam, quia numerus Abbatiarum illius Ordinis vsque ad quingentas excrevit.* Nec modo novis monasteriis Cistercienses aucti sunt, sed & accessione antiquiorum monasteriorum Benedictini Ordinis, quæ studio perfectioris vitæ passim vltro sese adgregabant Cisterciensi Ordini. Vita D. Bernard. libro 2. cap. 8. *E diversis etiam regionibus odore religionis illius vbique diffuso, fratres ad fundanda monasteria invitantur; fundata quoque & statuta ditioni ejus sese subjiciunt, & arctioris ineunt regulas disciplinæ.* Sic Grandis-Sylvæ monasterium, quod est in pago Tolosano, aggregatum Clarevallensi. Bernardus epist. 241. ad Tolosanos: *Sit vobis commendatus lator epistolæ venerabilis Abbas Grandis-Sylvæ, & domus ejus quæ vt nostra est, nuper nobis & nostro Ordini ab ipso tradita, & Ecclesiæ Clarevallis specialiter associata.* Inde secutum est vt Cisterciensem Ordinem professi, id est, qui per aggregationem facti erant Cisterciensis Ordinis, eodem jure censerentur & privilegio decimarum, aliisque juribus Cisterciensis Ordinis vterentur, modo regulæ districtionem servarent. Cap. *Cum ordinem* extr. *de rescript.* cap. *Cum dilectus de his quæ vi metusve causa fiunt.* cap. *Recolentes de statu Monach.* Tanta etiam fuit fama Clarevallensium, vt in Ordine Cisterciensi propriam familiam duxerint, quæ per vniversum orbem feliciter propagata est auspiciis Bernardi primi Clarevallensis Abbatis, vt ostenditur in ejus vita lib. 1. cap. 13. *Jam domus Ordinis illius, filiæ domus ipsius citra & vltra Alpes & maria, deserta plurima impleverunt, & adhuc sunt, & quotidie confluunt, quibus locus quærendus est. Et petuntur vndique fratres & mittuntur, cum beatos se æstiment Reges gentium*

& Præsules Ecclesiarum, civitates & regiones, quæcumque de domo illa & disciplina viri Dei meruerint contubernium aliquod adipisci. Et intra: *Hoc vsque nunc egerunt & quotidie agunt mirificæ ejus capturæ Catalaunensis, Parisiacensis, Moguntia, Leodiensis, & aliarum nonnullarum civitatum: Flandriæ quoque & Germaniæ, Italiæ, Aquitaniæ, & aliarum regionum, quascumque quacumque necessitate contigit aliquando, seu adhuc vsque hodie contingit virum Dei visitare.* Guillelmus Neubrigensis rerum Anglicarum lib. 1. cap. 15. *Sane paulo ante a nobili viro Walterio Espec, & a felicis memoriæ Abbate Bernardo directi Monachi Clarevallenses Eboracensem provinciam venerant, & in loco qui nunc dicitur Brevallis (tunc autem erat locus horroris & vastæ solitudinis) mansionem acceperant, præfato viro tradente, & venerabili Trustino Episcopalem cum affectu paterno favorem præbente.* Petrus Abbas Cellensis lib. 8. epist. 9. *Certe, vt credo, aut nullas filias in terris habet Ecclesia, quæ est mater nostra, aut in Clarevallensi cœnobio quotidie parturit, & maternis vberibus alit matrissantes filias.*

Benedictinorum vestis nigra, Cisterciensium alba: inde inter Benedictinos & Cistercienses nata æmulatio, quasi Cistercienses vestis candore meliores & puriores videri vellent. Petrus Cluniacensis libro 1. epistola 28. ad Bernardum Clarevallensem: *Et vos sancti, vos singulares, vos in vniverso orbe vere Monachi, aliis omnibus falsis & perditis, secundum nominis interpretationem, solos vos inter omnes constituitis: unde & habitum insolitum coloris prætenditis, & ad distinctionem cunctorum totius fere mundi Monachorum, inter nigros vos candidos ostentatis. Et certe hæc vestium nigredo antiquitus humilitatis causa a Patribus inventa, cum a vobis rejicitur, meliores vos ipsis candorem inusitatum præferendo indicatis.* Ordericus Vitalis lib. 8. ad annum 1094. *In saltibus & campestribus passim construuntur cœnobia, novisque ritibus variisque schematibus trabeata peragrant orbem cucullatorum examina: albedine in habitu suo præcipue vtuntur, qua singulares ab aliis notabilesque videantur. Nigredo in plerisque locis sanctæ Scripturæ humilitatem designat, quem idcirco colorem religiosorum fervor hactenus gratanter gestat; nunc autem nigredinem, qua prisci patres, tam regulares Clerici in cappis, quam Monachi in cucullis, ob humilitatis specimen vsi sunt, moderni tamquam ob*

majoris justitiæ ostentationem abjiciunt : insuſitata quoque pannorum ſectione ſuorum ab aliis diſcrepare appetunt. Et Petrus Cellenſis in prædict. epiſt. ſcripta ad Albertum Cancellarium Eccleſiæ Romanæ pro Clarevallenſibus : *Forte dicitis quid ad ſe de Clarevallenſibus, cum Samaritani non contantur Judæis, & nigra Æthiopiſſæ facies & veſtis differat ab illa veſte & facie, quæ apparuit Apoſtolis in transfiguratione Domini.* Anno 1117. Robertus de Arbriſellis, alias de Arbuſculo, inſtituit Ordinem Fontis Ebraldi ſub regula ſancti Benedicti, & in eremo Fontis Ebraldi apud Pictones extruxit cœnobium Virginum, quod eſt caput totius Ordinis, & paret Abbatiſſæ, quæ eſt princeps totius Ordinis: de quo Guillelmus Neubrigenſis rerum Anglicarum lib. 1. cap. 15. *Eodem tempore Robertus de Arbuſculo monaſterium Sanctimonialium de Fonte Ebraudi conſtruxit, & regularibus diſciplinis informavit.* Monaſterium exemptum a juriſdictione Epiſcopi Pictavienſis, & immediate ſubjectum Sedi Apoſtolicæ : de cujus exemptione tuenda adverſum Epiſcopum Pictavienſem, qui profeſſionem exigebat ab Abbatiſſa, ſcripſit Petrus Cellenſis libro 1. epiſt. 3. ad Alexandrum III. *Prædeceſſorum veſtrorum privilegiis & beneficiis Abbatiam Fontis Ebraldi ſublimatam & communitam, ubique divulgatum & notum eſt in partibus noſtris. Epiſcopus autem Pictavenſis, cum rigare debuiſſet, & favere plantationi dextræ Dei & veſtræ, nititur libertatem hujus Eccleſiæ diminuere, & cogit profeſſionem ſibi & obedientiam promittere, quam ſibi Sedes Petri retinuit.* Hac ætate valde refloruit religio monaſtica agnatione variorum Ordinum, reparato ſenio Ordinis Benedictini. Arnulfus Lexovienſis epiſt. ad Alexandrum III. de Innocentio II. ejus deceſſore : *Memini ego quantum in diebus ejus religio munda & immaculata profecerit, adeo ut plures hodie religioſorum deſerta contineant, quam ferarum olim habuerint beſtiarum.*



CAPUT XI.

Quadriga Ordinum Mendicantium. Fratres Prædicatores, Fratres Minores, Carmelitæ, Augustiniani.

A veteri disciplina labentibus Benedictinis & Cisterciensibus, subortum est novum genus Fratrum Mendicantium, vt damnum religionis, quod ex affluentia opum & possessionum contigerat, remedio paupertatis sarciretur. Hujus instituti principes fuere Dominicus natione Hispanus, & Franciscus Assisio oriundus. Ordinem Prædicatorum instituit Dominicus, Fratrum Minorum Franciscus. Utrumque Ordinem confirmavit Innocentius III. rejectis Humiliatis & Pauperibus de Lugduno. Abbas Urspergens. in Chronic. ad ann. 1212. *Eo tempore mundo jam senescente, exortæ sunt duæ religiones in Ecclesia, cujus vt aquilæ renovatur juventus, quæ etiam a Sede Apostolica sunt confirmatæ, videlicet Minorum Fratrum & Prædicatorum, quæ forte hac occasione sunt approbatæ, quia olim duæ sectæ in Italia exortæ adhuc perdurant, quorum alii Humiliatos, alii Pauperes de Lugduno se nominabant, quos Lucius Papa quondam inter hæreticos scribebat, eo quod superstitiosa dogmata & observationes in eis reperirentur.* Et infra: *Cæterum Dominus Papa in loco illorum exurgentes quosdam alios, qui se appellabant Pauperes Minores, confirmavit, qui prædicta superstitiosa & probrosa respuebant, sed præcise nudis pedibus tam æstate quam hieme ambulabant, & neque pecuniam, neque quicquam aliud præter victum accipiebant, etsi aliquando vestem necessariam quisquam ipsis sponte conferebat: non enim quicquam petebant ab aliquo. Hi tamen postea attendentes, quod nonnumquam nimiæ humilitatis nomen gloriationem importet, & de nomine paupertatis cum multi eam frustra sustineant, apud Deum vanius inde glorientur: maluerunt appellari Minores Fratres quam Minores Pauperes, Apostolicæ Sedi in omnibus obedientes. Alii, videlicet Prædicatores, in locum Humiliatorum successisse creduntur. Humiliati quippe nulla habita auctoritate aut licentia Prælatorum, mittentes falcem in messem alienam, populis*

Antonin. part. 3. tit. 24. cap. 7.

prædicabant, & vitam eorum plerumque regere satagebant, & confessiones audire, & ministeriis Sacerdotum derogare, quæ volens corrigere Papa, Ordinem Prædicatorum instituit & confirmavit, &c. De Fratribus Minoribus Matth. Paris. ad ann. 1208. *Sub his diebus Prædicatores, qui appellati sunt Minores, favente Papa Innocentio subito emergentes terram repleverunt, habitantes in urbibus & civitatibus denis & septem, nihil omnino possidentes, de Evangelio viventes, in victu & vestitu paupertatem nimiam præferentes, nudis pedibus incedentes, maximum humilitatis exemplum omnibus præbuerunt*, &c. Dominicum tamen ab Innocentio III. repulsum, sed Pontificem in somnis visu admonitum Dominici Lateranensem basilicam ruentem humeris sustentantis, de confirmando ejus instituto apud se constitutum in animo habuisse; sed eo morte prævento, Honorium III. proximum ejus successorem, rem perfecisse, narrat Martin. Polonus ad ann. 1216. Hic Honorius primo anno Pontificatus sui Ordinem Prædicatorum confirmavit, beato Dominico, natione Hispano, ejusdem inventore, procurante. Nam Innocentius Papa, qui durus sibi in hoc fuerat, visione habita quomodo beatus Dominicus Lateranensem Ecclesiam cadentem humeris sustentasset, confirmare voluit: sed morte præventus non potuit. Ordinem Fratrum Minorum confirmavit & Gregorius IX. auctore eodem Polono. Ordinem Carmelitarum, olim accolarum montis Carmeli, confirmavit idem Gregorius, ex eodem Polono. Jam a temporibus Innocentii III. tamen noti fuere Carmelitæ, jam e Carmelo pulsi ob feritatem barbarorum, & felici clade sparsi per vniversum orbem, & Eremitæ sancti Augustini. Utriusque Ordinis institutionem Concilium Lateranense præcessisse agnovit Gregorius X. in Concilio Lugdunensi cap. vnic. §. *Sane de Religios. domibus* in 6. quod de Eremitis sancti Augustini probat cap. *Insinuante* extr. *Qui Clerici vel voventes matrimon. contrah. poss.* Carmelitarum Ordinem cœpisse ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano anno Christi 1203. refert Wernerus in fascicul. tempor. *Albertus Patriarcha Hierosolymitanus Ordinem Carmelitarum instituit in monte Carmelo.* Perperam ad annum 1286. initia hujusce Ordinis rejicit Auctor Paralipo-

menon Abbat. Urspergens. *Anno Domini* 1286. *Carmelitarum Ordo cœpit primum ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano.* Ordo vero Eremitarum sancti Augustini institutum memoratur anno Christi 1204. a quodam Guillelmo Parisiensi Scholari, qui secessit in eremum, & multos discipulos congregavit. Augustinianum primus probavit Innocentius III. post eum Honorius III. Ordinem ampliavit Innocentius IV. & post eum Alexander IV. conjunctis aliis Eremitis, qui diversis titulis censebantur: de quo Antoninus in Chronic. part. 3. tit. 24. capite 14. §. 3. & Paul. Langius in Chronic. Cityzens. ad ann. 1256. Cum autem jam intelligeret Innocentius III. Ecclesiam turba religionum maxime mendicantium laborare, his modum imposuit in Concilio Generali Lateranensi, dicta lege ne deinceps nova quæpiam religio admitteretur, cap. vltim. extr. *de Religios. domibus*, quod repetitum est Concilio Lugdunensi cap. vnic. eodem tit. in 6. quo res redacta est ad quatuor Ordines Mendicantes, Prædicatores scilicet, Fratres Minores, Eremitas sancti Augustini, & Carmelitas. Nihilominus post hæc tot alii Ordines surrexere, vt inter eos graves rixæ orirentur, & plebem onerarent. De quo querebatur Matthæus Paris. ad annum 1258. *Universitas insuper Parisiaca per Prædicatores & Minores non mediocriter est perturbata; tot autem Ordines exorti sunt, quod hi hos & e converso supplantant: nec sufficit, vt consuevit, populus eos plebeiis eleemosynis sustentare.*





CAPUT XII.

Origo, propagatio, & restitutio Canonicorum Regularium.

LICET de Monachis opus institutum sit, tamen de Canonicis Regularibus hoc loco dicere parergon non erit, quia hi cum Monachis eodem fere jure censentur, propter vsum consimilem vitæ communis, cujus exemplum dedere Monachis, & quæ est insigne perfectionis Evangelicæ: qua de causa Canonici Regulares appellantur Monachi. Arnold. Abbas Lubec. Supplem. Helmod. lib. 2. cap. 26. *Quamvis plerique Canonicorum sancte & juste vivant, Monachus tamen nomen est summa sanctitatis, & huic nomini nihil perfectius deesse debet; sed hoc paucorum est. Inde est quod sæculares ignorantes discretionem Ordinis Monachorum & Canonicorum Regularium, ipsos Canonicos Monachos appellare consueverunt.* Monachos Canonicos vocat Anast. in Gregor. IV. *Monasterium a fundamentis statuit, in quo etiam Monachos Canonicos aggregavit.* A cunabulis Ecclesiæ & multis post sæculis Clerici cujusque Ecclesiæ in commune vivebant, quibus erat vna mensa, vnum tectum, vnum conclave. De Clericis Rhinocorurensis Ecclesiæ quæ est in Ægypto, testatur Sozomen. lib. 6. cap. 31. *κοινὴ δέ ὅςι τοῖς αὐτόθι κληρικοῖς οἴκησίς τε ϗ τράπεζα, ϗ τ' ἄλλα πάντα. Clericis illius Ecclesiæ communis habitatatio & mensa, & alia denique omnia.* Idem Nicephor. lib. 11. cap. 38. Hac de causa dicti sunt *κανονικοί*. Basil. 1. ad Amphiloch. cap. 5. quod essent descripti *ἐν τῷ κανόνι*, Conc. Nicen. can. 17. in canone, id est, in matricula seu tabula Clericorum in commune viventium. Unde si quis Clericus deprehenderetur habere proprium, nomen ejus expungebatur de tabula seu albo Clericorum, & e societate Clericorum removebatur. Augustin. sermone 2. de vita communi Clericor. *Quisquis inventus fuerit habens proprium, non illi permitto, vt inde faciat testamentum; sed delebo eum de tabula Clericorum.* Can. *Nolo* 12. quæst. 1. Et hoc est quod prius dixit serm.

ſerm. 1. ejuſdem argumenti: *Recte illi tollerem Clericatum*, id eſt, communionem vitæ Clericorum; quæ eſt quaſi Clericatus, quia eſt propria Clericorum. Defervescente zelo religionis, necnon vitæ communione ad impoſſibile redacta propter nimiam multitudinem Clericorum, confuſionis & diſcordiæ vitandæ cauſa, Clerici ſeorſim quidem habitarunt, ſed ſportulas ſeu annonas menſurnas, id eſt, menſtruas, ab Eccleſia acceperunt. Cyprian. epiſt. 28. *Interim ſe a diviſione menſurna tantum contineant, non quaſi a miniſterio Eccleſiaſtico privati eſſe videantur, ſed ut integris omnibus ad noſtram præſentiam differantur.* Et idem epiſt. 34. *Cæterum Presbyterii honorem deſignaſſe nos illis jam ſciatis, ut & ſportulis iiſdem cum Presbyteris honorentur, & diviſiones menſurnas æquatis quantitatibus partiantur.* Unde Fratres Sportulantes dicti ſunt, qui ſportulas accipiebant, retenta appellatione fratrum, memoria antiquæ communionis, cujus imago remanebat in erogatione ſportularum, quæ fiebat ex ærario Eccleſiæ. Idem epiſt. 66. *Sed in honore Sportulantium Fratrum tamquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & ſacrificiis non recedant.* Communitatem Clericorum jam fere exoletam & deſuetudine ſublatam in Africa reſtituit magis quam inſtituit Auguſtinus: poſtquam enim Epiſcopus Hipponenſis factus eſt, ne eſſet ſine fratrum ſolatio & teſtimonio, in domo Epiſcopali monaſterium Clericorum congregavit. Teſtis ipſe de ſe ſermon. 1. de vit. commun. Clericor. *Perveni ad Epiſcopatum, & vidi neceſſe habere Epiſcopum exhibere humanitatem aſſiduam quibuſque venientibus ſive tranſeuntibus. quod ſi non feciſſem, Epiſcopus inhumanus diceretur. Si autem conſuetudo iſta in monaſterio permiſſa eſſet, indecens eſſet: & ideo volui habere in iſta domo Epiſcopi mecum monaſterium Clericorum.* Idem ante Epiſcopatum cum Presbyter factus eſt, monaſterium in Eccleſia in qua ordinatus erat, id eſt, juxta Eccleſiam, inſtituit, de quo meminit Auguſtin. loco modo laudato, & Poſſid. in vit. Auguſtin. cap. 5. *Factus ergo Presbyter monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſervis vivere cœpit ſecundum modum & regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam: maxime ut nemo quicquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed omnibus eſſent omnia communia, & diſtribueretur unicuique prout cuique opus*

erat. Illud idem est monasterium, quod a se conditum in horto Valerii post Presbyteratum testatur ipse Augustin. sermon. 1. de vit. commun. Clericor. *Apprehensus & Presbyter factus, per hunc gradum perveni ad Episcopatum. Et quia hic disponebam esse in monasterio cum fratribus, cognito instituto & voluntate mea, beatæ memoriæ senex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc est monasterium. Cœpi boni propositi fratres colligere,* &c. Prius illud monasterium fuisse Monachorum inde colligitur, quod monasterium simpliciter dixit; posterius vero monasterium Clericorum distinctionis causa. Ac ne dubites Augustinum prius monasterium instituisse, & monachicham vitam elegisse, Augustinus ipse Donatistas valde infensos habuit, quasi esset auctor monastici instituti in Africa. Testatur ipse de se lib. 3. contra Petilianum cap. 40. *Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem monasteriorum & Monachorum, arguens etiam me quod hoc genus vitæ a me fuerit institutum,* &c. Idemque in Psalm. 132. *Quid ergo dicunt illi, qui vobis de nomine Monachorum insultant,* &c. Augustini exemplo Prosper ejus discipulus & Rhegiensis Episcopus Clericos Regulares in Ecclesia sua instituit, quod ipse insinuat lib. 2. de vit. contemplativ. cap. 16. *Hæc sunt propter quæ non explendis voluptatibus ac fovendis, sed congregandis fratribus aut alendis expedit facultates Ecclesiæ possidere, ut uno sollicitudines omnium in sua societate viventium sustinente, omnes qui sub eo sunt, fructuosa vacatione potiantur spiritualiter & quiete.* Anno Christi 496. Gelasius I. Rom. Pontifex Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini propagavit in Italia, & in Basilica Lateranensi eos collocavit, in qua per multa sæcula claruerunt Onufrius Pannin. in Chronic. ex archivo Lateranensi, & Genebrardus. In Ecclesia Turonensi in Gallia mensam Canonicorum instituit Baudinus ex Quæstore Clotharii Regis Turonensis Episcopus: de quo Gregor. Turonens. lib. 10. cap. 30. *Hic instituit mensam Canonicorum.* In aliis plerisque & Ecclesiis Galliarum instituti sunt Canonici in commune viventes, inter quos usum vitæ communis forte jam solutum restituit Conc. Turonense III. jussu Caroli Magni congregatum can. 23. *Canonici & Clerici civitatum qui in Episcopiis conversantur, consideravimus ut in claustris*

habitantes simul omnes in vno dormitorio dormiant, simulque in vno reficiantur refectorio, quo facilius possint ad horas canonicas celebrandas occurrere, ac de vita & conversatione sua admoneri & doceri, &c. quod repetitur & can. seq. Et Conc. Meldense habitum sub Carolo Calvo can. 53. *Vt Canonici in civitate vel monasteriis, sicut constitutum est, in dormitorio dormiant, & in refectorio comedant, & in domo infirmorum necessario subleventur*, &c. In Hispania jam fere desierat vsus vitæ communis inter Canonicos majorum Ecclesiarum: junioribus Clericis tantum indicta vita communis; de senioribus nihil actum. Cônc. Tolet. IV. can. 23. *Ob hoc constituere oportuit, vt si qui in Clero impuberes aut adolescentes existunt, omnes in vno conclavi atrii commaneant, vt lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem & magistrum disciplinæ & testem vitæ habeant.* Can. *Omnis ætas* 12. qu. 1. In Italia vsum vitæ communis Clericorum restituere etiam Eugenius II. & Leo IV. quorum constitutiones in vnam conflatæ, in can. *Necessaria* 12. quæst. 1. *Necessaria etenim res exigit, vt juxta Ecclesiam claustra constituantur, in quibus Clerici disciplinis Ecclesiasticis vacent: itaque omnibus vnum sit refectorium ac dormitorium, seu cæteræ officinæ ad vsus Clericorum necessariæ.* Anno Christi 1062. Canonicos Regulares Romæ Lucas, & aliis locis in Italia restituit Alexander II. Pontifex, ante Lucensis Episcopus. Teste Onufrio Panninio in Chronic. in Gallia Ordo Canonicorum Regularium S. Augustini instauratus in Ecclesia S. Quintini Belvacensis ab Ivone ejusdem Ecclesiæ Præposito, postea Carnotensi Episcopo, anno Christi 1078. Sigebertus: *Ab hoc tempore cœpit reflorere in Ecclesia beati Quintini Belvacensi Canonicus Ordo, primum ab Apostolis, postea a beato Augustino Episcopo regulariter institutus, sub magistro Ivone venerabili ejusdem Ecclesiæ Præposito, postea Carnotensium Episcopo.* Idem Vincent. Belvacens. lib. 26. cap. 51. Antonin. part. 2. tit. 9. cap. 8. §. 2. & 3. Volaterran. lib. 21. Naucler. vol. 2. generat. 37. Ante Ivonem in Gallia Canonici in commune viventes nesciebant regulam beati Augustini, sed vtebantur regula collecta ex sententiis Patrum, vt patet ex Conc. Aquisgranensi in Præfat. & Ademaro, ita vt regulam S. Augustini in

Canonicis Galliarum magis institutam quam restitutam fuisse dicendum sit. Inde in Gallia valde floruit Ordo Canonicorum Regularium S. Augustini, de quo multa Jac. a Vitriac. Occident. Hist. lib. 2. cap. 21. Et in omnibus Ecclesiis Galliæ instituti fuere Canonici Regulares. De Burdegalensi & Tolosana probatur ex cap. *Præterea de Præbend.* vbi Archidiaconus quidam in Burdegalensi simul & Tolosana Ecclesia regulariter professus, & in vtraque Archidiaconatu donatus, jubetur alterum, vtrum maluerit; dimittere. Carcassonenses Canonicos fuisse Regulares testis est Petrus Vallissernens. Hist. Albigens. cap. 16. *Nec silendum quod cives Carcassonenses pessimi & infideles refectorium & cellarium Canonicorum Carcassonensium, qui erant Canonici Regulares, ipsa etiam stalla Ecclesiæ, quod execrabilius est, destruxerunt, vt muros civitatis inde munirent.* Albiensem Ecclesiam tenuere Canonici Regulares, donec Bonifacius VIII. ex caussis quæ satis notæ sunt, eam sæcularitate donavit anno Christi 1297. de quo Rebuff. in Prax. part. 1. tit. *De erect. Eccles. in sæcular.* Aniciensis quoque Ecclesia Canonicorum Regularium fuisse noscitur ex Procem. constit. Benedicti 12. pro restituenda disciplina Regularium, vbi inter Regulares censetur. Anno Christi 1095. Monasterium Canonicorum Regularium juxta Tullum civitatem construxit Lutolfus Tullensis Ecclesiæ Decanus: tantum erat vbique studium in Canonicos Regulares. Bertold. Constantiens. Presbyter in Chronic. ad hunc ann. *Lutolfus sanctissimi Leonis IX. Papæ filius, sanctæque Tullensis Ecclesiæ Decanus, monasterium Clericorum, quod Canonicum Romani cognominant, prope eandem civitatem construxit, in quo Clericos secundum regulam S. Augustini vivere professos congregavit, quibus & Præpositum ejusdem professionis præfecit, quem Episcopus loci in Abbatem eidem Congregationi solenniter consecravit: est enim consuetudo in illis partibus, vt Præpositi Congregationum hujusmodi Abbates nominentur, & in Abbates consecrentur, hoc tantum excepto, quod baculos non portant.* In Hibernia Canonicos Regulares instituit B. Malachias Archiepiscopus Hibernorum. Bernard. in ejus vita. *Malachias factus Dunensis Episcopus confestim more suo curavit adsciscere ad solatium sibi de filiis suis conventum Regularium Clericorum: & excursus ac-*

cingitur quasi novus Christi tyro ad spirituale certamen, rursus induitur arma potentia Deo, sanctæ paupertatis humilitatem, rigorem disciplinæ Cœnobialis, otium contemplandi, orandi assiduitatem. Denique Canonici Regulares vbique fuerunt sub regula sancti Augustini. Stephanus Tornacens. epist. 1. *Sed & Canonicos Regulares nostri temporis sub regula beati Augustini Christo deservire scimus, & sub ea in domo Domini vnius moris habitare.* Et ab eo tempore dicti sunt Canonici Regulares à regula quam observabant, etsi Canonicus Græcis idem sit quod Regularis. Tornacens. eod. loco. *Inde est quod sicut a regula quam observabant Canonici nostri dicuntur Regulares:* eadem scilicet figura loquendi, qua dicimus Abba Pater, etsi Abbas idem sonet quod Pater, ad significandam reverentiam Prælationis & Ordinis. Et Canonici qui regulam beati Augustini districtius observabant, in commune viventes, & nihil proprium habentes, nomen Regularium addiderunt, vt distinguerentur a Canonicis qui seorsim habitabant, & proprium habebant vt sæculares: vnde Canonici Sæculares dicti sunt. Sicut vitis diligentius culta palmites suos latius extendit, Ordo Canonicorum Regularium in varias congregationes diversi nominis sub eadem regula sese effudit, & variæ ejusdem Ordinis propagines fuere circa annum Christi 1107. Congregatio Canonicorum Regularium S. Rufi florere cœpit, cujus caput est monasterium S. Rufi Valentiæ apud Delphinates in Gallia, cujus fundator extitit B. Rufus Archiepiscopus Lugdunensis. Naucler. vol. 2. generat. 37. Canonicos Regulares S. Rufi esse sub regula S. Augustini, ex eo satis colligitur, quod can. *Statuimus* 19. qu. 1. qui est Urbani II. ne Canonici Regulares Monachi fiant, inscribitur Abbati S. Rufi. Stephanus Tornacensis loco modo laudato: *Vrbanus Papa de regulariter Professis, id est, de his qui sub regula B. Augustini militant Deo, sic agit. Nam & Abbati S. Ruffi, vbi procul dubio regulam beati Augustini sequuntur, ipsis & consimilibus privilegium hoc indulget.* Anno Christi 1097. instituta est Congregatio Canonicorum Regularium de Arroagia, cujus caput est monasterium de Arroasia, vulgo *Arrouage*, in diœcesi Atrebatensi, de quo Jacob. a Vitriaco Hist. Occidental. lib. 2. cap. 23. *Sunt alii Regulares Canonici, qui de Arroasia nun-*

cupantur, eo quod prima hujus institutionis Abbatia, quæ caput est omnium aliarum, sic vocetur, in diœcesi Atrebatensi sita, &c. Unus ex auctoribus hujusce instituti fuit Cono, primum Eremita, postea Prænestinus Episcopus & Sedis Apostolicæ Legatus in Gallia. Robert. Montensis in Supplem. Sigebert. ad ann. 1114. *Hic est Cono unus ex illis Religiosis, qui Eremiticam vitam apud truncum Bereager primo duxerunt, & Arroasiani Ordinis auctores extiterunt. qui Ordo usque hodie floret & crescit.* Anno Christi 1126. Norbertus Præmonstratum monasterium in diœcesi Laudunensi fundavit, & Ordinem Canonicorum Præmonstratensium sub regula B. Augustini instituit. Jacob. a Vitriac. ejusd. lib. cap. 22. *Quidam vero vir justus & timoratus, verus Dei cultor, & permanens in innocentia sua, dictus Nobertus, cum prædicatione sua velut cælestis fistula & tuba argentea multos docuisset, & ad Dominum convertens, ad frugem melioris vitæ divinitus inspiratos incitasset: tandem in loco qui Præmonstratum dicitur, ad opus sui & discipulorum suorum pacificum constituit habitaculum. Sumpto autem regulari habitu, ut secundum regulam beati Augustini Domino militaret, consuetum vivendi modum, quem prædicti Regulares Canonici usque ad tempora illa laxius observaverant, in se & in discipulis suis coarctavit, quasdam novas institutiones addendo, quasdam etiam veteres immutando.* Robert. Montens. ad ann. 1116. *Hoc tempore loci & Ordinis Præmonstratensis fundator*, &c. De Præmonstratensibus Bernard. epist. 252. Innocent. III. lib. 1. epist. 201. & seqq. Anno Christi 1401. auctore Leone de Carate Mediolanensi Canonico Regulari cœpit Congregatio Canonicorum Regularium, quæ dicta est de Frigionaria, à cœnobio sanctæ Mariæ de Frigionaria, in diœcesi Lucensi, in qua instituta est. Eadem postea Lateranensis nomen accepit ab Eugenio IV. postquam eam probasset, & Canonicos Regulares de Frigionaria in Basilicam Lateranensem revocasset. Anno Christi 1410. cœpit alia Congregatio Canonicorum Regularium S. Servatoris, quam fundavit Stephanus Bononiensis, Ordinis Eremitarum S. Augustini: is enim cum paucis, Gregorio XII. approbante, ad ædem S. Salvatoris in Scopeto prope Florentiam secessit, & ibi cœnobium extruxit, unde dicti sunt & Scopetini. Alia item Congregatio Canonicorum Re-

gularium S. Petri de monte Corbulo in diœceſi Florentina ſurrexit, quam confirmavit Julius II. Quæ deſcripta ſunt ex Volaterrano lib. 21. Philippo Bergomenſ. in Supplem. Chronic. lib. 14. 1367. & 1406. 1407. & Onufrio Panninio de 7. Urbis Eccleſ.



CAPUT XIII.

Varii Ordines militares instituti.

ECCLESIA laborante in Oriente & Hiſpania ſub jugo Sarracenorum, Monachis qui jugi oratione Deo militant, additi ſunt militares Ordines, novum genus Maccabæorum, qui manu & precibus pugnarent adverſus hoſtes Dei & Eccleſiæ. Ac primum Hieroſolymis inſtituti ſunt tres ſacræ militiæ Ordines, nimirum Fratres Hoſpitalis, ſeu Hoſpitalarii, alias Milites S. Joannis Hieroſolymitani, & Fratres ſeu Milites Templi, qui vulgo Templarii dicti ſunt. Dum Hieroſolyma erat in poteſtate Sarracenorum, Latini, hi fuere Amalphitani negotiatores, qui commercii cauſa Syriam frequentabant, juxta ſepulcrum Domini, annuentibus Sarracenis, cœnobium conſtruxere, quod dictum eſt de Latina, de nomine fundatorum qui erant Latini: id nomen erat in Syria omnibus Chriſtianis Occidentalibus. Cœnobio Abbas & Monachi impoſiti, quorum officium imprimis fuit peregrinos fovere, & a barbarorum injuriis tueri. In dies pietatis ſtudio excreſcente peregrinorum multitudine, cum loci anguſtiæ peregrinos non caperent, appoſitum eſt xenodochium ſeu hoſpitale, & altare ſeu oratorium ſancti Joannis Eleimonis, vel, vt hodie malunt, S. Joannis Baptiſtæ, vbi peregrini excipiebantur. A Sarracenis recepta Hieroſolyma, vir quidam religioſus Gerardus nomine, adjunctis ſibi quibuſdam ſociis, diu & cum laude hocce xenodochium adminiſtravit, & habitum regularem ſuſcepit, pullæ veſti aſſuta alba cruce. Hujus Ordinis munus fuit peregrinis & pauperibus miniſtrare, advenientes & diſcedentes a graſſatoribus & latrunculis tueri. Hi ab initio Abbati de Latina & Pa-

triarchæ Hierosolymitano parebant; sed postea liberalitate & munificentia tam Principum quam Pontificum, Episcoporum, virorum nobilium & privatorum opibus & prædiis aucti, a jurisdictione vtriusque, id est, Abbatis de Latina & Patriarchæ Hierosolymitani, exemptionem impetrarunt: eisdem concessa privilegia de non præstandis decimis de prædiis suis. De quo Willelm. Tyrius de Bell. sacro lib. 18. cap. 5. Jacob. a Vitriaco. Hist. Oriental. lib. 1. cap. 68. Iidem postea Milites Rhodii dicti sunt, ex quo amissis sedibus Hierosolymitanis, novas quærentes, Rhodum insulam vi & armis occuparunt circa annum Christi 1310. quam duobus fere sæculis tenuere, donec a Solimanno diutina obsidione & numero hostium magis oppressi quam victi, mutare solum coacti, Melitam insulam Caroli V. Imperatoris beneficio acceperunt, quam in hunc diem multis victoriis clari feliciter tuentur: vnde & Melitenses dicuntur. Anno Christi 1118. Hierosolymis institutus est alter Ordo Fratrum seu Militum Templi, vulgo Templariorum. Hujus Ordinis auctores fuere Hugo de Paganis, & Gaufridus de sancto Audemaro: sic dicti quod juxta templum Domini sedes haberent. Eorum cum Hospitalariis vnum & par officium, peregrinos ab injuriis & latrociniis barbarorum tueri. Anno salutis 1122. eis regulam & vestem candidam tradidit Honorius II. in Concilio habito Trecis in Gallia: postea ab Eugenio vesti albæ addita crux rubra. Hi pari fortuna vsi ac Hospitalarii, opibus ditati, a Patriarchæ Hierosolymitani ditione exempti sunt, prædia quæ ab his possidebantur decimis soluta. De his fusius Willelm. Tyrius lib. 12. cap. 7. Jacob. a Vitriac. Histor. Oriental. lib. 1. cap. 65. Matth. Paris. ad ann. 1118. Tandem hi opum affluentia a disciplina lapsi, & nefandis fœdati, vt jactant, variis suppliciis affecti, & Ordo ipse sublatus in Concilio Viennensi sub Clemente V. anno 1312. eorum bona ex parte tradita Hospitalariis, vt refertur in Paralipomen. Abbatis Urspergens. Eodem fere tempore Hierosolymis surrexit tertius Ordo ejusdem instituti, Militum Teutonicorum. Hujus Ordinis auctor fuit vir Teutonicus, qui suo sumptu xenodochium extruxit in gratiam Germanorum. Fratrum hujus Ordinis idem officium fuit, peregrinis adventantibus Hierosolymam ministrare,

De Fratribus Hospitalis & Templi Bernard. ep. 175. 288. 289. & sermon. ad Milites Templi.

nistrare, & a barbarorum insidiis tutum eis iter præstare. Pulsi Hierosolymis hi migrarunt in Prussiam, quam vi & armis profligatis infidelibus occuparunt, & tribus fere sæculis tenuerunt: donec Albertus Brandeburgius Lutheranam in hæresim lapsus, ducta vxore, Prussiam sibi vindicavit jure dominii, & titulum Ducis Prussiæ assumpsit, quem in hunc diem ejus posteri tenent. De his Jacob. a Vitriaco Hist. Oriental. cap. 66. Volaterran. lib. 21. In Hispania quoque constituti sunt alii Ordines militares, qui præsidio essent adversus Sarracenos. Primum instituti sunt Fratres S. Jacobi de Spatha, sub regula sancti Augustini: hunc probavit Alexander III. Conjugati admittuntur, ita vt mulieres seorsim habitent. Jacob. a Vitriac. Hist. Occidental. cap. 26. Volaterran. lib. 21. Marian. rerum Hispanic. lib. 11. cap. 13. Anno Christi 1120. Milites Calatranæ instituti sunt a Sancio III. cognomine Desiderabili, Rege Castellæ, cum Fratres militiæ Templi, qui arcem Calatranæ tenebant, apparatu belli Sarracenici consternati, de salute vrbis desperantes, in manibus Regis ea cessissent, nec alius in defensionem oppidi sese offerret, præter Abbatem de Fiterio Cisterciensis Ordinis, & Monachum quendam ejusdem Ordinis, olim militia clarum, nomine Didacum Velasquium. Rex illico ei tradidit arcem cum agro de Calatrana jure perpetui dominii, ex quo multi ad eum Ordinem confluxerunt sub lege militiæ adversus Sarracenos. Roderic. Tolet. lib. 7. cap. 14. & 27. Volaterr. lib. 21. Marian. rerum Hispanic. lib. 11. cap. 6. Anno 1326. Milites JESU CHRISTI instituti in Lusitania sub Dionysio Rege, auctorante Joanne XXII. quibus bona Templariorum sub censu expeditionis Sarracenicæ tradita: crucem rubram gestant, nigro amictu, & Cisterciensis Ordinis censentur. Volaterr. libro 21. Milites S. Juliani de Pyro, sic dicti quod in cognomine oppido, vulgo *Pereyro* apud Legionenses primum hujus Ordinis Collegium sit excitatum a Gomezio Fernando. Instituti sunt ab anno 1170. exinde Alcantaræ oppido ad Tagum donati a Calatranensibus, translatis eo sedibus, Alcantarensium nomen acceperunt. Volaterr. lib. 21. Marian. lib. 12. cap. 3. In Arragoniæ regno duo extitere Ordines militares. Prior S. Mariæ de Mercede seu Redem-

ptione Captivorum, institutus a Jacobo I. anno 1218. probante Gregorio IX. Zurita in indicibus Aragon. Marian. lib. 12. capite 8. Hic Ordo partim ex militaribus viris, partim ex Monachis constabat: sed hodie desiit in Monachos, qui colunt regulam beati Augustini. Alter Ordo Montesiæ dicitur, quibus sedes Montesia: id nomen oppido in regno Valentiæ, vnde militiæ nomen. Ordinis Cisterciensis sunt, Calatranæ Ordini contributi, sub proprio tamen magistro. Hic Ordo institutus anno Christi 1317. a Joanne XXII. Pontifice, Jacobo II. Rege Aragonum. Zurita in indicibus Aragon. Volaterr. lib. 21.



CAPUT XIV.

Lapsus Monachismi, ac ejusdem variæ causæ & remedia.

ACCELERATIS gradibus religio monastica ad culmen perfectionis pervenit: sed vitio rerum humanarum haud diu ibidem stetit, e fastigio in imum vergere & inclinare cœpit. Quæ fuerint causæ & momenta tristis lapsus, hoc loco disquirere opportunum erit, & religioni conducibile: vbi enim semel noscuntur causæ malorum & vitiorum corporis, facile inveniuntur remedia idonea ad eorum medelam. Variæ fuere & concurrentes causæ lapsus religionis. Jam a quarto sæculo religionis asperitas refrixit, quasi natura senescente corporibus antiquam vitæ duritiem non ferentibus, & in ipsa eremo Ægyptia a veteri abstinentia discessum, pani & aquæ additum oleum, acetum & modicum casei ad sustentationem Monachorum. Cassianus collat. 19. capite 6. *Verum vt in illa Anachoretica disciplina illos elationum spiritalium fluctus & exitiabilis cœnodoxiæ pericula prætercam, ad hoc generale cunctorum pondus, id est, communem parandi victus sollicitudinem revertamur, quæ eo vsque mensuram, non dico illius antiquæ districtionis, excussit, quæ vsum olei penitus nesciebat. Sed ne hac quidem nostri temporis remissione cœpit esse contenta, in qua vno olei sextario, itidem-*

que lenticulæ modio advenientium vsibus præparato, totius annuæ refectionis explebantur officia, itaut duplicato nunc ac triplicato modio necessitas victualis vix queat expediri: & in tantum apud nonnullos vis noxiæ hujus remissionis excrevit, vt aceto muriæque permixtis non illam vnam olei admisceant guttam, quam prædecessores nostri, qui eremi instituta majore abstinentiæ virtute sectati sunt, repellendæ tantum cœnodoxiæ gratia, instillare consueverant; sed infringentes Ægyptiacam, pro salibus caseum, plus olei quam necesse est superfundant, & ita duos cibos propria suavitate distantes, qui sigillatim diversoque tempore Monachos reficere jucundissime potuissent, sub vnius saporis oblectatione percipiant. Falsos Monachos sui temporis acerbe increpat Augustinus in Psalm. 132. *Verumtamen, carissimi, sunt & qui Monachi falsi sunt, & nos novimus tales; sed non periit fraternitas pia propter eos qui profitentur quod non sunt.* Et idem libro 5. contra Faustum cap. 9. *Quam multæ fraternæ congregationes nihil habentes proprium, sed omnia communia, & hæc non nisi ad victum & tegumentum necessaria, vnam animam & cor vnum in Deum charitatis igne conflantes: atque in his omnibus professionibus quam multi fallaces & perditi deprehenduntur; quam multi etiam latent, quam multi primo recte ambulantes, perversa voluntate cito deficiunt; quam multi in tentationibus inveniuntur, quod alio animo talem vitam adumbrata specie susceperunt.* Monasticæ disciplinæ lethalis quoque lues fuit, evagandi, & imprimis regiam vrbem, id est, Constantinopolim, adeundi licentia. Tempore Chalcedonensis Synodi Constantinopolis ita laboravit turba Monachorum vndique confluentium, vt amplissimæ vrbi graves essent, & turbas passim cierent: quam ob causam ejus Synodi can. 23. vrbe pulsi sunt, & vetitum ne ad vrbem accederent sine licentia sui Episcopi. Can. *Quidam.* 16. quæst. 1. Proxima & præcipua remissionis Monachorum causa fuit, ingens accessio opum: religio paupertatis alumna, a pauperculis humilitatis & paupertatis studiosis, pane & aqua & obvio cibo contentis instituta, eadem ratione & cultu vitæ sustendanda erat qua cœperat. Ubi vero Monachi opibus aucti sunt munificentia Principum & Pontificum, facile a veteri disciplina secesserunt, divitiis luxum & mollitiem suadentibus.

& tunc impletum est quod ait Trithemius Abbas de viris illustribus Ordinis sancti Benedicti cap. 8. *Peperit olim religio divitias, at nunc matrem filia suffocavit.* Inde casum religionis ortum deplorat Petrus Cluniacensis libro 1. epist. 20. *Nam qui penuriam professus fuerat, paulatim opes congregat, nec prius desistit, quam alienis reatibus proprium penu faciat: simulat ea colligens indigentiæ supplementum, vel si quid suæ necessitati superfuerit, indigentium adjumentum: vult dispensator fieri alienorum bonorum, qui possessionem abjuraverat propriorum. Hac occasione Dei servus mammonæ efficitur famulus, vt cum se fingit egenorum vtilitati prospicere, cupiditati suæ liberius valeat inservire. Ea de causa omnes ad subveniendum pauperibus exhortatur, vt dum Paulus ministrans sanctus esse creditur, Ananias fraudator nullatenus æstimetur. Hoc astu tugurium pauperis fit Regum gazophylacium, solitarii inopia Salomonis opibus antefertur, & de spelunca egestatis Indorum thesauri largissime profunduntur. Post de cura pauperum ad culmina transfertur ædificiorum, inde subjecta omnia curiose perlustrat, fundamenta jacit, perpendiculum extendit, structuræ suæ longitudinem, altitudinem & latitudinem studiosus geometer dimetitur, Ecclesias ædificat, vrbes mœnibus ambit, flumina pontibus obnubit, & se solum destruens vniversa construit.* Et Arnoldus Abbas Lubecensis in Supplement. Helmoldi libro 3. capite 9. *Crevit possessio, & evanuit religio, siquidem ex temporalium abundantia, dum cœperunt carnaliter vivere, cœperunt etiam carnallter sapere: refrixit caritas, subintravit mundialitas,* &c. Huic modo vt consuleretur, apud Cartusienses statutum, ne vltra certum modum prædia & homines, id est, colonos vel feudatarios acquirere liceret. Robertus Montensis in Supplement. Sigebert. ad ann. 1133. *Cartusienses præ cæteris continentes pesti avaritiæ, qua plurimos sub religionis habitu laborare videmus, terminos posuerunt, dum certum numerum hominum, animalium, possessionum, quem eis prætergredi nullomodo liceat, statuerunt.* Idem Jacobus a Vitriaco Occident. Histor. libro 2. capite 18. de Cartusiensibus: *Habent autem certum animalium numerum & certas metas possessionum, quibus mediocriter austeram vitam valeant sustentare.* Eodem ingenio, ne Monachi prædiorum cultura a meliore Dei cultu avocentur, Emanuel Comnenus

edicto restituit Constitutionem Nicephori Phocæ de non ampliandis prædiis Monachorum. Nicetas in ejus vitæ lib. 7. τοσοῦτον δ' ἀπεῖχε τοῦ τὴν νῦν κατάστασιν ἐπαινεῖν, οἳ μονάζειν μὲν ἐπαγγέλλονται, πολυκτήμονες δὲ καὶ πολυφρόντιδές εἰσιν, ὑπὲρ τοὺς τῇ ἐνταῦθα φιληδοῦντας ζωῇ, ὥστε καὶ τὴν νεαρὰν νομοθεσίαν, ἣν ὁ βασιλεύτατος τῷ ὄντι Νικηφόρος ὁ Φωκᾶς, ὁ τὴν ἰσχὺν ἡρωϊκὸς, καὶ πολὺς τὴν σύνεσιν ἔθετο, παύουσαν τὰς μονὰς ἐμπλατύνεσθαι κτήσεσι τεθνηκυῖαν πάλαι τῷ χρόνῳ, καὶ τὸ κῦρος ἀποθεμένην, τῷ ἐρυθρῷ τῆς βασιλείου βαφῆς, ὡς αἵματι ἀναθάλψας ἐζώωσεν. *Tantum autem absfuit ut eorum institutum laudaret, qui monasticam vitam professi, & opibus affluunt, & multitudine curarum magis distrahuntur, quam ii qui hujus vitæ deliciis occupantur, ut sanctionem Nicephori Phocæ, fortissimi & cordatissimi Imperatoris, olim abolitam de non augendis monasteriorum latifundiis, quasi postliminio revocavit.* Accessit & alia causa relaxationis Monastices, nimia multitudo Monachorum, & indiscreta receptio tot cucullatorum, vltra modum facultatum monasteriorum: vnde secutum est, vt Monachi turba audaciores & indociliores facti coerceri non possent, nec in officio contineri, non suppeditatis necessariis, non secus ac milites, quibus non præstantur stipendia. Ideo provide constitutum, ne plures recipiantur in monasteriis, quam res ejus ferre possint. Concilium Moguntinum can. 19. Turonense III. can. 21. Arelatense III. can. 8. qui refertur in cap. 1. extr. *de Institut.* cap. *Periculoso.* §. *Sane de statu Regular.* in 6. Religionis itidem gravior lapsus contigit ex diutinis bellis & incursionibus Normanorum, a quibus tota fere Gallia incensa & eversa monasteria, pulsi Monachi, qui amissis sedibus vagi & errantes vestem mutabant, & ad suos redibant. Joannes Monachus in vita Odonis Cluniacensis lib. 3. init. ex relatione ipsius Odonis: *Per illud namque tempus, quo Nortmannorum gladius in nostris finibus grassabatur, cœpere multi ex nostro Ordine propria relinquere occasione hostium reperta, & cuncta visui humano placita repetere, quæ pridem abrenunciaverant: pro consortio namque fratrum sequentia habebant, parentum & amicorum, & pro rebus monasterii, substantiis propriis appetebant ditari: fracta tandem vestimenta, cum quibus de monasterio exierant, denuo non induebantur similia, sed colorata, quæ nos vulgo di-*

cimus blancs. Eamdem cladem deplorat Concilium Trosleianum habitum anno Christi 909. cap. 3. *De monasteriorum vero non statu, sed lapsu, quid dicere vel agere debeamus, jam pene ambigimus: dum enim mole criminum exigente & judicium a domo Domini incipiente, quadam a paganis succensa vel destructa, quædam rebus spoliata, & ad nihilum prope sint redacta; si tamen quorumdam adhuc videntur superesse vestigia, nulla in eis regularis formæ servantur instituta; sive namque Monachorum, seu Canonicorum, seu sint Sanctimonialium, propriis & sibi jure competentibus carent rectoribus. Et dum contra omnem Ecclesiæ auctoritatem, Prælatis utuntur extraneis, in eis degentes, partim indigentia, partim malevolentia, maxime inhabitium sibi Præpositorum faciente inconvenientia, moribus vivunt incompositis, & qui sanctitati religionique cælesti intenti esse debuerant, sui velut propositi immemores terrenis negotiis vacant. Quidam etiam necessitate cogente monasteriorum septa derelinquunt, & volentes nolentesque sæcularibus juncti sæcularia exercent.* Eodem tempore disciplinam regularem jam nutantem solo evertit constitutio Abbatum laicorum, qui non Abbatum, sed villicorum animum gerentes, de suis commodis solliciti, monasterium velut villam & prædium habuerunt, de vita Monachorum prorsus non curarunt. Concilium Meldense can. 10. *Perventum est siquidem ad nos, quod auditu lugubre & dictu nefas actuque horribile ac nimis triste dignoscitur, quia contra omnem auctoritatem, contra Patrum decreta, & totius Christianæ religionis consuetudinem in monasteriis regularibus laici in medio Sacerdotum & Levitarum, ac cæterorum religiosorum virorum, ut domini & magistri resideant, & velut Abbates de illorum vita & conversatione decernant,* &c. Et Concilium Trosleian. d. capite 3. *Nunc autem in monasteriis Deo dicatis Monachorum, Canonicorum & Sanctimonialium, Abbates laici cum suis uxoribus, filiis & filiabus, cum militibus morantur & canibus.* Disciplinæ regularis dissolutio simul & monasteriorum depauperatio etiam suborta est ex ipsis beneficiis Romanorum Pontificum, id est, exemptionibus Pontificiis monasteriorum. Inde surrexit exemptorum elatio & æmulus livor in Episcopos, dum sese pares esse gloriantur, quibus parere desinunt, & Monachos se esse obli-

viscuntur, Pontificiis insignibus exultantes. Inde egestas monasteriorum, exemptionibus gravi ære & annuo censu redemptis. Bernardus de Consideratione lib. 3. *Nolo autem prætendas mihi fructum emancipationis ipsius: nullus est etenim, nisi quod inde Episcopi insolentiores, Monachi etiam dissolutiores fiunt, quidquod & pauperiores. Inspice diligentius talium ubique libertorum & facultates & vitas, si non pudenda admodum & tenuitas in his, & in illis sæcularitas invenitur.* Et idem epist. 42. *Miror quosdam in nostro Ordine monasteriorum Abbates hanc humilitatis regulam odiosa contentione infringere, & sub humili, quod pejus est, habitu & tonsura tam superbe sapere, ut cum ne unum quidem verbulum de suis imperiis subditos prætergredi patiantur; ipsi propriis obedire contemnant Episcopis, spoliant Ecclesias ut emancipentur, redimunt se ne obediant.* Non minima etiam causa dissolvendæ disciplinæ regularis fuit susceptio sacræ expeditionis, qua permissa etiam Clericis & Monachis, quamplurimi nomen dedere militiæ, magis tædio regularis vitæ, quam studio sacræ militiæ, & magis apostatarunt, quam militarunt. Bertoldus Constantiensis Presbyter in Chronic. ad ann. 1096. *Non erat autem mirum, quod propositum iter ad Hierosolymam explere non potuerunt, quia non tali humilitate & devotione, ut deberent, illud iter adorsi sunt: nam & plures apostatas in comitatu suo habuerunt, qui abjecto religionis habitu cum illis militare proposuerant.* Lapsus etiam religionis ex parte contigit e Monachorum inscitia & supina ignorantia, qui nescientes litteras, regulam discere & scire non potuerunt. Concilium Trosleianum d. capite 3. *Legitur quoque in Capitularibus, ut Abbates Monachorum regulam per singula verba discutientes pleniter legant, & intelligentes, Domino opitulante, efficaciter cum Monachis suis implere studeant. Et quomodo discutiet, quomodo leget, quomodo intelliget, si forsitan oblatus fuerit hujusmodi codex? Respondebit illud Esaianum: Nescio literas. Et cum Monachorum Abbati a regula sancti & sancto Spiritu pleni beatissimi Patris Benedicti: In doctrina, inquit, sua Abbas illam semper Apostolicam formam debet servare, in qua dicit: Argue, obsecra, increpa. Quomodo Apostolum ignorans, regulæ instituta vel ipsam abecedariam lineam penitus nesciens, spiritualem discretionis modum tenebit?* Ignoran-

tiæ literarum vitio Monachi Ægyptii in errores Origenis incidere. Socrates lib. 6. cap. 7. Sozomenus lib. 8. cap. 11. Nicephorus lib. 13. cap. 10. Caſſianus collat. 10. cap. 2. Sed religionis Franciſcanæ, cujus vnum propoſitum fuit humilitatis & paupertatis Evangelicæ ſtudium, peculiare malum fuit ſtudium literarum, quaſi a vocatione Ordinis alienum. Franciſcus maluit ſuos orare quam legere. Ordinis periculum ſenſit, cum audivit literarum ſcholam Bononiæ inſtitutam a Joanne Ordinis Miniſtro generali: itaque ei maledixit, nec extremum ſpiranti maledictionem remittere rogatus voluit, aſſerens eam in cælo ratam eſſe, ſeque malle fratres ſuos orare quam legere. Agnellus quoque ejuſdem Ordinis Miniſter generalis, cum & ipſe in Conventu Oxonienſi in Anglia ſcholam inſtituiſſet, & paulo poſt audiſſet fratres inter ſe clamoſe diſputantes, an eſſet Deus; ſcholam clauſit & interdixit, dicens: Heu! ſimplices & illiterati ad Deum rapiuntur, & iſti literati ponunt in quæſtione, an ſit Deus!

Paul. Langius in Chronic. Cityzenſ. ad ann. 1254.

Sæcularitatis vitium monaſteriis invexit Clericorum commixtio cum Monachis, id eſt, receptio Clericorum ſæcularium ad præbendas ſeu portiones inter Monachos, quæ ex conſuetudine inoleverat. Unde ſequebatur fœda confuſio, & ex contagio Clericorum ſæcularium ſequebatur corruptela Monachorum. Hac de cauſa conſtitutione Honorii III. vetitum ne Clerici ſæculares recipiantur ad præbendas ſeu portiones Monachorum, neve recepti locum vel vocem in Capitulo, Dormitorio vel Clauſtro habeant. Cap. *Ea quæ* extr. *de ſtatu Monachorum.* Monachi etiam inprimis depravati nimia conſuetudine ſæcularium, & tumultu placitorum ſæcularium & conventuum publicorum qui habebantur in monaſteriis. Hac ratione collapſam diſciplinam monaſterii ſancti Dionyſii agnoſcit Bernardus epiſt. 78. ad Sugerium Abbatem: *Locus quippe ab antiquo nobilis & regiæ dignitatis extiterat, Palatii cauſis Regumque exercitibus deſervire ſolebat, ſine cunctatione & fraude ſua Cæſari reddebantur, ſed non etiam Deo quæ Dei ſunt perſolvebantur atque fideliter.* Et infra: *Nunc vero vacatur inibi Deo, ſtudetur continentiæ, diſciplinæ invigilatur, lectionibus ſanctis intenditur.* Poſt tot

cauſas

causas internecionis disciplinæ monasticæ, successit alia, qua fere corruit status Ordinum Mendicantium, nimirum mortalitas sævissimæ pestis, quæ per totum orbem grassata est anno Christi 1348. qua sublatis vniversis fere Monachis, instaurandi Ordinis causa necesse fuit vt impuberes admitterentur, qui cum per ætatem regulæ austeritatem ferre nequirent, malo exemplo fecerunt, vt posteri regulam jam desuetam neglexerint. Antoninus 3. part. tit. 21. capite 8. *Anno sequenti*, scilicet anno Domini 1348. *pestis jampridem ingressa vrbem, ita desævit, vt supra fidem videatur stragem hominum referre.* Et infra: *Conventus religiosorum copiosi in civitate fere evacuati sunt, & tunc, vt dicitur, cœperunt religiones Mendicantium, quæ florebant in Ecclesia Dei, relaxari & tepescere, tum deficientibus in eis ex morbo plurimis Patribus & notabilibus viris, qui eas doctrina & exemplis sustentabant; tum ex causa, tot scilicet & talium infirmitate: relaxato rigore in cibo & aliis, cessante peste rigor ille reparari non valuit, ex tepiditate supervenientium tam præsidentium quam subditorum.* Nunc cognitis causis malorum, quo pacto cavenda sit imposterum relaxatio disciplinæ monasticæ, facile erit intelligere: nimirum religio non statim corruit, sed primum intepescit, & e tepiditate sensim resolvitur. Haud secus ac ruina ædium non subito casu contingit, sed veteri vitio fundamentorum, vel stillicidii labe, aut diutina inhabitantium incuria. Cassianus collat. 6. cap. 17. Quare vt lapsus religionis vitetur, initia spectanda sunt, & tempestive providendum, vt regula districtius servetur, & ne quid remittatur de ejus apicibus. Citharæ harmonia fovetur, donec fides citharæ non solvuntur, & qui adverso flumine lembum ducit, si vel minimum remigium remiserit, vndis cedere incipit: sic & disciplina regularis vel minimæ remissionis damnum sentit. Hieronymus adversus Pelag. lib. 3. *Hoc & nos dicimus posse hominem non peccare, si velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quamdiu intentus est animus, quamdiu chorda nullo vitio laxatur in cithara. Quod si paululum se remiserit, quomodo qui adverso flumine lembum trahit, si remiserit manus, statim retro labitur, & fluentibus aquis quo non vult ducitur? Sic humana conditio, si paululum se remiserit, discit fragilitatem suam, & multa*

ſe non poſſe cognoſcit. Igitur vt lapſus vitetur, etiam in levioribus rigor diſciplinæ ſervandus eſt: eo enim ſemel remiſſo in minoribus, facile infringitur in majoribus, & rimula facta facile datur via ad graviora. Anſelmus libro 3. epiſt. 69. *Certiſſimum namque eſt quod in multis Eccleſiis experimento didicimus, quia in monaſterio vbi minima diſtricte cuſtodiuntur, ibi rigor Ordinis Monachorum inviolabiliter permanet, ibi pax inter fratres, & in Capitulo proclamationes conquieſcunt: vbi vero minimi exceſſus negliguntur, ibi totus Ordo paulatim diſſipatur & deſtruitur.*



CAPUT XV.

Variæ monaſteriorum reformationes per tempora. An inviti compellendi ſint ad reformationem.

VARIIS temporibus labente religione monaſtica, Eccleſiæ Patres qua par erat diligentia eniſi ſunt ejus ruinas inſtaurare. Monachis fere a diſciplina lapſis in vniverſo Oriente inſania Eutychetis Abbatis, Concilium Chalcedonenſe habitum anno Chriſti 451. extinctam fere religionem reſtituit. Religionis reformandæ cauſa in eo editi ſunt multi canones, vt 4. 16. 23. 24. quos retulit Gratianus in can. *Qui vere.* can. *Quidam* 16. quæſt. 1. can. *Quidam* 18. quæſt. 1. can. *Quæ ſemel* 19. quæſt. 3. can. *Si qua virgo* 27. quæſt. 1. quos laudat Alexander II. in can. *Juxta* 16. quæſtione 1. In Occidente quinto ſæculo religione quoque intepeſcente ortus eſt ſol, qui ſua luce defectam religionem ac emortuam ſuſcitaret. Hic eſt beatus Benedictus, qui propriam religionem non modo inſtituit & regulam dedit, ſed & cætera monaſteria quæ ante erant, ad ſe & obſequium ſuæ regulæ traxit, & religionem jacentem reſtituit: de quo vere & ſine fuco dici potuit, quod falſo & adulatorie de Juliano. Liban. orat. 10. tom. 2. *φυγάδα τὴν εὐσέβειαν κατήγαγε. Fugitivam pietatem reduxit.* A beato Benedicto miſſus eſt in Galliam beatus Maurus, qui regulam beati Benedicti tradidit, & per vniverſa fere monaſteria Galliæ propagavit. Tandem Carolus Magnus jam ſenior, de rebus Ec-

clesiæ & Imperii pari zelo sollicitus, sentiens rem monasticam in occasum vergere, Monachos Cassinenses accivit, qui religionem instaurarent in Gallia. Leo Ostiensis Chronic. Cassinensis libro 1. cap. 14. *Ad hunc Abbatem idem Carolus per Adagarium Episcopum de Francia literas misit, rogans ut aliquos sibi de monasterio beati Benedicti dirigeret fratres, qui regularem disciplinam in illis partibus jam extinctam renovarent: quod & fecit, mittens illi etiam regulam & hymnos, qui tunc ex traditione regulæ in hoc monasterio canebantur. Pondus quoque libræ panis & mensuram vini, sed & calicis mensuram quam in mixto servitores accipere debent, & omnem consuetudinem, quæ tunc in hoc loco servabatur, scriptam transmisit.* Varia in hanc rem auctore Carolo convocata sunt Concilia anno Christi 813. ut Moguntinum, Turonense III. Cabillonense II. quibus maxime actum est de reformatione monasteriorum utriusque sexus. Inter eos laudandus canon 25. Turonensis Concilii, cujus hæc sunt verba: *Monasteria Monachorum, in quibus olim regula beati Benedicti Patris conservabatur, sed nunc forte qualicumque negligentia subrepente remissius ac dissolutius custoditur, vel certe penitus abolita negligitur: bonum videtur ut ad pristinum revertantur statum, & Abbates eorumdem in eodem habitu & vita, qua ipsa regula præcipit eos incedere, vivere studeant: quoniam aliqua sunt monasteria, in quibus jam pauci sunt Monachi, qui prædicti Patris regulam suis Abbatibus promissam habeant, quippe cum ipsi Abbates magis canonice quam monachice inter suos conversari videntur.* Et can. 26. ejusdem Concilii: *Porro in monasteriis Puellarum multa inveniri possunt quæ emendatione indigent; nam quædam Abbatissarum negligentius quam oporteat vivere dicuntur, & ob hoc earum vita & conversatio a multis diffamatur. Sed & talium actus subditam familiam imitari velle credendum est. Victus etiam ac vestimenta, aliaque nonnulla necessaria, quæ jure ab Abbatissis præparari debuerant, abstracta sibi eadem conqueritur familia.* Atque notandus est can. 22. Concilii Cabillonensis II. *De Abbatibus vero & Monachis idcirco hic pauca scribimus, quia pene omnia monasteria regularia in his regionibus constituta, secundum regulam sancti Benedicti se vivere fatentur: quæ beati Benedicti documenta per omnia demonstrant, qualiter eis viven-*

dum sit. Inquiratur vbi secundum ipsum ordinem vivitur, & vbi ab ipso ordine digressum est, vt juxta ejusdem beati viri institutionem vivere certent, qui se vt ita viverent cum attestatione professi sunt. Pauca hic dicuntur scribi de reformatione monasteriorum, vel quia in provincia Lugdunensi, cujus erat Concilium, integrior erat disciplina regularis pene in omnibus monasteriis: vel vt consuleretur pudori Monachorum. quicquid enim dicatur, diligens inquisitio super observantia regulari mandatur. Carolo morte prævento ne incœptum opus impleret, Ludovicus Pius paternæ pietatis æmulus, acturum indixit Concilium Aquisgranense anno Christi 816. in quo de reformatione Canonicorum Regularium & Monachorum diligenter tractatum est, & lecti Visitatores in omnia monasteria Galliæ. Auctor vitæ Ludovici Pii: *Quo peracto negotio Imperator generalem habuit Conventum Aquisgrani, in quo quantum ferv**oris circa divinum cultum in arca pectoris gestaret, toto adnisu declaravit. Congregatis enim Episcopis nobilissimoque sanctæ Ecclesiæ Clero, fecit componi ordinarique librum canonicæ vitæ normam gestantem, in quo totius illius Ordinis perfectio continetur, sicut reclusus ipse fatetur: in quo etiam inseri jussit cibi potusque atque omnium necessariorum summam, vt omnes tam viri quam Sanctimoniales sub hoc ordine Christo servientes, nullis præpediti necessitatibus, libera servitute Domino omnium militare meminissent. Quem librum per omnes civitates & monasteria Canonici Ordinis sui Imperii misit per manus Missorum prudentium, qui illum in omnibus supradictis locis transscribi facerent, debitaque atque conscripta exigerent stipendia ministrari. Itidemque constituit idem Deo amabilis Imperator Benedictum Abbatem, & cum eo Monachos strenuæ vitæ, qui per omnia monasteria Monachorum euntes redeuntesque uniformem traderent cunctis monasteriis tam viris quam sanctimonialibus feminis vivendi secundum regulam sancti Benedicti incommutabilem morem.* Quæ omnia iisdem verbis descripsit Aimoinus lib. 5. capite 10. Æque Carolus Calvus propositi patris & ævi tenax effecit, vt in Concilio Suessionensi II. habito anno Christi 853. Legati mitterentur per totam Galliam, qui statum monasteriorum recognoscerent, & de eo referrent ad Principem & proximam Synodum. De

quo can. 7. ejusdem Concilii : *Ut in civitatibus & monasteriis utriusque sexus & ordinis Dei cultus, quam proxime fieri posset, instauraretur, statuit sancta Synodus, annitente Pio Principe, ut idonei Legati dirigerentur, qui singulorum locorum statum solertissime perscrutarentur, & quæ ipsi per se non valerent corrigere, judicio proxime futuri Concilii & potestati regiæ revelarent.* Quod proxime confirmavit Concilium Turonense celebratum anno Christi 855. auctore & præsente eodem Carolo : *De monasteriis autem virorum seu feminarum, quæ secundum regulam sancti Benedicti, vel secundum canonicam auctoritatem disposita esse debent, quia inspiratio omnipotentis Dei (credimus) cor vestri moderaminis incitavit, ipsi gratias referimus. Nam quod jam maxima ex parte ordinem suum amiserint, omnibus est manifestum : quæ ut ad pristinum statum reducantur, in Domini ac genitoris vestri, ac vestra gloriosa dispositione consistit.* Nono sæculo diutinis bellis Normanorum & vastatione monasteriorum sublatam fere religionem restituit Odo Abbas Cluniacensis, ut refert Joannes Monachus in ejus vitæ libro 3. Inde per Cluniacenses restituta infinita prope monasteria Galliæ : & Cluniacense monasterium, dum de aliorum monasteriorum salute laborat, suam in periculum deduxit, sparsis per diversa monasteria fratribus senioribus destituta. Qua de causa Petrus Cluniacensis Abbas rogatus, ut e suis mitteret Abbatem & Officiales necessarios ad restituendum Luxoviense monasterium, valde dubitavit, vetitus ne Cluniacense monasterium translatis alio fratribus, exhaustum idoneis viris, a disciplina deficeret. Testatur ipse lib. 1. epist. 23. ad Innocentium II. Papam : *Fratres Luxovienses nuper ad nos venerunt, scripta paternitatis vestræ nobis deferentes, in quibus & destitutio magni quondam Luxoviensis monasterii paterna pietate a vobis defletur ; atque ut in eodem loco fratribus nostris Abbatem & Officiales necessarios concedamus, nihilominus nobis injungitur. Per quos nimirum secundum literarum tenorem omnipotenti Domino ibidem laudabiliter serviatur, & tam nobile monasterium in sui status prærogativam & pristinam integritatem, divina cooperante clementia, reparetur. Quod præceptum debita quidem reverentia suscepimus, sed pro sui difficultate non mediocriter formidamus : nam, sicut novit sa-*

pientia vestra, in negotio religionis facilius possunt nova fundari, quam vetera reparari, quia, secundum beatum Gregorium, hominibus aliter institutis durum valde videtur, in mente veteri nova meditari. Qui enim nova tantum ædificat, eum in veterum destructione non oportet laborare: qui autem vetera reparare nititur, duplici cura constringitur, quoniam illi & veterum destructio, & novorum incumbit ædificatio. Super hæc & vestræ Cluniacensi Ecclesiæ nos qui rem novimus valde timemus, ne frequenter, sicut sæpe fit, ad alias Ecclesias translatis fratribus nostris, quod aliis refrigerium, nobis inferat detrimentum. Proximus temporibus Gosuinus Aquicinctensis Prior Claustralis ab Alviso Abbate missus varia monasteria Galliæ feliciter reformavit, inprimis monasteria sancti Crispini, & sancti Medardi Suessionensis, & sancti Remigii Rhemensis. De monasterio sancti Crispini legitur in ejus vitæ lib. 1. cap. 16. *Laborabant eo tempore incommodo duplici monasteria Gallicana; rerum temporalium damnis, & spiritualium detrimento. Misit autem Dominus in cor Prælatorum ordinem reformare perditum, & informare custodiendum, exteriora quoque subdere parcitati, infrenare prodigalitatem, superflua resecare. Sed quoniam affectus affectui succumbebat, impar erat efficacia desiderio, & possibilitas citra voluntatem, quod solis suis non poterant, tentabant agere manibus alienis, & ad opus tam laudabile ex aliorum opibus suam inopiam solabantur, doctos & industrios viros colligentes ex monasteriis ordinatis, qui & indoctos scirent erudire, & rigidos curvarent, frangerent superbos, & contumaces debellarent, emollirent duros, & revincerent contemptores. Abbas proinde sancti Crispini Suessionensis, cum esset unus ex iis qui nimis auxiliariis indigebant, accessit ad Alvisum Patrem Abbatem monasterii Aquicincti, & ut in Dei messem de suis aliquem mitteret operari petiit & impetravit: unde venerabilem Gosuinum ad opus sanctum destinavit.* De monasterio sancti Medardi cap. 17. ejusdem libri: *Post hæc cum non multum temporis effluxisset, Abbas sancti Medardi Gaufridus, qui postea Cathalaunensem ornavit Cathedram, ad erectionem sui monasterii colligebat idoneos adjutores, pro eo quod ipsum quoque multæ confusionis horror invasisset, deperisset Ordo, subsidia defluxissent,* &c. De monasterio sancti Remigii ejusdem libri 1. cap. 21. *Unde factum est ut Rhemus*

quoque apud sanctum Remigium mitteretur, vbi Prioris Claustralis officium non segnius quam Suessionis exercebat, quia non minus ibi vacillaverat Ordo, mutaverat religio, imminutæ res fuerant adjacentes. Tandem Concilium Tridentinum sess. 25. *De Regularibus* cap. 1. recte intelligens disciplinam regularem non posse conservari sine perpetuo reformationis remedio, propria lege præcepit, vt omnes Regulares vtriusque sexus reformentur secundum præscriptum regulæ quam professi sunt: non immerito, quia vtilius est vetera monastea, in quibus disciplina collapsa est, reformari, quam nova institui. Laudatur Augustus quod ædes sacras vetustate aut igne consumptas maluit instaurare, quam novas extruere. Tranquill. in ejus vita capite 30. Et Monachi jure compelli possunt ad reformationem juxta præscriptum regulæ quam professi sunt. Clementina *Exivi §. Cum igitur imprimis de V S.* Gloss. in cap. *Periculoso de statu Regular.* in 6. Oldrad. cons. 96. Concilium Tridentinum sess. 25. *de Regular.* cap. 1. Nec tueri se possunt inobservantia longi temporis, quia contra ea quæ sunt de substantia vitæ regularis, nulla est præscriptio temporis, neque dispensatio. Cap. *Cum ad monasterium.* in fin. *de statu Monach.* Ultra regulam sane districtior vita invitis non jure infligitur, quia quisque in ea vocatione qua accessit ad religionem, permanere debet. Can. *Diaconi* 28. dist. can. *Ante triennium* 31. distinct. can. *Integritas* 32. quæst. 1. Bernardus epist. 83. ad Symonem Abbatem sancti Nicolai: *Invitandi quippe sunt ad arctiorem vitam, non cogendi, quibus vtique semel in Ordine illo Cluniacensi præesse consensisti.* Item reformatio non est mutatio status, seu novi status formatio, sed prioris status restitutio. Paulus epist. ad Rom. cap. 12. *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, bene placens & perfecta.* Hieronymus in epistolam ad Galat. capite 4. *Hoc adversum Novatianos, qui nolunt reformari eos quos semel peccata contriverunt.* Ideo Monachis semel professis non potest vltra regulam novum opus imponi invitis. Cap. *Prohibemus de censibus.* Plura Chopin. Monastic. lib. 1. tit. 2. num. 17. in fin. Rebuff. in Concordat. *de regul. ad Prælat. nominat.* §. 1. in verb. *Reformatis.* Abbatis est reformare

Monachos juxta regulam. Cap. *Tuam de ætate & qualitate Præfect.* vel Episcopi diœcesani cessante Abbate. Cap. *Quanto de offic. ordinar.* cap. *Relatum. ne Cleric. vel Monach.* Non solius, sed adhibitis nonnullis Abbatibus, vel religiosis districtioribus. Et ita judicatum adversus Carnotensem Episcopum, qui solus processerat contra quosdam Monachos, refert Rebuff. loco proxime laudato. Quandoque reformatio monasteriorum fit auctoritate Apostolica d. cap. *Quanto.* d. cap. *Relatum.* Etiam Senatus extra ordinem cognoscit de reformatione monasteriorum, & solet compellere Episcopum diœcesanum, vt creet Vicarios generales quosdam Senatores Clericos qui edunt statuta & alia quæ pertinent ad reformationem; & ita sæpius servari se vidisse testatur Rebuff. eod. loco.



CAPUT XVI.

Monasteria debent reformari in suo Ordine, si fieri possit. Translatio monasteriorum de vno Ordine ad alium.

MONASTERIA, si forte in his religio collapsa sit, in suo Ordine & sexu reformanda sunt, si fieri possit: alioquin si in suo Ordine reformari non possint, puta propter nimiam relaxationem vel defectum personarum idonearum ad reformationem, auctoritate Apostolica nihil vetat transferri de vno Ordine ad alium. Cap. *Inter quatuor.* extr. *de religios. domib.* cap. *Relatum. ne Cleric. vel Monach. secular. negot. se immisc.* quod est Alexandri III. in appendice Lateranens. Conc. part. 27. cap. 7. Cap. *Possessiones de reb. Eccles. alienand.* Monasteria reformari debent in suo Ordine, si fieri possit. Hoc religionis spiritu, cum Ottho III. Imperator cogitaret de Monachis e B. Pauli monasterio in vrbe ob turpiores mores ejiciendis, a Paulo Apostolo in somnis monitus, ne id faceret, his verbis quæ referuntur a Glabro Hist. lib. 1. cap. 4. *Non enim omnino expedit cujusque Ecclesiastici Ordinis, quamvis ex parte depravati, propositum vmquam abjici seu immutari: in eo namque vnusquisque judicandus est Ordine, in quo se primitus Deo novit servire; reemendari tantum licet corrupto cuique in eadem propriæ vocationis sorte.* Unus est

est casus in quo monasteria possunt transferri de suo Ordine ad alium, si in suo Ordine reformari nequeant. quod variis rerum gestarum exemplis non caret. Anno Christi 1107. Philippus I. pulsis Monialibus Prioratus S. Eligii Parisiensis Monachos Fossatenses in earum locum suffecit, vt patet ex Præcepto regio quod edidit Juretus in notis ad epist. Ivonis 70. Circa annum Domini 1129. Monasterium Puellarum de Argentolio ob malos mores auctoritate Honorii II. per Matthæum Albanensem Episcopum & Legatum Sedis Apostolicæ in Gallia, traditum Abbati & Monachis S. Dionysii. Sugerius Abbas in vita Ludovici Crassi: *Honorius II. cum justitiam nostram de monasterio Argentoliensi Puellarum miserrima conversatione infamato, tum Legati sui Matthæi Albanensis Episcopi, tum Domini Carnotensis, Parisiensis, Suessionis, Domini etiam Archiepiscopi Remensis Ramali, & multorum virorum testimonio cognovisset, præcepta Regum antiquorum Pipini, Caroli M. Ludovici P. de jure loci præfati nunciis nostris oblata protegisset curiæ totius persuasione, tam pro nostra justitia, quam pro earum fœtida enormitate, beato Dionysio & restituit & confirmavit.* Cum monasterium sanctæ Faræ diœcesis Meldensis de moribus male audiret, ad querelam Adeltheidis Comitissæ Meldensis, Galterio Meldensi Episcopo, vt eas in suo Ordine emendaret, vel si fieri non posset, vt locum transferret ad religiosos Monachos, suasit Ivo Carnotensis epist. 70. *Quod ideo suggero dilectioni vestræ, quia tam ex verbis Turonensium Monachorum, quam ex litteris Dominæ Adeleidis venerabilis Comitissæ, audivi turpissimam famam de monasterio sanctæ Faræ, quod jam non locus Sanctimonialium, sed mulierum dæmonialium prostibulum dicendum est, corpora sua ad turpes vsus omni generi hominum prostituentium. Quæ quidem si corrigi nollent, & sibi tantum mortem facerent, tolerari forsitan possent; sed quia multarum factæ sunt laqueus animarum, suggero & consulo vigilantiæ vestræ, vt aut prædictas mulieres in loco suo & in suo Ordine corrigatis, aut si id fieri non potest, religiosis Monachis locum illum cum suis possessionibus committere studeatis: accepta tamen ab eis cautione, vt prædictas mulieres sub arcta disciplina coerceant, & eisdem necessaria de rebus monasterii, quamdiu vixerint, provideant.* Anno Christi 1128. mona-

ſterium S. Joannis Laudunenſis, pulſis Monialibus, traditum Monachis, conſilio, id eſt, conſenſu Regis, & Diogo primus Abbas impoſitus a Bartholomeo Laudunenſi Epiſcopo. Robertus Montenſ. in Supplem. Sigebert. ad d. ann. *Lauduni in Eccleſia ſancti Joannis conſilio Regis & Principum, Monialibus, quæ male infames erant, ejectis, & Monachis in earum locum ſubſtitutis, Drogo religione & facundia venerabilis a Bartholomæo Epiſcopo primus Abbas ordinatur.* Eodem fere tempore Compendienſe monaſterium, pulſis ob pravos mores Canonicis Regularibus, tranſlatum ad Monachos, qui & ipſi ab Aquicinctinis emendati. In vit. D. Goſuini lib. 2. cap. 18. *Et ante anno Christi 817. Walcaudus Epiſcopus Leodienſis ex Clericis Andainenſis Eccleſiæ Monachos inſtituit.* Anſelm. Leodienſ. in geſtis Leodienſ. Pontific. cap. 34. *Commutato Ordine clericali anno Domini 817. Idus Auguſti, in die ſancti Laurentii Martyris, cum conſilio Papæ Leonis, & Lodovici Imperatoris, Monachorum ibi religionem conſtituit, diſpoſitis ibi poſſeſſionibus quæ ſufficerent ibi Deo ſervientium.* Anno Chriſti 970. in Concilio omnium Epiſcoporum Angliæ celebrato a Dunſtanno Archiepiſcopo Cantuarienſi, Canonici Sæculares ob incontinentiam remoti ab omnibus Eccleſiis, ſuffectis in eorum locum Monachis, probante Edgaro Rege, & jubente Joanne XIII. Pontifice, de quo fuſius Osbertus in vit. S. Dunſtanni apud Surium 19. Maii. Auctor vit. S. Oſwald. Epiſcopi Vigornienſis apud Surium 15. Octobris. Willelm. Malmesbur. lib. 2. de geſt. Reg. Anglor. cap. 8. Roger. Hoveden. & Matthæus Weſtmonaſter. ad ann. prædict. Polydor. Virgil. lib. 6. Hiſt. Anglic. Anno Chriſti 1093. Cœnobium Canonicorum Regularium diœceſis Patavienſis ſitum in loco cui nomen *Cotevich*, tranſlatum ad Monachos non ſine auctoritate Urbani II. Bertold. Conſtantienſis Presbyter in Chronic. ad dict. ann. *Erat autem in illo loco cœnobium Clericorum regulariter viventium, qui tamen hoc a Domino Papa, & per Papam a proprio eorum Epiſcopo impetrarunt, ut depoſito habitu clericali fierent Monachi*, &c. Monaſterium B. Petri juxta muros Papiæ vrbis in Lombardia, ob nefariam cædem Abbatis, a Monachis ad Canonicos Regulares tranſlatum. Thomas Cantipratenſ. lib. 1. Apum cap. 21. *Apud Pa-*

piam Longobardiæ nobilem civitatem in monasterio beati Petri extra muros, ab Innocentio hujus nominis Papa tertio, Monachi Abbatem suum crudelissimè peremerunt: quam ob causam digne expulsi, Regulares ibidem pro eis Canonici sunt locati. Non sine causa monasterium potest transferri de vno Ordine ad alium, quia quisque in sua vocatione ferendus est, idque ne quidem a Patrono. Hinc cum Herimannus Babenbergensis Episcopus Ecclesiam in honorem B. Jacobi extra muros vrbis Babenberg suo sumptu extruxisset, ibique Clericos Regulares locasset, & postea mutato consilio nulla alia de causa Monachos in eorum locum accersisset, frustra tentato precibus animo Episcopi, a Clericis ne id fieret appellatum ad Romanum Pontificem. Lambert. Schafnaburg. de reb. gest. Germanor. ad ann. 1075. *His diebus contigit gravi scandalo Babenbergensis Ecclesiæ statum labefactari: Herimannus Episcopus Ecclesiam in honorem beati Jacobi Babenberg foris murum propriis impensis extruxerat, ibique Clericos 25. scientia, moribus & canonicæ conversationis disciplinis haud obscuros congregaverat, & eis quæ ad victum vestitumque sufficerent, affatim providerat. Cumque is quem Congregationi præfecerat, morbo præventus diem clausisset extremum, nactusque opportunitatem temporis Clericos expulit, & locum ipsum cum omnibus appendiciis suis Egbertho Abbati de sancto Michaele tradidit ad instituendum illic Ordinem monasticum, non offensus crimine aliquo Clericorum, cum, vt dixi, honestissime juxta Ecclesiasticas leges vitam instituerent: sed monasticæ conversationis munditia delectatus, in toto Episcopatu suo, si fieri posset, hanc solam esse vitam cupiebat, zelo quidem Dei, sed non secundum scientiam.* Et infrà: *Clerici & inopia familiari & indignitate rei vehementer exacerbati, Regis & omnium Principum regni aures quotidiana proclamatione obtundebant pro injuria sua. Cumque nihil vsquam opis, nihil spei esset, versi ad validissimum illud, quod in sancta Ecclesia vltimæ semper necessitatis, vnitum esse præsidium consuevit; Romam pergunt, & recitata Romano Pontifici per ordinem suæ calamitatis historia, Apostolicæ Sedis patrocinium contra tanti calumniatoris violentiam suppliciter implorant, &c.* Pariter cum quidam Hannoniæ Comes pulsis ex Ecclesia S. Joannis Valentiennis Canonicis Regularibus, Canonicos Sæculares in-

V. Chopin. I. Monastic. tit. 2. num. 17.

ducere vellet, Abbas monasterii ad summum judicem, id est, Deum appellavit. Thomas Cantipratens. lib. 2. cap. 35. *Simile quid & de Comite quodam Hannoniæ fide indubitata percepimus, qui dum vellet in Ecclesia sancti Joannis in Valenciensis Canonicos expellere Regulares, & pro eis ponere Canonicos Sæculares, Abbas ejusdem loci ad summum judicem appellavit.* Et vbi monasterium ex causa transfertur de vno Ordine ad alium, translatio debet fieri, salva Prioribus idonea pensione, alimentorum causa, donec superstites fuerint. Cap. *Ad audientiam 2. de Ecclesiis ædificand.* Hoc jure si monasterium S. Faræ transferretur ad religiosos virilis sexus, Monialibus reservandam esse pensionem ducebat Ivo Carnotensis juris peritissimus, d. epist. 70.

Petrus de Perus. de mutat. stat. Eccles.



CAPUT XVII.

Monasteria reformanda in suo Ordine. Sæcularisatio Monasteriorum.

MONASTERIA, si forte in his religio collapsa sit, debent reformari in suo Ordine, id est, per religiosos reformatos alterius monasterii, ejusdemque Ordinis, ne Ordinem professi a sua vocatione removeantur: sed si hi desint, possunt transferri ad alium Ordinem, reformationis causa, ac demum deficientibus Regularibus, possunt redigi ad Sæculares. Cap. *Inter quatuor.* extr. *De religios. domib.* Et ibi Jo. Andreas, Rodriguez tom. 2. quæst. regul. 50. art. 6. Ratio est, quia tolerabilius est Ecclesiam regi per honestos Clericos Sæculares, quam per pravos Monachos. Verum Ecclesia regularis non potest converti in sæcularem sine auctoritate Summi Pontificis, Bulla sub plumbo expedita. Cap. *Ad audientiam 2. de rebus Eccles. alienand.* Cap. *Relatum. ne Cleric. vel Monach.* Rebuff. in Prax. part. 1. tit. *De erect. Eccles. in secular.* n. 10. & seq. qui male in hanc rem adducit can. *Quæ semel* 19. qu. 3. ex Conc. Chalcedonensi, in quo traditur monasteria semel Deo dicata non posse fieri sæcularia habitacula. Hoc enim non pertinet ad Clericos Sæculares, quorum distinctio ea ætate ignota erat, sed ad vsus sæcula-

res: & ita Græcum habet, κοσμικὰ κατάγώγια. Effectus sæcularisationis est, quod status Ecclesiæ mutatur a regulari in sæcularem, & Monachi solvuntur votis, & fiunt sæculares. quod Summus Pontifex potest de plenitudine potestatis: licet enim S. Pontifex non possit facere, vt Monachus remanens Monachus solvatur a votis substantialibus religionis. Cap. *Cum ad monasterium. de stat. Monach.* Quia non potest efficere, vt Monachus, quamdiu manet Monachus, non sit Monachus: tamen non negatur, quin possit Monachum absolvere a votis religionis, & eum reducere ad statum sæcularem. Ecclesia regularis etiam non transfertur in sæcularem sine auctoritate Principis, tamquam Patroni omnium Ecclesiarum sui regni, quia status Ecclesiæ non mutatur sine consensu Patroni. Cap. *Suggestum. de jur. Patronat.* Cap. *Pervenit. de censib.* Cap. *Dilecta. de excess. Prælat.* Can. *Monasterium* 10. quæst. 7. Panormitan. in cap. *Cum accessissent. de Constitut.* Ubi Monasterium convertitur in Ecclesiam sæcularem, sæcularisatio semper fit salvis prioribus privilegiis, quia accessione novæ dignitatis prior non adimitur. L. *Senatoris filius.* ff. *De Senat.* L. *Falsa.* §. *Si cui. de condit. & demonstrat.* L. *Jubemus.* Cap. *De proxim. sacr.* Sorin. lib. 12. Petr. de Peruf. *de mutat. stat. Eccles.* Rodriguez tom. 2. quæst. regular. 68. art. 4. Quod tamen dubitatione non carebat, quia privilegia concessa regularibus reformationis intuitu, extinguuntur cessante reformatione. Cap. *Recolentes. de stat. Monachor.* Cap. *Cum ordinem. de rescript.* Religiosi tamen ita adstringuntur votis regularibus, vt sæcularisatio per omnia non mutet statum regularem, vt religiosi regularitatis vinculo soluti, neque ab intestato, neque ex testamento succedunt proximis. Benedict. in cap. *Raynut.* in verb. *In eodem testamento* 1. num. 125. quia privilegium Pontificium non debet porrigi in alterius injuriam. L. *Impuberi.* ff. *De administr. tutor.* L. *Nec avus* c. *De emancipat.* Atque ita non debet excludere proxime successores. Et sæcularisatio non liberat monasterium ab oneribus, quæ ante præstabantur, maxime a jure regio imponendi veteranum militem, quem vocant Oblatum. Chopin. Monastic. lib. 2. Rebuff. conf. 105. Imo cum Ecclesia regularis erigitur in Cathedralem, status

regularis non mutatur, quia nihil vetat Ecclesiam Cathedralem esse regularem. Cap. *Novit. Ne sed. vacant.* Petr. de Peruss. *de mutat. stat. Eccles.* init. Chopin. de S. Polit. lib. 1. tit. 3. art. 7. & 8. & idem 1. Monastic. tit. 3. num. 6.



CAPUT XVIII.

Monachi ex eremo acciti ab Episcopis. Approbatio religionum quando petita a Summo Pontifice.

MULTIS sæculis Monachi fuere omnino in potestate Episcopi, velut filioli in potestate, vel potius in sinu patris. Monasterium ædificari, & Congregatio Monachorum adunari non potuit sine consensu & auctoritate Episcopi. Conc. Calched. can. 4. Agathens. can. 27. & 58. Aurelianens. I. can. 11. Can. *Quidam.* can. *De Monachis.* can. *Cellulas.* can. *Abbates* 18. quæst. 2. Primus in Oriente Basilius Monachos ex eremo deduxit in diœcesim, varia monasteria instituit, Monachos ibi congregavit, & regulam dedit. Eusebius Vercellensis Episcopus Clericos & Monachos conjunxit in sua Ecclesia. Augustinus in Africa Clericos Regulares magis restituit quam instituit, & regulam imposuit: inde varia cœnobia Canonicorum, quos vocant Regulares, & Monachorum vbique gentium fundata, quæ omnia facta sunt adhibita sola auctoritate Episcopi: nec legitur vspiam his de rebus aditum fuisse Romanum Pontificem. Primum in Occidente, vbi Benedictus religionem propriam instituit, & regulam conscripsit, non sine consensu & auctoritate Romani Pontificis id factum videtur: Benedicti enim regulam probavit & laudavit Gregorius I. Dialog. lib. 2. capite 36. *Vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit: nam scripsit Monachorum regulam discretione præcipuam, sermone luculentam: cujus si quis velit subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eadem institutione regulæ omnes magisterii illius actus invenire.* Specialiter idem Pontifex in Synodo Romana Benedicti Ordinem & regulam confirmavit. Testis ipse in tabulis privilegii concessi Sublacensi monasterio, quæ fuit prima sedes Benedicti,

e, qua migravit Caſſinum. Apud Baron. Annal. tom. 8. *Ego Gregorius S. R. E. Præſul ſcripſi vitam beati Benedicti, & legi regulam quam ipſe Sanctus manu propria ſcripſit: laudavi eam & confirmavi in ſancta Synodo, & per diverſas partes Italiæ, & vbicumque Latinæ literæ legerentur, præcepi vt diligentiſſime obſervarent quicumque ad converſionis gratiam acceſſuri eſſent ad finem mundi.* Idem Auctor Chronici Altiſſiodor. ad ann. 538. *Hujus* (loquitur de Benedicto) *vitam ſanctus Papa Gregorius ſcripſit, virtutibus plenam & miraculis coruſcantem, quam ab iis didicit & audivit, qui faciem illius viderunt, & ei in præſenti peregrinatione comites fuerunt: quam etiam vitam & regulam idem Dominus Apoſtolicus auctoritate roboravit & ſtylo. vnde & ab illo tempore mos inolevit, vt pene omnes qui monachico habitu induuntur, ſecundum hujus ſancti Patris regulam ſe vivere profiteantur.* Poſt Gregorium Ordinem & regulam ſancti Benedicti comprobavit pari cum elogio Bonifacius IV. in can. *Sunt nonnulli* 16. quæſt. 1. *Neque enim beatus Benedictus Monachorum præceptor almificus, hujus rei aliquo modo fuit interdictor, ſed eos ſæcularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo.* Regulam S. Benedicti in rebus regularibus ejuſdem auctoritatis ac Chalcedonenſe Concilium habuit Alexander II. in can. *Juxta* 16. quæſt. 1. *Juxta Chalcedonenſis tenorem optimi Concilii, Monachis, quamvis religioſis, ad normam ſancti Benedicti intra clauſtrum morari præcipimus.* Item regulas Baſilii, Auguſtini & Benedicti vna ſententia collaudavit Innocentius II. in Synodo Romana, in can. *Perniciosam* 18. qu. 2. *Perniciosam & deteſtabilem conſuetudinem quarumdam mulierum, quæ licet neque ſecundum regulam beati Benedicti, neque Baſilii aut Auguſtini vivant, Sanctimoniales tamen vulgo cenſeri deſiderant, aboleri decernimus*, &c. Quem ſequutus eſt Eugenius III. in Concil. Rhemenſ. celebrato anno Chriſti 1148. Circa annum Domini 1170. in Italia exortæ ſunt duæ ſectæ Humiliatorum & Pauperum de Lugduno, qui a Sede Apoſtolica confirmationem petiere: ſed a Lucio III. repulſi, ob varios errores & ſuperſtitioſam opinionem, quod omne jusjurandum nefas ducerent. Cap. vlt. de Hæretic. in 1. Collect. de quo Abbas Urſpergenſis ad ann. 1212: *Olim duæ ſectæ in Italia exortæ adhuc perdurant, quorum alii Humiliatos,*

alii Pauperes de Lugduno se nominabant, quos Lucius Papa quondam inter hæreticos scribebat, eo quod superstitiosa dogmata & observationes in eis reperirentur. Et infra: *Vidimus tunc temporis aliquos de numero eorum, qui dicebantur Pauperes de Lugduno, apud Sedem Apostolicam, cum magistro suo quodam, vt puto, Bernhardo: & hi petebant sectam suam a Sede Apostolica confirmari & privilegiari. Ast Dominus Papa quædam superstitiosa in conversatione ipsorum eis objecit*, &c. Haud diu post variis religionibus exsurgentibus, ne turba religionum gravaretur Ecclesia, Innocentius III. in Concilio generali Lateranensi vetuit, ne novæ religiones deinceps instituerentur absque approbatione Sedis Apostolicæ. Cap. vlt. *de religios. domib.* quod a Gregorio X. repetitum in Concil. Lugdunensi eod. tit. in 6. de quo Thomas Walsingan. in Eduard. I. ad ann. 1275. *Ipse quoque Gregorius aliquos status de Ordinibus Mendicantium approbavit, vtpote Prædicatores & Minores; aliquos toleravit, vtpote Carmelitas & Augustinenses; aliquos reprobavit, vt Saccinos, qui intitulantur de Pœnitentia, sive de Valle viridi, & consimiles,* nostris *l'Ordre de Vauvert.* Juxta hæc decreta Humiliatos, cum errores emendassent, restituit Innocentius III. & post eum Clemens IV. vt patet ex cap. *Olim causam.* & ibi Gloss. *de restitut. spoliator.* Eodem jure Prædicatorum & Fratrum Minorum Ordines, quorum auctores sunt BB. Dominicus & Franciscus, confirmati sunt a Sede Apostolica. Urspergens. loco modo laudato: *Eo tempore mundo jam senescente exortæ sunt duæ religiones in Ecclesia, cujus vt aquilæ renovatur juventus, quæ etiam a Sede Apostolica sunt confirmatæ.* Item tertium Ordinem Fratrum & Sororum B. Francisci confirmavit Nicolaus III. Gloss. in cap. *Cum ex eo.* verb. *de Ordine tertio. De sentent. excommunicat.* & Gloss. in Clem. 1. verb. *obedientiam de religios. domib.* Et Ordo Templariorum damnatus a Clemente V. in Concilio Viennensi. Denique approbatio & suppressio religionum specialiter reservata est Sedi Apostolicæ: de quo Petrus de Perusio *de mutat. status Eccles.* Hoc jure Bonifacius VIII. statum Canonicarum Sæcularium toleravit, sed non approbavit. Cap. *Indemnitatibus* §. supra dicto *de Elect.* in 6.

ASCETI-



ASCETICΩN
SIVE
ORIGINUM REI MONASTICÆ
LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Abbas, ἀρχιμανδρίτης, Pater, nomen commune Præfectis monaſterii & Canoniæ regularis.



UEMADMODUM Reſpublica vel exercitus ſine duce & Imperatore, navis ſine proreta regi non poteſt : ita & congregatio Monachorum in officio ſtare non poterat ſine Præfecto. Idcirco cum Monachi tædio ſolitudinis in vnum coiere, & cœnobia, id eſt, habitacula Monachorum in commune viventium extructa ſunt, primum in eremo, poſtea in vicis & vrbibus, electus eſt vnus e ſenioribus, qui gregi præeſſet : qui ab ætate vel officio, quod eſt paternum, dictus eſt Abbas, quod nomen vtraque lingua, Hebraica & Syriaca, idem ſonat quod Abbas. Hieronym. 2. in epiſt. ad Galat. cap. 4. *Abba Pater, Abba Hebraicum eſt, id ipſum ſignificans*

L

quod & Pater : & hanc consuetudinem in pluribus locis Scripturæ conservat, vt Hebraicum verbum cum interpretatione sua ponat. Cum autem Abba Pater Hebræo Syroque sermone dicatur, & Dominus noster in Evangelio præcipiat, nullum Patrem vocandum nisi Deum : nescio qua licentia in monasteriis vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquiescamus. Augustin. epist. 178. *Non accipiatur Paulus qui dicit Romanis scribens : In quo clamamus, Abba Pater. In vno nomine duabus vtitur linguis : dicit enim Abba Græco vocabulo Patrem, & Latine nominat idemtidem Patrem.* Et idem de Consens. Evangelistar. lib. 3. cap. 4. in illud Marci 14. *Abba Pater, si possibile est, transfer calicem istum a me. Quod autem ipse Marcus non solum Pater, sed Abba Pater eum dixisse commemorat, hoc est, Abba Hebraice, quod est Latine Pater.* Et Chrysostom. in epist. ad Rom. homil. 14. in eadem verba : *In quo clamamus, Abba Pater.* ὁ δὲ βουλόμενος δεῖξαι γνησιότητα, καὶ τῇ τῶν Ἑβραίων ἐχρήσατο γλώσσῃ· οὐ γὰρ εἶπε μόνον ὁ πατήρ. ὅπερ τῶν παίδων μάλιστά ἐστι τῶν γνησίων πρὸς πατέρα ῥῆμα. *Hic autem ostendere volens germanam legitimamque cognationem, & Hebræorum quoque vsus est lingua : neque enim solum dixit, Pater, sed Abba Pater. quæ potissimum vox est germanorum ac legitimorum ad Patrem liberorum.* Abbatis nomen commune est Præfectis Canonicorum Regularium & Monachorum. Concil. Turonens. III. can. 24. *Simili modo & Abbates monasteriorum, in quibus canonica vita antiquitus fuit, vel nunc videtur esse, sollicite suis provideant Canonicis,* &c. Paris. VI. can. 37. *Decet, immo necesse est, vt Abbates Canonicorum attendant vt quid Abbates vocentur.* Abbas etiam a Græcis dictus est ἀρχιμανδρίτης. Nov. Justin. 5. cap. 7. Καὶ τοῦτο κωλυέτωσαν οἱ θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι, καὶ οἱ γε ἀρχιμανδρῖται λεγόμενοι. *Eapropter etiam hoc prohibeant Deo amabiles Episcopi, & Archimandritæ nuncupati.* Et Nov. 123. κελεύομεν τοίνυν τὸν Ἀββᾶν ἢ τὸν ἀρχιμανδρίτην τοὺς ἐν ἑκάστῳ μοναστηρίῳ προβάλλεσθαι, μὴ πάντως κατὰ βαθμοὺς τῶν μοναχῶν. *Iubemus igitur Abbatem aut Archimandritam in vnoquoque monasterio ordinari, non omnino secundum gradum Monachorum.* Et quod Archimandrita nomen dignitatis esse significat, Præfecti habitantium in memoriis, id est, monumentis, Archimandritarum nomen vetantur assumere. Chalced. Concil.

act. 4. ὥστε μὴ ἑαυτοὺς ἀρχιμανδρίτας λέγειν τοὺς ἐν μνημείοις κατοικοῦντας. *Vt non se dicant Archimandritæ qui in monumentis habitant.* Archimandritæ nomen à Græco μάνδρα, quod est spelunca, quod cellæ Monachorum essent in speluncis & abditis silvarum. Evagr. lib. 1. cap. 13. de Symeone Stylite. ἐν μὲν τῷ πρώτῳ φροντιστηρίῳ, ἔνθα τὰ θεῖα κατηχήθη, ἔτη ἐννέα, ἐν δὲ αὖ τῇ καλουμένῃ μάνδρᾳ ἕπτα ϗ τεσσαράκοντα. *Nam in monasterio, in quo primum divina didicit, annos vixit novem: in mandra autem (sic enim vocatur) quadraginta septem.* Idem Nicephor. lib. 14. cap. 51. Abbates Patres dicti a Monachis, & retro Monachi filii. Cap. vlt. extr. *de Regular.* Augustin. de morib. Eccles. Catholic. cap. 31. *Hi vero Patres non solum sanctissimi moribus, sed etiam divina doctrina excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nulla superbia consulunt iis quos filios vocant, magna sua in jubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate.* Hieronymus ad Eustoch. *Et completis orationibus, cunctisque residentibus, medius, quem Patrem vocant, incipit disputare.* Et infra: *Opus diei statum est, quod Decano redditum fertur ad œconomum, qui & ipse per singulos menses Patri omnium cum magno tremore reddit rationem.* Abbates etiam a Monachis Magistri dicti, quod Abbatis officium est docendi munus. Hieronym. in vit. Hilarion. *Eodem ferme tempore Hadrianus discipulus ejus de Palæstina supervenit, vbi Hadrianus infelix volens Palæstinam reverti, & pristinam sub nomine Magistri quærens gloriam, multas ei fecit injurias super hoc, quia alter locus referendi non est: hoc tantum dixerim in terrorem eorum, qui Magistros despiciunt, quod post aliquantulum temporis computruerit morbo regio.*



CAPUT II.

Ætas, qualitas, ordo Abbatum.

EXPOSITA significatione vocabuli Abbatis, & variis appellationibus ejusdem, proximum est scire, quænam ætas, qualitas & ordo requirantur in Abbate. Abbates &

alii Prælati Regulares debent esse Presbyteri, quia habent curam animarum annexam officio. Cap. 1. extr. *de ætat. qualit. & ordinat. præficiendor.* cap. *Cum in cunctis.* §. *Inferiora. de elect.* Synod. VII. can. 14. can. *Quoniam* 69. dist. Ab initio cum Monachi essent extra Clerum, Abbates ipsi erant laici: vnde Abbas ponitur post Ostiarium, qui est infimus ordo Clericorum. Can. *A Subdiacono* 93. dist. Sed rebus in melius compositis, ne deesset in monasterio qui Missam celebraret, & sacramenta fratribus ministraret, vsu inolevit vt Abbas cujusque monasterii esset Presbyter. Augustin. de morib. Eccles. Catholic. cap. 33. *Vidi ego diversoria sanctorum Mediolani non paucorum hominum, quibus vnus Presbyter præerat, vir optimus & doctissimus. Romæ etiam plura cognovi, in quibus singuli gravitate atque prudentia & divina scientia præpollentes cæteris secum habitantibus præsunt, Christiana caritate, sanctitate & libertate viventibus.* Ita Eudoxio Abbati & Presbytero insulæ Caprariæ scripta est Augustini epist. 81. Paphnutium & Isidorum Abbates & Presbyteros Scythi vel Scythicæ eremi, quæ est in Ægypto, memorat Cassian. collat. 18. cap. 15. *Nunc aliud Abbatis Paphnutii pandamus exemplum, qui in illius insignis & vbique prædicabilis Scythioticæ eremi, in qua nunc Presbyter est, secretis tanto studio semper insedit*, &c. Et infra: *Cumque celebrata omnis fuisset ex more solemnitas, querelam sancto Isidoro, qui ante hunc eundemque Paphnutium ejusdem eremi Presbyter fuit, coram cunctis fratribus detulit.* Hodie Abbas intra annum ad Sacerdotium promovendus est, alioquin privatur. Clem. *Ne in agro.* §. *Cæterum. de stat. Monachor.* Se Diaconum lectum in Abbatem, & paulo post Presbyterum ordinatum testatur Goffridus Abbas Vindocinens. lib. 2. epist. 30. *Nam contra vitæ merita ordinatus Levita; deinceps vero non quidem sapientiæ doctrina Abbas factus, & Romæ Presbyter consecratus.* Etiam in minoribus ordinibus constitutus potest esse Abbas ex dispensatione. Cap. *Tuam. de ætat. & qualit.* Rainaldus Abbas Cassinensis depositus, quod Subdiaconus electus esset contra canones. Leo Ostiens. Chronic. Cassinens. lib. 4. cap. 123. Fratres Hospitalis Hierosolymitani habent Priorem qui Presbyter esse debet. Cap. *Canonica. de sentent. excommunic.* cap. *Tuarum. de privileg.* Abbas

Chopin. Monastic. lib. 1. tit. 2. num. 10.

debet esse 25. annorum, quæ ætas est idonea ad Presbyteratum. Hodie in Gallia nominandus a Rege ad Prælaturam sæcularem vel regularem saltem debet esse 27. annorum. Ex Concord. §. 1. *de regia ad Prælatur. nominar.* Item Abbas & quilibet Prælatus regularis debet esse professus in ea religione, in qua eligitur in Abbatem: non professus non potest eligi in Abbatem, ne prius sit magister quam discipulus. Cap. *Cum causam.* cap. *Cum ad nostram.* cap. *Officii.* cap. *Cum in magistrum* extr. *de elect.* Arnulf. Lexoviens. sermon. habito in Synodo: *Regularis autem conventus accipiat Patrem regulari institutione formatum; ne statuæ aureæ caput æneum tuo, quod absit, opificio dicatur affixum.* Non professus, inquam, non potest eligi in Abbatem: imo non potest eligi, nisi expresse professus. Cap. *Nullus.* eod. tit. in 6. nisi cum electo dispensetur a Pontifice ex causa. d. cap. *Officii.* Singulare est in Ordine B. Francisci ex regula confirmata a Sede Apostolica, vt Conversi qui sunt laici, nullo ordine præditi, possint esse Prælati: sed hoc contrario vsu sublatum est propter imperitiam hujusmodi hominum, & damna Ordinis inde erumpentia. Roderic. quæst. regular. tom. 1. quæst. 16. art. 2. Abbas etiam debet esse legitimis natalibus: illegitimus non prohibetur esse Monachus, sed omnino arcetur a Prælaturis regularibus, ex Conc. Pictaviensi cap. 1. *De filiis Presbyteror.* can. *Presbyterorum.* can. *Nisi* 56. dist. quia major idoneitas requiritur in Abbate quam in Monacho. Chopin. 2. Monastic. tit. 3. num. 7.

CAPUT III.

Officium & potestas Abbatum.

Exposita ætate, qualitate & ordine Abbatum, proximus locus subit tractandi de officio & potestate Abbatum. Abbas est Prælatus & Ordinarius in suo monasterio & Ecclesiis pleno jure subditis. Cap. *Ne pro defectu. de elect.* cap. *Quanto. de offic. Ordinar.* & habet jurisdictionem quasi Episcopalem. Cap. *Abbates. de privileg.* in 6. Habet enim fe-

Officium Abbatis graphice depingit Innocent. III. l. 1. epist. 2.

re eandem potestatem in Monachos, quam Episcopus in Clericos sæculares. Abbas habet plenam & ordinariam potestatem in Monachos, & hoc est quod dicitur in can. *Nullam* 18. quæst. 2. *de Abbate : Ad quem potestas tota pertinere convenit.* Potestas vero Abbatis alia est dominica seu œconomica, alia ordinis & dignitatis, alia jurisdictionis. Potestatis œconomicæ est administratio & dispositio bonorum monasterii : Abbas enim habet administrationem & curam omnium bonorum temporalium monasterii, & debet habere sollicitudinem omnium quæ pertinent ad divinum cultum, vel ad vtilitatem monasterii. d. can. *Nullam.* Unde ex hoc can. Abbatis nomen potius esse sollicitudinis quam ordinis & honoris ait Glossa in cap. *Tuam. de ætat. & qualit. & ord. præficiend.* Abbas habet dispensationem rerum Ecclesiasticarum, non perdendi impune potestatem : non potest enim alienare res Ecclesiæ, nisi ex causa necessitatis & vtilitatis, & adhibito consensu Capituli. Clem. *Monasteria, de reb. Eccles. alienand.* Covarruv. lib. 2. variar. resolut. cap. 3. num. 9. Rebuff. tractat. de alienat. rerum Eccles. num. 91. Roderic. quæst. regular. tom. 1. quæst. 28. art. 2. Nec potest in feudum dare res Ecclesiæ, quæ sunt ejusdem tituli, id est, dos Ecclesiæ, nec solent in feudum dari, ex Constitut. Urbani II. quæ laudatur 1. feud. tit. 2. quia in feudum vel emphyteusim datio est genus alienationis. Leg. vlt. c. *De reb. alien. non alienand.* cap. *Ex parte. de feud.* Nihil vetat tamen ab Abbate vel Prælato quolibet in feudum vel emphyteusim dari, etiam sine solemnibus, res in feudum dari solitas, quia hujusmodi infeudatio non est alienatio, sed res & actus rectæ administrationis. Guid. Pap. quæst. 100. Et administratio rerum monasterii ita pertinet ad Abbatem, vt Monachis quoque non liceat alienare res Ecclesiæ sine consensu Abbatis, etiamsi mensæ distinctæ sint inter Abbatem & Conventum, quia sectio mensarum non mutat rei statum & communionem rerum, neque Abbati adimit procurationem rerum Ecclesiæ quasi communium. Cap. *Edoceri. de rescript.* Panormitan. in cap. *Cum ad monasterium. de stat. Monach.* Chopin. de S. Polit. lib. 1. tit. 1. num. 15. Idem Monastic. lib. 1. tit. 2. num. 16. Covarruv. præd. loc. Ad potestatem Ordinis perti-

net ordinatio divini officii, collatio Tonſuræ & minorum Ordinum, & jus benedictionis. Abbatis eſt ordinare divinum officium & omnia quæ pertinent ad divinum cultum. d. can. *Nullam.* Ejuſdem eſt Horas Canonicas ſuis temporibus ſignificare. Regul. Benedict. cap. 47. Ut in ſæcularibus & regularibus Eccleſiis horis debitis devote pſallatur, ſtatutum eſt in Concilio Viennenſ. Clem. 1. *de celebrat. Miſſar.* Apud Græcos erat vnus e fratribus nomine *κανονάρχης*, qui Monachos de nocte excitabat pulſu ligneæ tabulæ, vt ſurgerent ad Matutinas. Jo. Moſchus Limonar. cap. 11. *καὶ κρούσαντος τῦ κανονάρχου τὸ ξύλον, ἐφ' ᾧ πάντας τοὺς ἀδελφοὺς συναχθῆναι. Pulſante Canonarcho lignum, quo omnes fratres convenirent.* Ex privilegio vel conſuetudine Abbas poteſt conferre Tonſuram & Ordines minores ſubditis intra ſepta monaſterii ſui. non aliis, ſi ſit Presbyter & benedictus. Can. 1. & 2. 69. diſt. cap. *Cum contingat. de ætat. & qualit. & ord. præf.* cap. *Abbates. de privileg.* in 6. Conc. Trid. ſeſſ. 23. *De reform.* cap. 10. cap. 1. *De ſuppl. negligent. Prælat.* Et hoc eſt quod intelligit Alexand. III. in cap. 1. *De ordinat. ab Epiſcopo, quandoque minores Ordines a non Epiſcopis conferri.* Vel ſi habendus ſit pro benedicto. Chopin. Monaſtic. lib. 1. tit. 2. num. 18. Capell. Toloſ. deciſ. 450. Hoc jure vſi olim Abbates Galliæ. Gregor. Tur. de vit. Patr. capite 6. Apud Surium tom. 4. *Tunc Abbas iſta nunciis referentibus puerum Clericum fecit.* Abbas quoque ſi ſit Presbyter & benedictionem acceperit, habet jus fundendi benedictionem ſuper Monachos. Cæſarius de Miracul. lib. 1. cap. 35. *Et chorum more Abbatis circumiens Monachis benedixit.* Ex privilegio ſpeciali Abbas etiam poteſt ſolemnem benedictionem fundere ſuper plebem, poſt Miſſarum ſolemnia, aut matutinas vel veſpertinas preces, in Eccleſiis plene ſibi jure ſubjectis, alibi minime, niſi ex ſpeciali privilegio. d. cap. *Abbates.* & Conc. Trident. d. loc. His exceptis Abbas non poteſt Epiſcopalia exercere, puta non poteſt publicam pœnitentiam injungere, Miſſam publicam celebrare, oleum ſeu chriſma conficere, plebem confirmare, indulgentias concedere, ne vileſcat auctoritas Epiſcopalis. Can. *Pervenit.* can. *Interdicimus* 16. quæſt. 1. cap. *Accedentibus. de exceſſ. Prælat.* Clerici non ordinantur ſine teſti-

monio Abbatis. Can. *Si quis* 58. dist. can. *Monachi* 16. quæst. 1. can. *Quam sit* 18. quæst. 2. Jurisdictionis sunt correctio Monachorum, excommunicatio, suspensio, & alia de quibus proprium caput, quod proxime sequitur, instituí par videtur.

CAPUT IV.

Officium & potestas Abbatis. Ejus jurisdictio in Monachos.

ABBAS habet ordinariam jurisdictionem in Monachos. Hoc jure proprium Abbatis est, recipere professionem Monachorum. Cap. *Porrectum.* cap. *Ad Apostolicam. de Regular.* de quo fusius suo loco. Abbatis est conferre professis beneficia regularia. Cap. *Cum singula. de præbend.* in 6. Clement. *Ne in agro.* §. *Cæterum.* M S. *Sane Prioratus de statu Monach.* Ad Abbatem pertinet correctio Monachorum, & ejus est convocare Capitulum pro corrigendis fratribus. Cap. *Nimis prava. de excess. Prælatorum.* Ubi notantur Episcopi, quod Capitula & scrutinia in locis fratrum, pro his corrigendis, se facturos interminantur. Abbatis est Monachos excommunicare. Cap. *Cum in Ecclesiis. de major. & obedient.* cap. *Quanto. de offic. Ordinar.* cap. *Sicut. de simonia.* & suspendere, quia suspensio & excommunicatio ejusdem sunt jurisdictionis. Cap. *Quærent. de V S.* Monachos qui aliquod delictum admiserant, ad tempus ab altari arcebat Eulogius Abbas & Presbyter. Sozomenus libro 6. cap. 28. Idem de Arsisio narrat Nicephorus lib. 11. capite 37. Idem de Bernardo in ejus vitæ lib. 1. cap. 11. *Agebatur solemnitas quædam præcipua, & frater aliquis, quem pro secreta culpa ab altaris sacri communione suspenderat, notari timens, & ruborem non sustinens, ad manum ejus cum cæteris nimium præsumptuosus accessit.* Monachi vero excommunicari vel suspendi ab Abbate non possunt, nisi ob graviora delicta, & præmissa monitione. Cap. *Reprehensibilis. de appellat.* can. *Abbates* 18. quæst. 2. Abbatis est Monachos fugitivos requirere, eosque ad claustrum reducere,

ducere; salva Ordinis disciplina. d. cap. *Quanto.* cap. vltim. *de Regular.* cap. *A nobis. de Apostat.* Abbas Monachos, si se in claustro percusserint, disciplinæ subdere debet, & post correctionem eos absolvere, ne eis detur occasio evagandi. Cap. *Monachi. de sentent. excommunicat.* cap. *Religioso.* eodem tit. in 6. Abbas habet coercitionem Monachorum per virgas vel flagella: vnde plerumque Abbates habebant virgam ad manum. Gregor. Dialogor. lib. 1. cap. 2. *Quadam namque die is qui post venerabilis Honorati exitum monasterii regimen tenebat, contra eundem venerabilem Libertinum in gravi iratum diu exarsit, itaut eum manibus cæderet: & quia virgam qua eum ferire posset, minime invenit, comprehenso scabello suppedaneo faciem ei ac caput intudit.* Et idem lib. 2. cap. 4. scribit de Monacho vago & errone, qui ex quo a beato Benedicto virga percussus est, in monasterio constans & stabilis fuit. Et Petrus Damiani in vita sancti Romualdi cap. 4. *Marinus vero virgam in dextera gerens, Romualdo e diverso sedenti sinistram capitis partem sæpissime verberabat.* Ad fores Nitriensis Ecclesiæ consitas fuisse tres palmas, quarum e singulis flagellum penderet: vnum ad correctionem Monachorum, secundum & tertium ad animadversionem latronum & advenarum, narrat Pallad. Histor. Lausiac. capite 6. Quandoque Abbas Monachos etiam palma in os percutiebat, patientiæ ipsorum fortius exercendæ causa. De Abbate Paulo refert Cassianus collat. 19. cap. 1. *Sub occasione istius tarditatis prædictus Abbas Paulus, qui inter turbas ministrantium fratrum sollicite discurrebat, exerta manu palma eum sub omnium percussit intuitu.* Etiam Episcopis frequens fuit id genus coercitionis virgarum in Clericos. Augustinus epistola 159. ad Marcellinum Comitem: *Noli perdere paternam diligentiam, quam in ipsa inquisitione servasti, quando tantorum scelerum confessionem, non extendente equuleo, non sulcantibus vngulis, non vrentibus flammis, sed virgarum verberibus eruisti: qui modus coercitionis & a magistris artium liberalium, & ab ipsis parentibus, & sæpe etiam in judiciis solet ab Episcopis adhiberi.* Can. *Circumcelliones* 23. quæstion. 5. Abbas habet coercitionem Monachorum in his quæ pertinent ad disciplinam regularem, & quæ intra claustrum admittuntur; in aliis vero quæ committuntur ex-

tra claustrum, & gravioribus delictis, quæ pœnis legum vel canonum digna sunt, cognitio pertinet ad Episcopum. Can. *Hoc tantum* 18. quæst. 1. can. *Si quis* 58. dist. can. *De persona* 11. quæst. 1. cap. *Reprehensibilis. de appellat.* cap. *Monachi.* cap. *Universitatis. de sentent. excommunicat.* Concilium Tridentinum sess. 25. *de reformat.* cap. 14. Abbas quidem habet ordinariam potestatem juxta regulam: tamen ex causa potest dispensare cum Monacho, vt modicum retineat ad vsum suum, reservata proprietate monasterio, quia Monachus nihil potest habere proprium. Cap. *Cum ad monasterium. de statu Monach.* Abbas habet totam potestatem in Monachos. Can. *Nullam* 18. quæst. 2. vnde religiosus non potest consentire electioni de se factæ in Abbatem, vel Prælatum alterius monasterii, sine consensu Abbatis, quia nec velle nec nolle habet, ejusque arbitrium non sua, sed illius quem vice Dei supra caput suum posuit, & cujus imperio se subjecit, voluntate dependet. Cap. *Quorumdam.* cap. *Si religiosus. de elect.* in 6. Clement. vltim. eod. tit. Anselmus Abbas Beccensis, & postea Cantuariensis Archiepiscopus, lib. 2. epistola 42. Lanfranco Monacho ejusdem cœnobii: *Antequam donum Abbatis acciperes, dicebam tibi & aliis secrete & publice, corde & ore, me nolle vt acciperes, non approbare, non consulere, numquam me esse præcepturum, & si sine jussione mea acciperes, numquam te benedictionem Abbatis ab ullo Episcopo meo assensu esse accepturum.* Et infra: *Non enim intrat Monachus in Abbatiam per rectitudinem, qui non intrat per regularem electionem & per obedientiam.* Et idem libro 3. epist. 32. Gervino Episcopo Ambianensi: *Frater ille Normannus Ecclesiæ nostræ Professus, quem Abbatem electum esse mihi mandastis, & cujus ordinationi me assensum præbere suadetis, me & fratribus Ecclesiæ ignorantibus trans mare abiit, vt nec iter ejus nec causam itineris ejus agnosceremus. Quapropter nec vos, vt literis vestris intimatis, eum sine assensu nostro ordinare debetis, nec ego in hoc assensum præbeo, nec præbere debeo, in quantum intelligere queo.* Abbas habet potestatem in Monachos & subditos regulares, sed non habet jurisdictionem in laicos, id est, colonos possessionum vel Ecclesiarum monasterio subjectarum: ideo non habet cognitionem causarum matrimonialium, inter eos scili-

cet. Cap. *Accedentibus. de excess. Prælat.* nisi ex privilegio speciali vel consuetudine. Cap. *Auditis. de præscriptionibus.* quia cognitio hujusmodi causarum est Episcopi. Cap. *Ad hæc vt lit. non contestat.* cap. *Literas. de restitut. spoliat.* cap. 1. *De consanguinit. & affinitat.*

CAPUT V.

Jurisdictio Episcopi in Monachos.

QUÆNAM sit jurisdictio Abbatis in Monachos, proximo capite quæsitum est : nunc videamus quænam sit jurisdictio Episcopalis in eosdem. Jure antiquo Abbates & Monachi omnes parebant Episcopo diœcesano. Synod. Chalced. can. 4. ἔδοξεν τοὺς καθ᾽ ἑκάστην πόλιν καὶ χώραν μονάζοντας ὑποτετάχθαι τῷ ἐπισκόπῳ. *Placet eos qui per singulas civitates vel regiones in monasteriis sunt, subjectos esse Episcopo.* Can. *Qui vere* 16. quæst. 1. Qua de causa eodem canone vetitum est, ne monasteria ædificentur sine consensu Episcopi. Can. *Quidam* 18. quæst. 2. de quo irati Eutychiani Monachi multas ob Concilium Chalcedonense in Palæstina turbas excitarunt. Evagrius lib. 2. cap. 5. Quam insane & religioni parum congruenter, tacere non sustineo : Chalcedonenses enim canones jus novum non continent, sed antiquum tuentur. Monachos enim ab origine fuisse subjectos Episcopis, variis locis probatur. Episcopalem potestatem in Monachos vindicavit Theophilus Alexandrinus Episcopus, cum Monachos quosdam ex eremo accivit, vt eis vteretur in administrationem Ecclesiæ : & cum verbis suadere non posset, auctoritate Episcopali eos coegit, & Clericos ordinavit. Socrates lib. 6. cap. 7. ὡς ἐπίσκοπος δὲ ὅμως καὶ προσηνάγκασεν. *Vt Episcopus coegit.* Eadem auctoritate vsus est Episcopus, cum rogante sorore Pior Monachum Ægyptium qui voto se obligarat, ne quemquam e suis vmquam oculis aspiceret, ad se evocavit, scriptis ea de re litteris ad Abbatem, vt ad se Pior mitteretur. Paruit Monachus, cum non posset illis contradicere : & vbi in patriam pervenit, stans pro foribus

ædium paternarum sorori clausis oculis se in conspectum præbuit, & paulo post recessit, & jussum Episcopi implevit, salva religione voti. Sozomenus lib. 6. capite 29. Ægyptii Monachi eadem demissione & obsequio parebant Episcopo, quo Clerici. Eadem erat potestas Episcopi in Monachos, quæ in Clericos: & singulis annis epistolæ Episcopi Alexandrini per vniversas Ægypti Ecclesias & monasteria dirigebantur, quibus initium Quadragesimæ & dies Paschæ designaretur. Cassianus collat. 10. cap. 2. Monachi erant omnino in potestate Episcopi. Concil. Aurelianens. I. can. 11. *Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant; & si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur.* Can. *Abbates* 18. quæst. 2. Omnimoda correctio Monachorum spectabat ad Episcopum, etiam in his quæ spectabant ad regulam & disciplinam regularem. Hæc enim est vera & sanior sententia can. 50. Concilii Toletani IV. qui refertur in can. *Hoc tantum* 18. quæst. 1. *Sed hoc tantum sibi in monasterio vendicent Sacerdotes, quod præcipiunt canones: hoc est Monachos ad conversationem sanctam præmonere, & Abbates aliaque officia constituere, atque extra regulam facta corrigere.* Inepta & lusoria distinctio interpretum, qui volunt ex his canonibus jurisdictionem Episcopi in Monachos locum habere tantum in his quæ admittuntur extra regulam, id est, foris & extra claustrum: hi enim canones plenissimam jurisdictionem tribuunt Episcopo in Monachos, etiam in admissis contra regulam, saltem in gravioribus. In levioribus enim delictis haud dubie coercitio erat Abbatis, vt concedit ipsa Glossa in d. canon. *Hoc tantum.* in cæteris cognitio erat Episcopi: quod enim dictum est in vtroque canone *extra regulam*, idem sonat ac *contra regulam*, vt in can. *Præsens* 20. quæst. 3. extra voluntatem fieri dicitur, quod fit contra voluntatem, & alibi extra legem quod contra legem. Petron. in Satyric. *O Dii Deæque, quam male est extra legem viventibus!* Ne credas me indulgere Episcopis, passim occurrunt insignia vestigia jurisdictionis Episcopalis in Monachos. Isidorus Pelusiot. lib. 1. epist. 149. Episcopi officium esse ait, ἐπισκοπεῖν τὰς τῶν μοναχῶν ὀλιγωρίας, *speculari Monachorum negligentias.* In Concilio Chalcedonensi

contumaciæ ſimul & hæreſis damnatus Eutyches Archimandrita, qui in Synodum vocatus a Flaviano Patriarcha Conſtantinopolitano, reſpondit ſe monaſterio tamquam ſepulcro teneri, inde egredi non poſſe: πρόσπω δέ τινι ὡς ἐν τάφῳ διατρίβειν ἐν τῇ μονῇ, vt fertur act. 1. ipſius Synodi. Olim etiam ordinatio & inſtitutio Abbatum erat penes Epiſcopum, ex Ordine Romano, & d. can. *Hoc tantum.* d. can. *Abbates.* can. *Accedens* 50. diſt. can. *Si quis* 58. diſt. Etiam hodie benedictio Abbatum pertinet ad Epiſcopum. Cap. *Cum inter R. ſeniorem. de elect.* cap. *Statuimus. de ſupplement. negligent. Prælator.* Et in argumentum ſubjectionis & obedientiæ, Abbates ante benedictionis munus acceptum ſolebant Epiſcopis edere ſubjectionis & obedientiæ profeſſionem, cujus formulam Abbatibus Ciſtercienſibus dedit Honorius III. in cap. *Ne Dei Eccleſiam de ſimon.* Ejuſdem ſubjectionis ſingulare argumentum eſt, quod Abbates ad pedes Epiſcoporum provolvi conſueviſſe indicat epiſtola Acacii & Pauli Archimandritarum Syriæ ad Epiphanium Salamynæ Cypri Epiſcopum, qua ſignificant ſe in votis habere eum videre, & ad ejus pedes accidere: αὐτοὶ γενόμενοι πρὸς τοὺς πόδας σου. Jure antiquo ex his pleniſſima erat juriſdictio Epiſcoporum in Abbates & Monachos, nec eam detrectabant, imo lubenter & reverenter amplectebantur Abbates & Monachi. Sed ex quo ordinatio Abbatum deſiit eſſe apud Epiſcopos, & Abbates eligi cœpere a ſuis, quod jam a Pelagio I. ſtatutum eſt. Can. *Abbatem* 18. quæſt. 2. Inde paulatim excuſſa poteſtas Epiſcopalis in Monachos, Monachis Epiſcopum quaſi alienum deſpicientibus; & juriſdictio Epiſcopalis, quæ erat plenior in Monachos, variis artibus & technis tentata, primum commento diviſionis juriſdictionis Epiſcopalis in legem diœceſanam, & legem juriſdictionis. Hac enim ſemel audita, monaſteria quidem manſerunt in poteſtate Epiſcopi quoad ea quæ ſunt juriſdictionis, niſi ſpecialiter eſſent exempta. Can. *Monaſteria* 18. quæſt. 2. cap. *Cum venerabilis. de religioſ. domibus.* cap. *Dilectus. de offic. Ordinar.* De cætero monaſteria ſoluta ſunt a lege diœceſana in multis, puta a jure proceſſionis publicæ & popularis conventus. Can. *Si ex laicis* 10. quæſt. 1. a præſtatione Cathe-

dralici. Can. *Inter cætera* 10. quæst. 3. vel quotæ oblationum quæ a fidelibus fiebant, vt egestati Monachorum consuleretur. Can. *Cum pro vtilitate* 16. quæst. 1. Sed paulo post fere in totum corruit jurisdictio Episcopalis in Monachos Pontificiis exemptionibus Monachorum, quæ valde increbuerunt a temporibus Gregorii I. Can. *Quam sit necessarium*. can. *Luminoso* 18. quæst. 2.



CAPUT VI.

Abbates Commendatarii. Origo & abusus Commendarum.

QUAMDIU genius regularis disciplinæ viguit, non Monachus, id est, non Professus, puta Clericus sæcularis cujusque Ordinis, in Abbatem eligi non potuit. Can. *Presbyteros* 16. quæst. 1. cap. *Cum causam*. cap. *Cum in Magistrum. de elect.* & singula monasteria habebant proprium Abbatem regularem, nec poterat vnus & idem Abbas præesse diversis monasteriis. Can. *Monachum* 20. quæst. 4. can. *Unum Abbatem* 21. quæst. 1. Sed vitio sæculi & nimia indulgentia Principum factum est, vt plures Abbatiæ vni & eidem Abbati traderentur ob gratiam Principis vel merita de Republica: vna scilicet in titulum & nomine Abbatis, aliæ procurationis seu custodiæ nomine. vnde cœpit vsus Commendarum. Hilduino Abbati sancti Dionysii & Archicapellano Palatii a Ludovico Pio concessæ sunt procurationis nomine Abbatiæ sancti Medardi Suessionensis & sancti Germani Parisiensis. Aimoinus lib. 4. cap. 114. *Ipse autem venerabilis Abbas præfatus Hilduinus inter plurima quæ ei augustali benignitate commissa fuerant monasteria, habebat procurationem cœnobii nobilis in prospectu vrbis Suessorum, quod Clotharius quondam Rex Francorum filiusque ejus Sigebertus, in honorem beatissimi Medardi confessoris Christi, magnis construxerant sumptibus, in quo & ejus sacratissima tumulaverant membra. Simili modo prædictus Abbas post decessum Irminonis regebat lo-*

cum sancti Vincentii Levitæ & Martyris in suburbano vrbis Parchisiacæ, vbi pretiosus Christi Confessor Germanus requiescit, &c. Eodem & pejori vitio temporis Abbatiæ commendatæ sunt Episcopis custodiæ seu procurationis nomine. Abbatiam sancti Germani vacantem morte Hilduini Abbatis, Ebroino Pictaviensi Episcopo concessit idem Ludovicus Pius, Commendæ seu procurationis nomine. Idem Aimoinus libro 5. cap. 19. *Imperator porro præfatum Episcopum in Aquitaniam cum multis gratiarum actionibus remisit, dans ei regimen Abbatiæ sancti Germani Parchisiensis: nam Hilduinus Abba vita decesserat.* Abbatiam sancti Galli apud Helvetios vna cum Episcopatu Aquileiensi tenuit Udalricus. Bertoldus Constantiensis Presbyter in Chronic. ad ann. 1093. *Dominus Udalricus, qui Abbatiam sancti Galli & Aquileiensem Episcopatum, non intrando per ostium obtinuit.* Etiam in vrbem Romam jam a temporibus Nicolai I. irrepsit idem vitium, Zachariam Episcopum Anagninum procuratorem seu administratorem fuisse monasterii sancti Andreæ ad clivum Scauri in vrbe, quod a beato Gregorio in ædibus propriis extructum est. Joannes Diaconus ipsius vitæ lib. 4. cap. 93. *Reverendæ quoque memoriæ Nicolai Pontificis tempore regimen ejusdem monasterii Zacharia civitatis Anagninæ Præsule, sicut hodie superest, procurante.* Et idem cap. 97. ejusdem libri: *Zacharia Episcopo, de quo præfatus sum, Gregoriani monasterii curam gerente.* Abbatiam Abbendoniensem Gothofredo Episcopo S. Asaph in Wallia custodiæ nomine concessit Henricus II. Rex Anglorum. Roger. Hovedenus ad ann. 1175. *Henricus II. Gothofredo Episcopo S. Asaf in Wallia dedit Abbatiam Abbendoniam vacantem in custodiam, donec ad propriam sedem, quam deserere coactus fuerat, rediret.* Inde jam a temporibus Leonis IV. Italia pessumdata infestis Sarracenorum armis, & plerisque Ecclesiis Pastore destitutis, ne vacuæ & ministerii expertes jacerent, facile a Leone IV. viro piissimo concessum est, vt quis plures Ecclesias sæculares vel regulares obtineret, vnam in titulum, alteram in Commendam. Can. *Qui plures* 21. quæst. 1. Res eo curruptelæ pervenit, vt plures Episcopatus vni concederentur diversis nominibus: vnus in titulum, alter in Commendam. Albertus

Krantzius Metropolis lib. 3. cap. 37. *Giſelerus pridem Merſburgenſis Epiſcopus perfecit apud Ottonem Imperatorem Rufum, vt a minori ad majorem aſſumeretur Eccleſiam, (ea eſt Magdeburgenſis) minore tamen non relicta; ſcandalumque peperit res illa ætate incompoſta, vt duabus Eccleſiis vnus eſſet Pontifex, hoc eſt, vnus ſponſus duabus ſponſis. Id vero ætas noſtra jam deſiit pro frequentia mirari, quod paſſim cernimus alteram alteri Eccleſiæ in vna perſona accedere, vt habeat alteram in titulum, alteram vero in Commendam*, &c. Commendæ ab initio, quod tolerabilius erat, admittebantur ad tempus, puta ſex menſium, vt Eccleſiæ vacanti conſuleretur, & interim de idoneo Paſtore provideretur. Cap. *Nemo. de elect.* in 6. Sed nimia indulgentia Pontificum Commendæ quæ temporales erant, & brevioris temporis lineis circumſcribebantur, deſiere in perpetuas, & lues ita late ſerpſit, vt malum inſanabile factum ſit. Aliquando etiam Abbatiæ Commendæ nomine Clericis ſæcularibus datæ ſunt, ob defectum regularium. Innocentius III. epiſt. 4. Regiſtr. 13. *Cum dilectus filius B. titulo S. Suſannæ Presbyter Cardinalis, tunc Apoſtolicæ Sedis Legatus, Sebaſtienſi Epiſcopo, ſalvo mandato noſtro, cuſtodiam monaſteriorum Montis ſancti, quæ ad Sedem Apoſtolicam immediate pertinere dicuntur, duxerit committendam*, &c. Clemens V. Commendas ſæculares beneficiorum regularium exhorruit, earumque ſublatione initia Pontificatus conſecravit. Extravag. 2. *de Præbend.* Sed eas reſtituere Urbanus VI. & Bonifacius IX. quos ſecutus eſt Paulus II. qui poſtridie ordinationis ſuæ a Cardinali Portuenſi monitus, ne latius fœdam labem Eccleſiæ ſerpere ſineret, reſpondit monaſteria quingenta & amplius a Pontificatu Callixti III. in eum diem commendata Clericis ſæcularibus, ex Jacobi Papienſis epiſtola ad Franciſcum Spinulam. Chopin. 1. Monaſtic. tit. 1. numero 14. His auctoribus peſſimus vſus Commendarum perpetuarum invaluit in hunc diem, hoc linimento adhibito, quod Commendis aliquis modus impoſitus eſt, ne diſciplina regularis per eas in totum labefactetur. Nimirum Abbates Commendatarii quidem gaudent commodo fructuum, quaſi titulares, etiam ipſa collatione beneficiorum & juribus honorificis: puta judices dantur a Summo Pontifice, & man-

data

data Apostolica exequuntur, vocantur ad Synodos diœcesanas & provinciales. Sed non habent penes se correctionem & disciplinam religiosorum : ea enim pertinet ad Priorem Claustralem. Cap. *Cum ad monasterium. §. Abbates. de stat. Monachor.* Nec possunt recipere professionem Monachorum, instituere vel amovere Priorem Claustralem, nisi sint Cardinales, quibus Abbatiæ pleniori & pinguiori cum jure commendantur. Chopin. lib. 1. Monastic. tit. 1. num. 2. Idem de doman. lib. 3. tit. 28. in fin. Canut. lib. cap. 7. 28. 29. Loetius in litt. R num. 40. & ibi Brodæus. Immo & Commendis perpetuis hic modus impositus est, vt solus Summus Pontifex valeat commendare beneficia in perpetuum. Cap. *Dudum 2. de elect.* d. cap. *Nemo* eod. tit. in 6.



CAPUT VII.

Abbates laici.

VITIO sæculi in pejus semper ruente, etiam Abbates laici visi sunt passim in monasteriis. Laborante Republica, & fisco diutius bellis tum civilibus, cum Sarracenicis exhausto, Carolus Martellus primus, cum non haberet vnde stipendia militibus præstaret, Comitibus & militibus decimas, Ecclesias & monasteria jure beneficii ad tempus vel in perpetuum possidendas asscripsit : quem casum Ecclesiarum deplorat Bonifacius Moguntin. epist. 131. ad Zachar. Papam & Hincmarus in vit. B. Remigii apud Surium 13. Januar. Carolus M. etsi rerum Ecclesiæ studiosissimus defensor, iniquitati temporum consulens, æque Comites & viros nobiles Abbatiarum beneficio sibi conciliare conatus est : & hoc sensu Abbates, id est, Beneficiarios laicos quamplures per Aquitaniam instituit. Aimoin. lib. 5. cap. 1. *Carolus ordinavit per totam Aquitaniam Comites Abbatesque, necnon alios plurimos, quos Wassos vulgo vocant.* Et idem eod. lib. cap. 34. *Quibusdam Abbatiolas, sicut erant, integras dedit; quibusdam de Abbatia Martiniana beneficiola donavit.* Eodem beneficii genere Comites sibi obstrinxit & Ludovicus P.

Cujac. in 1. feud. tit. 1.

N

Krantzius Metropolis lib. 3. cap. 37. *Giselerus pridem Mersburgensis Episcopus perfecit apud Ottonem Imperatorem Rufum, vt a minori ad majorem assumeretur Ecclesiam, (ea est Magdeburgensis) minore tamen non relicta; scandalumque peperit res illa ætate incomposita, vt duabus Ecclesiis vnus esset Pontifex, hoc est, vnus sponsus duabus sponsis. Id vero ætas nostra jam desiit pro frequentia mirari, quod passim cernimus alteram alteri Ecclesiæ in vna persona accedere, vt habeat alteram in titulum, alteram vero in Commendam*, &c. Commendæ ab initio, quod tolerabilius erat, admittebantur ad tempus, puta sex mensium, vt Ecclesiæ vacanti consuleretur, & interim de idoneo Pastore provideretur. Cap. *Nemo. de elect.* in 6. Sed nimia indulgentia Pontificum Commendæ quæ temporales erant, & brevioris temporis lineis circumscribebantur, desiere in perpetuas, & lues ita late serpsit, vt malum insanabile factum sit. Aliquando etiam Abbatiæ Commendæ nomine Clericis sæcularibus datæ sunt, ob defectum regularium. Innocentius III. epist. 4. Registr. 13. *Cum dilectus filius B. titulo S. Susannæ Presbyter Cardinalis, tunc Apostolicæ Sedis Legatus, Sebastiensi Episcopo, salvo mandato nostro, custodiam monasteriorum Montis sancti, quæ ad Sedem Apostolicam immediate pertinere dicuntur, duxerit committendam*, &c. Clemens V. Commendas sæculares beneficiorum regularium exhorruit, earumque sublatione initia Pontificatus consecravit. Extravag. 2. *de Præbend.* Sed eas restituere Urbanus VI. & Bonifacius IX. quos secutus est Paulus II. qui postridie ordinationis suæ a Cardinali Portuensi monitus, ne latius fœdam labem Ecclesiæ serpere fineret, respondit monasteria quingenta & amplius a Pontificatu Callixti III. in eum diem commendata Clericis sæcularibus, ex Jacobi Papiensis epistola ad Franciscum Spinulam. Chopin. 1. Monastic. tit. 1. numero 14. His auctoribus pessimus vsus Commendarum perpetuarum invaluit in hunc diem, hoc linimento adhibito, quod Commendis aliquis modus impositus est, ne disciplina regularis per eas in totum labefactetur. Nimirum Abbates Commendatarii quidem gaudent commodo fructuum, quasi titulares, etiam ipsa collatione beneficiorum & juribus honorificis: puta judices dantur a Summo Pontifice, & mandata

data Apostolica exequuntur, vocantur ad Synodos diœcesanas & provinciales. Sed non habent penes se correctionem & disciplinam religiosorum : ea enim pertinet ad Priorem Claustralem. Cap. *Cum ad monasterium. §. Abbates. de stat. Monachor.* Nec possunt recipere professionem Monachorum, instituere vel amovere Priorem Claustralem, nisi sint Cardinales, quibus Abbatiæ pleniori & pinguiori cum jure commendantur. Chopin. lib. 1. Monastic. tit. 1. num. 2. Idem de doman. lib. 3. tit. 28. in fin. Canut. lib. cap. 7. 28. 29. Loetius in litt. R num. 40. & ibi Brodæus. Immò & Commendis perpetuis hic modus impositus est, vt solus Summus Pontifex valeat commendare beneficia in perpetuum. Cap. *Dudum 2. de elect.* d. cap. *Nemo* eod. tit. in 6.



CAPUT VII.

Abbates laici.

VITIO sæculi in pejus semper ruente, etiam Abbates laici visi sunt passim in monasteriis. Laborante Republica, & fisco diutius bellis tum civilibus, tum Sarracenicis exhausto, Carolus Martellus primus, cum non haberet vnde stipendia militibus præstaret, Comitibus & militibus decimas, Ecclesias & monasteria jure beneficii ad tempus vel in perpetuum possidendas asscripsit : quem casum Ecclesiarum deplorat Bonifacius Moguntin. epist. 131. ad Zachar. Papam & Hincmarus in vit. B. Remigii apud Surium 13. Januar. Carolus M. etsi rerum Ecclesiæ studiosissimus defensor, iniquitati temporum consulens, æque Comites & viros nobiles Abbatiarum beneficio sibi conciliare conatus est : & hoc sensu Abbates, id est, Beneficiarios laicos quamplures per Aquitaniam instituit. Aimoin. lib. 5. cap. 1. *Carolus ordinavit per totam Aquitaniam Comites Abbatesque, necnon alios plurimos, quos Wassos vulgo vocant.* Et idem eod. lib. cap. 34. *Quibusdam Abbatiolas, sicut erant, integras dedit; quibusdam de Abbatia Martiniana beneficiola donavit.* Eodem beneficii genere Comites sibi obstrinxit & Ludovicus P.

Cujac. in 1. feud. tit. 1.


N

Idem Aimoin. lib. eod. cap. 36. *Ludovicus quos potuit conciliavit sibi, dans eis Abbatias, Comitatus & Villas.* Carolus Calvus quoque bellis civilibus attritis rebus, Comitibus & laicis, quo in obsequio continerentur, Abbatias passim distribuit, vt Odulfo Comiti dedit cellam S. Judoci (*S. Josse*) ademptam cœnobio Ferrariensi. Lupus Ferrar. epist. 88. Unde manavit vt Comites & alii viri militares monasteriorum incubatores Abbatum nomen suum facerent. Hoc sensu Abbates dicuntur apud Aimoin. laici, quos Abbatiis donavit Carolus M. Hoc sensu Robertus, & post eum Hugo, vt Comites Parisiorum, & Duces Francorum, & cœnobii sancti Germani Parisiensis Beneficiarii, Abbates sese inscribebant. Aimoin. lib. 5. cap. 34. *Tamen vigore decedente Regum Robertus Comes Parisiorum, qui Marchio Francorum vocabatur, frater videlicet Odonis Regis, necnon Hugo magnus, quin etiam vsque ad tempora Roberti Regis, ea quæ Abbates accipiebant, sibi addixerunt, & statuentes Decanos Monachis sibi nomen Abbatis vsurpaverunt.* Et idem eod. lib. cap. 33. *Interea baptizati sunt quidam Normanni ab Hugone Abbate & Marchione, & Hugo Capetius postea Rex Francorum Abbicomes vocabatur.* Gerbert. epist. 17. ad Geraldum Abbat. Aureliacens. *Qui status regnorum penes vos sit, scire cupit, & an Hugo quem vestra lingua Abbicomitem dicitis, vxorem duxerit.* Hoc etiam sensu Hucbertus Comes, germanus Thietbergæ Reginæ, Abbatem se nuncupabat. Regino Prumiens. lib. 2. Chronic. *Lotharius Hucberto Abbati inter Juram & montem Jovis commisit, eo quod tunc fidelissimus putaretur, vtpote affinitate conjunctus propter sororem Thietbergam.* In Concilio Rhemensi sub annum Christi 893. celebrato notatur Balduinus Comes Flandrensis, quod res monasteriorum & nomen Abbatis vsurparet: de quo Flodoard. lib. 4. Hist. cap. 7. ex litteris Fulconis Archiepiscopi Rhemensis. *Quod Ecclesiastica simul & legalia jura contemneret, res Ecclesiasticas & honores sibi non concessos invaderet, locum sacri monastici Ordinis pervadens, & Abbatis sibi nomen vsurpans: unde communi decreto Episcoporum judicatum fuerat, eum auctoritatis canonicæ anathemate feriendum.* Denique ea ætate laici monasteriorum subsessores Abbates Comites dici non erubescebant. Balderic. Noviomens. lib. 1. Chro-

nic. Camerac. cap. 70. *Tunc temporis Abbas Comes Abbatiunculam B. Humberti, cui Episcopum Stephanum Rex Carolus praefecerat, possidebat, ipsamque regiam ac locupletem Abbatiam sanctissimi Gaugerici cum omnibus appendiciis sibi beneficiatam de regio jure tenebat.* Adeoque turpiter rebus sacris abutebantur hujusmodi Abbates laici, vt Decanos imponerent Monachis, eisque relicta particula, reliquum sibi adscriberent, vt ex Aimoino observatum est: necnon in ipsis monasteriis cum vxore & liberis & servorum grege & apparatu venatico habitarent. Synod. Meldens. can. 10. *Perventum est siquidem ad nos, quod auditu lugubre & dictu nefas actuque horribile ac nimis triste dignoscitur, quia contra omnem auctoritatem, contra Patrum decreta & totius Christianae religionis consuetudinem, in monasteriis regularibus laici in medio Sacerdotum & Levitarum ac caeterorum religiosorum virorum, vt domini & magistri resideant, & velut Abbates de illorum vita & conversatione decernant.* Et Conc. Trosleian. can. 3. *Nunc autem in monasteriis Deo dicatis Monachorum, Canonicorum & Sanctimonialium, Abbates laici cum suis vxoribus, filiis & filiabus, cum militibus morantur & canibus.* A Regibus autem dabantur Abbatiae laicis, vel in allodium. Synod. Meldens. can. 41. *Providendum est regiae majestati, vt monasteria quae & infra & nunc in allodium sunt data, quapropter omnis exinde religio funditus est eversa, qualiter vota fidelium inconvulsa permaneant.* Et ead. Synod. can. seq. *Monenda est solertia regia, vt strenuos & fideles Missos per regnum sibi commissum dirigat, & investigent ac diligenter imbrevient res Ecclesiasticas, quas per subreptionem atque ignorantiam quorumcumque in allodium ipse aut pater suus donavit.* Vel in beneficium seu feudum, sub onere servitii militaris. Annal. Fuldens. ad ann. 881. *Rex* (is est Carolus III.) *post Pascha in Galliam profectus, Hugonem HLotharii ex Waldrada filium ad se venientem in suum suscepit dominium, & ei Abbatias & Comitatus in beneficium dedit, vt ei fidem servaret.* Hic est Hugo Abbas, de quo Joannes VIII. epist. 132. & 305. & Hincmar. epist. ad Ludovic. Balb. cap. 7. & Baldericus praeter locum modo laudatum lib. 1. cap. 70. de monasterio Altimontis. *Supervenientibus autem causis diversarum tempestatum quas legimus, Comiti-*

bus in beneficium traditum est, & ad tantum casum paulatim devolvitur, vt Monachis quidem egestate coactis, paucorum Clericorum custodiæ mandaretur. Unde factum est vt Comites Abbates mansus vel prædia Abbatiarum militibus seu clientulis suis in subbeneficium seu retrofeudum darent. Aimoin. lib. 5. cap. 34. *Et statuentes Decanos Monachis sibi nomen Abbatis vsurpaverunt. Ea vero quæ tunc sibi ex rebus Ecclesiasticis vindicarunt, propriis militibus distribuerunt, & juri Ecclesiastico subtraxerunt.* Et Notgerus in vit. S. Laudoaldi apud Surium 19. Mart. *Post Normannicam autem repulsionem Thietboldus locum prælibatum, vbi corpora Sanctorum erant reposita, a Comite Flandrensi Abbatiam sancti Confessoris Christi Bavonis tenente, accepit jure beneficii, post eum Adelgaudus.* Nec solum militiæ, sed etiam mundo muliebri, & Reginarum illustriumque matronarum sumptui inserviere Abbatiæ. A Carolo Simplici defecit Hugo Comes Parisiensis, quod Hagavoni Comiti, consiliorum omnium participi, ereptam Rothildi socrui suæ Calensem Abbatiam virginum transcripsisset, vt narrat Flodoard. ad ann. 922. Laudunensi Abbatia Gerbergam matrem multavit Ludovicus Transmarinus, quod se inscio Heriberto Comiti Veromanduensi enupsisset, auctore eod. Flodoard. ad ann. 951. Nec sine stupore dicam, quod fœdam hanc labem tulerunt aut dissimularunt ipsi Pontifices. Extat Adriani II. epist. 8. ad Lotharium, qua eum hortatur vt Thietbergæ a toro repulsæ, donec ei concilietur, Abbatias quas promiserat, præstet in sumptum alimoniæ. *Habeatque in potestate sua ipsa Abbatias, quas ei dare ipse ore proprio promisisti, de quarum sumptibus atque reditibus necessaria possit habere stipendia dignaque subsidia.* Nec æquior fuit sors monasteriorum in Oriente. Militibus passim monasteria concessit Constantinus Copronymus, pulsis inde Monachis. Zonar. in Copronymo, de Dalmatæ monasterio: Græci μονὴν vocant, ἀφ' ἧς ἀπελάσας τοὺς μοναχοὺς, στρατιωτῶν αὐτὴν πεποίηκε καταγώγιον: *quod pulsis Monachis, militum diversorium fecit.* Idem Paul. Diacon. lib. 22. *Monasteria vero quæ in gloriam Dei & salvandorum refugium effecta sunt, domos fere communes fautoribus suis militibus sanciebat.* Et ante non levis conjectura est, moris fuisse vt ab Imperatoribus monasteria traderentur sæcula-

ribus, quod Synod. Chalcedonens. can. 24. vetat ne monasteria semel Deo dicata fiant κοσμικὰ καταγώγια, *sæcularia habitacula*. Quod repetiit Synod. Nicæn. II. can. 23. forte nondum sublato abusu donationis monasteriorum in vsus sæcularium. Laudanda inter mala tempora Ottonis Magni virtus, qui in summo rerum discrimine Comitem Bavariæ Laurishamensem Abbatiam in beneficium deposcentem constantius repulit, palam contestatus se nequaquam daturum sanctum canibus. Luitprand. Ticinens. lib. 4. cap. 15. & Abbas Urspergens. in Othon. I.



CAPUT VIII.

Prior Conventualis, ἡγούμενος.

ALIA sunt monasteria quæ habent Abbatem; alia quæ Priorem Conventualem, qui nullum supra se habet Abbatem. Cap. *Monachi. de stat. Monach.* Clem. *Ne in agro. §. Cæterum. de stat. Monachor.* Nec hoc peculiare Latinis. Etiam Græci distinxere monasteria, quibus præerat Abbas, ab his quibus præfectus erat ἡγούμενος. Synod. Nicæn. II. can. 14. ἀναγνώστου δὲ χειροθεσίαν ἀδειά ἐστιν ἐν ἰδίῳ μοναστηρίῳ καὶ μόνῳ ἑκάστῳ ἡγουμένῳ ποιεῖν. *Lectoris autem manuum impositionem licet in proprio monasterio etiam soli vnicuique Præfecto monasterii facere.* Male interpres vertit *Abbati*. Can. *Quoniam* 69. dist. Evagr. lib. 3. cap. 19. Κύριλλος ὁ τῶν ἀκοιμήτων καλουμένων ἡγούμενος. *Cyrillus Præfectus Monachorum, quos insomnes seu vigilantes vocant.* Hinc ἡγουμενεῖα, Præfectura monasterii. Balsam. in d. can. 14. Syn. Nicænæ II. Unde posteriores Latini, qui Græcis pro Latinis vti affectarunt, hujusmodi Præfectum monasterii Hegumenum dixere. Paul. Diacon. lib. 19. *Et Gregorius Cappadox, qui & Clusuriarches extiterat, deinde Monachus factus, & Egumenus Flori.* Idem lib. 23. de Constantino & Eirene: *Qui direxit Petrum Vicedominum Ecclesiæ, & Petrum Hegumenum S. Sabæ.* Et idem eodem lib. *Eirene cum secundo imperare coepisset, confestim direxit Dorotheum Egumenum Chrysopolitanum.* Idem lib. 24. *Et multis trophæis factis*

misit ad Aaron Metropolitam Synodorum, & Petrum Egumenum Gybei. Et idem rursus eod. lib. *Theodorus autem Egumenus studii, & Joseph frater ejus Archiepiscopus Thessalonicensis.* Et Anastasius in Hadriano I. *Direxit ejus ter beatitudo ad eundem Desiderium Regem suos Missos ad easdem recipiendas civitates, scilicet Pardum religiosum Hegumenum beati Sabæ, & Anastasium primum defensorem.* Idem in Leone III. *Sicut ipse Egumenus monasterii sancti Erasmi professus est.* Olim idem Præpositus dicebatur. Cap. *Scriptum. de elect.* cap. *Litteras. de concess. Præbend.* hodie Prior Conventualis. Hic ab Abbate distat sola fere appellatione: nam eadem est potestas Prioris Conventualis, ac Abbatis. Prioris Conventualis est Monachos corripere, excommunicare, suspendere, cap. *Cum in Ecclesiis. de majorit. & obedient.* vt Abbatis. Prior Conventualis eligitur sicut Abbas, sed investitura pertinet ad Abbatem ex consuetudine. d. cap. *Litteras.* d. cap. *Monachi.* Prioratus Conventualis est beneficium electivum, nisi aliud sit de consuetudine. Clem. *Etsi principalis. de rescript.* Prior Conventualis habet dignitatem. Oldrad. consil. 281. Hinc potest esse judex Apostolicus, id est, potest delegari a Summo Pontifice ad exequenda mandata Apostolica. Clem. *Etsi principalis. de rescript.* Nam vocatur quandoque ad electionem Episcopi. d. cap. *Scriptum.* Ad Capitulum provinciale vocantur Abbates, & Priores Abbates proprios non habentes. Cap. *In singulis. de stat. Monach.* & dignitatis causa Prior Conventualis dicitur Prior major vel summus Prior. In vit. D. Gosuini lib. 1. cap. 22. *Et cum opportunitas accidisset, in summum est Priorem sublimatus.* Et quia Præpositus habet curam animarum, debet esse Presbyter. Can. *Innovamus* 60. dist. cap. 1. *De ætat. qualit. & ordin. Præf.* saltem intra annum; in eo enim servatur cap. *Licet canon de elect.* in 6. Quare vt sit Presbyter intra annum, debet esse major 25. annis. d. Clem. *Ne in agro.* §. *Ceterum.* In Ordine Præmonstratensi olim erant Præpositi, nunc Abbates. Cæsarius de Miracul. lib. 4. cap. 62. *Et Scholasticus tantum habitum suscepit, qui non multo post ejusdem cœnobii factus est Præpositus.* Nondum enim in Ordine Præmonstratensi erant Abbates. In Ordine Canonicorum Regularium B. Augustini Prælati humilitatis studio dicuntur Priores, rejecto Ab-

batis nomine. Sic vocat ipse Augustinus serm. 3. de vita communi Cleric. *Quod si propinquus vel quilibet fratrum cuiquam aliquid offerre voluerit, primo quidem Priori insinuetur, & sic suscipiatur, si ipse mandaverit: de quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod Priori placuerit.* Can. *Non dicatis* 12. qu. 1.



CAPUT IX.

Prior Claustralis, ejus officium & potestas. Decanus, ejus officium.

ALIUS est Prior Conventualis, alius Prior Claustralis. Prior Conventualis est, qui præest Conventuali Ecclesiæ absque Abbate, vt modo dictum est. Prior Claustralis est, qui præest claustro & monasterio post Abbatem. Olim Præpositus dictus est, quia eandem fere potestatem habet quam Abbas, & præest monasterio post Abbatem. Regul. Benedict. cap. 65. ex qua Synod. Aquisgran. habita anno Christi 817. *Vt Præpositus intra & extra monasterium post Abbatem majorem reliquis Abbatis subditis habeat potestatem.* Præpositus est, qui curam gerit monasterii sub Abbate. Synod. Aquisgranens. can. 139. *Quamvis omnes qui præsunt, Præpositi recte dicantur; vsus tamen obtinuit eos vocari Præpositos, qui quamdam Prioratus curam sub aliis Prælatis gerunt.* Alius ergo erat Abbas, alius Præpositus. Gregor. I. Dialog. 1. *Abbas erat Honoratus Præpositus Libertinus.* Soractensis, de quo cap. 7. Præpositus Nonnosus Abbas, quem asperrimum fuisse tradit Leo Ostiens. in Chronic. Cassinens. lib. 2. cap. 100. *Post paucos dies mandavit Præposito nostro, vt omnem Ecclesiæ hujus thesaurum, in auro duntaxat atque argento festinanter sibi & quam posset occultius ferret.* Gregor. I. lib. 9. epist. 42. *Ideoque volumus vt Domitius Presbyter Abbas esse Lacusiani monasterii debeat, eique Præpositus Lucifer Monachus fiat, in cujus requiescere solatio valeat.* Et idem lib. 7. epist. 91. *Quem ad præsens Præpositum esse decernimus,* (is erat Barbatianus Monachus.) *vt si ejus vita tuæ fraternitati placuerit, hunc post aliquantum temporis eorum Patrem debeas ordinare.* Ejus ordinatio pertinet ad Abbatem,

ne si eligatur ab iisdem, a quibus Abbas ipse, intumescat, & credat se esse secundum Abbatem. Ejusd. reg. Benedict. eod. cap. Hodie Prioris Claustralis electio pertinet ad Conventum, ita vt fiat præsente Abbate, si adsit. Ita judicari refert Chopin. 2. Monastic. tit. 2. num. 23. Præpositus est Primas monasterii post Abbatem: vnde ne extollatur in Abbatem, reg. Benedict. d. cap. 65. voluit, vt vbi fieri possit, res monasterii dispensarentur per Decanos potius quam per Præpositos. quod comprobavit Synod. Moguntina I. can. 11. de quo infra. Officium Præpositi seu Prioris Claustralis est, disciplinæ regularis curam gerere. Beda Hist. Eccles. lib. 4. cap. 27. de B. Cudberto. *Cum ergo venerabilis Domini famulus multos in Mailrosensi monasterio degens annos, magnis virtutum signis effulgeret, transtulit eum reverendissimus ipsius Abbas Eata ad insulam Lindisfarnensium, ut ibi quoque fratribus custodiam disciplinæ regularis, & auctoritate Præpositi intimaret, & propria actione præmonstraret.* Officium Prioris Claustralis est, coercere Monachos delinquentes, verbo & exemplo eos instruere. Cap. *Cum ad monasterium. de stat. Monach.* In vita D. Gosuini lib. 1. cap. 17. *Claustralis Prior constitutus animos Claustralium ad claustralem inflectebat tam exemplis quam sermonibus dignitatem, & agebat in eis primo, vt claustrales observantias haberent non ignotas, deinde vt cognitas custodirent.* Thomas Cantipratens. lib. 1. cap. 17. *Prior autem qui Conventum sub Abbate gerebat.* Idem lib. 2. cap. 26. *Priores & Subpriores in claustris, vel illos qui dicuntur officio Curatores, istis maxime vigilanter incumbit, ne sessiones inordinatæ & intra vel extra suspecta colloquia teneantur.* Prior Claustralis habet dignitatem: vnde & Græcis idem dicitur ἡγούμενος, Præfectus monasterii. Lauso ἡγουμένῳ Historiam Patrum inscripsit Palladius. Hinc Præpositos apud Monachos Nonnos vocabant. Synod. Aquisgranens. can. 54. *Vt qui præponuntur Nonni vocentur.* Quod repetitum est addit. 1. capitul. can. 54. Nonni dicebantur Sancti. Arnob. in Psalm. 140. *Adulantes nobis invicem in præsenti positi Sanctos vocamus & Nonnos.* Et idem in Psalm 105. *Terrenæ mentes interficiuntur hoc ordine: si ille qui Sanctus vocatur & Nonnus, sic agit; ego quis sum, quotus sum, vt non agam?* Gosuinus Prior Claustralis Aquicinctensis creatus,

creatus, personatum gerere dictus est. Ejus vit. lib. 1. cap. 21. *Agebat proinde cum gratia ad quem assumptus fuerat personatum.* Et Præpositura Claustralis est proximus gradus ad Abbatis dignitatem. Ejusd. Gosuin. vit. lib. 1. cap. 2. *Scito*, inquit, *certissime, quia vel Præpositus vel Abbas es futurus.* Item Præpositus habet duplicem Præbendam. Cap. *Litteras. de concess. Præbend.* Et ita judicatum arresto Senatus Tolosani pro D. Arnaldo Puio Priore Claustrali S. Orientii Auxitani, adversus Priorem Commendatarium, 1. Julii 1644. In Ecclesiis Cathedralibus, quæ sunt regulares, Episcopus idem est ac Abbas monasterii, & habet ordinariam jurisdictionem in Monachos vel Canonicos Regulares, præterquam in his quæ pertinent ad regulam, in quibus Prior Claustralis habet suam jurisdictionem in eosdem, & vacante sede Episcopali, jurisdictio Episcopi devolvitur ad Priorem. Cap. *Novit. ne sede vacant.* cap. *Causam. quæ de judic.* cap. *Ad nostram.* cap. *Porrecta. de confirm. util.* In majoribus monasteriis, vbi est Subprior, idem est officium Subprioris ac Prioris. Anselm. lib. 3. epist. 29. ad Cantuarienses Monachos: *Præcipio igitur, vt omnes sicut mihi, nostra servata prælatione, & in petendis licentiis, & in exequendis mandatis, & in judicandis negligentiis, Domino Priori, & post illum Subpriori subditi sitis, humili benignitate & benigna mansuetudine.* In majoribus monasteriis præter Priorem Claustralem & Subpriorem non vnum, sed plures quandoque, erant Decani qui singulis Decuriis Monachorum, maxime juniorum, præerant, vt eos diligenter observarent: & hi plerisque locis successere in locum Præpositorum, juxta scopum Reg. Benedicti cap. 63. quam probavit Synod. Moguntina I. can. 10. *Decrevimus, sicut sancta Regula dicit, vt monasterium vbi fieri possit, per Decanos ordinetur, quia illi Præpositi sæpe in elationem incidunt & in laqueum diaboli.* In majoribus monasteriis plures erant Decani, & senior primum locum tenebat post Abbatem & Præpositum. Synod. Aquisgranens. can. 55. *Vt senior Decanus reliquis Decanis præponatur, & Abbate vel Præposito præsente locum proprium teneat.* Leo Ostiensis Chronic. Cassinens. lib. 4. cap. 90. *Cives autem inito consilio ascendunt montem, Decanos fratresque conveniunt, quorum Primas suum locum tenebat post Abbatem &*

O

Præpositum. Decani officium erat idem fere quod Prioris Claustralis, disciplinam regularem curare. Ekkeard. Jun. de casib. monast. S. Galli cap. 3. *Cui ille cum sibi solita vsque ad convicta respondisset protervia, Waltramus Decanus in proximo fratrum Capitulo regulari vindictæ subjecit.* Et idem cap. 9. *Accidit autem tempore labente, vt ad amicos foras eundi a Decano licentiam Victor peteret.* Non modo spiritualia, sed etiam temporalia curabat Decanus monasterii. Adrevald. de Miracul. B. Benedict. lib. 1. cap. 22. *Expergefactus frater, post expletionem officii nocturni, evocato secretius monasterii Decano, somnium refert, hortaturque vt cum fratribus fluvium piscandi aviditate expetat.* Abbates laici etiam, licet potentiores, Præpositorum fastum non ferentes, Monachis Decanos imponebant, quibus relinquebatur particula fructuum. Aimoin. l. 5. cap. 34. *Et statuentes Decanos Monachis, sibi nomen Abbatis vsurpaverunt.* Institutum Decanorum apud Monachos vnde manarit: ex vsu scilicet monasteriorum Ægypti, de quo Hieronym. ad Eustochium: *Divisi sunt per decurias atque centurias, ita vt novem hominibus decimus præsit.* Eorum officium erat, Monachos docere, fluctuantes consolari & firmare, Monachos noctu observare, & hac de causa cellas singulorum lustrare. Hieronym. eod. loco: *Vsque ad horam nonam, vt institutum est, nemo pergit ad alium, exceptis his Decanis quos diximus, vt si cogitationibus forte quis fluctuat, illius consoletur alloquiis.* Et infra: *Et quia nocte extra orationes publicas in suo cubili vnusquisque vigilat, circumeunt cellulas singulorum, & aure apposita quid faciant diligenter explorant: quem tardiorem deprehenderint, non increpant; sed dissimulato quod norunt, eum sæpius visitant, & prius incipientes provocant magis orare quam cogunt.* Eorumdem officium erat, juniores suos deducere ad mensam refectionis causa, & eis in mensa ministrare. Hieronym. eod. loco: *Et vnaquæque decuria cum suo Parente pergit ad mensam, quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrant.* A cœna hymno dicto, eorumdem officium erat, cum suis colloqui, exemplo eos invicem excitare, infirmos consolari, ferventes cohortari ad perseverandum. Hieronym. *Dehinc consurgunt pariter, & hymno dicto ad præsepia redeunt; ibi vsque ad vesperam cum suis vnusquisque loquitur, & dicit: Vidistis illum*

& illum, quanta in ipso sit gratia, quantum silentium, quam moderatus incessus. Si infirmum viderint in fide, consolantur; si in Dei amore ferventem, cohortantur ad studium. Eorumdem officium erat, pensum operis manuum cuique tribuere, perfectum recipere, & tradere œconomo. Hieronym. *Opus diei statum est, quod Decano redditum fertur ad œconomum,* vt habeat scilicet vnde consulatur alimoniæ Monachorum de pretio rerum. Augustin. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 31. *Opus autem suum tradunt eis quos Decanos vocant, eo quod sint denis præpositi, vt neminem illorum cura sui corporis tangat, neque in cibo, neque in vestimento, neque si quid aliud opus est, vel quotidianæ necessitati, vel mutatæ, vt assolet, valetudini.* Denique Decani habebant curam subditorum in omnibus: sed hæc omnia erant sub potestate Patris quem vocabant Abbatem. Augustin. eod. loco: *Illi autem Decani cum magna sollicitudine omnia disponentes & præsto facientes, quicquid illa vita propter imbecillitatem corporis postulat, traditionem tamen etiam ipsi reddunt vni quem Patrem vocant.*

CAPUT X.

Magister novitiorum, ejus officium & potestas.

IN singulis monasteriis eligendus est idoneus Magister novitiorum, per quem novitii recens ingressi monasterium, necdum professi, per annum probationis regulari disciplina informantur & exercitantur. Non vnum in singulis monasteriis, sed plures fuisse intelligimus ex eo, quod cuique novitio proprium Magistrum imponit regula Benedict. cap. 58. *Postea autem sit in cella novitiorum, vbi meditetur & manducet & dormiat: & senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum omnino curiose intendat & sollicitus sit,* &c. Nec hoc fuit proprium institutum Benedicti: idem enim vsu notum antiquioribus Monachis. Ingressus monasterium statim tradebatur seniori, qui curam habebat peregrinorum & hospitum, cui præsto erat in susceptione peregrinorum & hospitum. Post annum tradebatur alii seniori,

qui decem junioribus præest, id est, vni ex Decanis, qui præerant singuli decem Monachis: frequentiores enim Congregationes monasteriorum divisæ erant per Decanias. Cassian. de institut. Cœnobitar. lib. 4. cap. 7. *Cum igitur quis susceptus & hac perseverantia quam diximus improbatus, ac depositis propriis vestimentis, habitu monasteriali fuerit accinctus, non statim Congregationi fratrum commisceri permittitur, sed deputatur seniori, qui seorsum haud longe a vestibulo monasterii commanens, habet curam peregrinorum & advenientium deputatam, eisque omnem diligentiam susceptionis & humanitatis impendit. Cumque ibidem integro anno deserviens absque vlla querela suum circa peregrinos exhibuerit famulatum, imbutus per hoc prima institutione humilitatis ac patientiæ, atque in ea longa exercitatione præcognitus, admiscendus ex hoc Congregationi fratrum, alii traditur seniori, qui decem junioribus præest, quos sibi creditos ab Abbate instituit pariter & gubernat.* Novitius propriam cellam non habebat, sed in eadem cella commanebat cum seniore cui traditus erat, vt assiduum vitæ testem & custodem haberet. Sic Pinufius Abbas cum secessisset clam e monasterio suo, (id erat in Ægypto) in Palæstinam incognitus receptus est vt novitius, & traditus seniori concellaneus: de quo Cassian. collat. 20. cap. 1. *Furtim ascendens navem ad Palæstinam Syriæ provinciam transmeavit, vbi velut incipiens atque novitius, in illo in quo nos degebamus, monasterii receptus habitaculo, in nostra cellula ab Abbate præceptus est commanere.* Sic & Euphrosynen virginem sub viri habitu & Smaragdi nomine latentem, Abbas susceptum tradidit seniori, vt legitur in vita ipsius apud Rosveydum de vit. Patr. lib. 1. & Joannem Damascenum, etsi notæ virtutis virum, Præfectus Lauræ S. Sabæ recipiens monasterio, tradidit vni e senioribus, vt narrat Jo. Patriarcha Hierosolymitanus in ejus vit. apud Surium 6. Maii. Postea in singulis monasteriis vnum fuit conclave & vnus Magister novitiorum, ne varietas magisterii confusionem pariat. Conc. Aquisgranens. can. 135. *Omnes in vno conclavi atrii commorentur, deputati probatissimo seniori, quem & magistrum doctrinæ & testem vitæ habeant.* Quæ verba descripta sunt ex Conc. Tolet. IV. can. 23. Can. *Omnis ætas* 12. quæst. 1. Qualis debeat esse Magister novi-

tiorum, signat regula sanctissimi Patris Benedicti, quæ requirit idoneum ad animas Deo lucrifaciendas, id est, ad conversionem morum. Novitii per omnia obsequentes debent esse Magistro, & prava cogitata ei sincere nota facere, ne tentationibus victi subruantur. Cassianus de institut. Cœnobitar. lib. 4. cap. 9. nec iidem possunt e cella pedem efferre sine licentia Præpositi. Idem cap. 10. ejusdem libri. Præter Magistrum disciplinæ in singulis monasteriis, quibus suppetunt facultates, statuendus est Magister qui Monachos in primitivis scientiis diligenter instituat. Clementina *Ne in agro. §. Rursus. de statu Monachor.* Quo pacto educandi sint novitii, fusius tractat Basilius fusior. reg. 15.



CAPUT XI.

Ἔξαρχοι Monachorum, Provinciales & Generales Ordinum.

OLIM Abbates & Monachi erant in potestate Episcopi, ex Concilio Chalcedonensi can. 4. can. *Qui vere* 16. quæst. 1. Concilio Arelatensi I. can. 11. Arelatensi V. can. 2. can. *Abbates.* can. *Monasteria* 18. quæst. 2. Sed quia Episcopi propter varias occupationes muneris, frequentiam monasteriorum & multitudinem Monachorum non poterant per se sufficere curæ Monachorum; vnum ex Abbatibus diœcesis suæ ad hoc magis idoneum eligere solebant, qui vt Vicarius Episcopi præesset monasteriis: quem ob dignitatem muneris vocabant ἔξαρχον, Primatem. Hæresis insimulatus Theodoritus Cyrensis Episcopus, Alypium Exarchum Monachorum diœcesis suæ cum Hypatio & Abrahamio Chorepiscopis misit ad Leonem I. Summum Pontificem, purgationis suæ causa. Testatur ipse epist. 113. *ταῦτα διὰ τῶν εὐλαβεστάτων καὶ θεοφιλεστάτων πρεσβυτέρων Ὑπατίου καὶ Ἀβραμίου τῶν χωρεπισκόπων, καὶ Ἀλυπίου τοῦ ἐξάρχου, τῶν παρ' ἡμῖν μοναζόντων, τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην ἐδίδαξα. Hæc per reverentissimos Deoque carissimos Presbyteros Hypatium & Abramium Chorepiscopos, & Alypium Monachorum, qui apud nos sunt, Exarchum, sanctitati*

vestræ suggessi. Quod idem repetit epist. 116. & 117. Synodo Constantinopolitanæ sub Mena celebratæ anno 536. act. 5. primus post Episcopos subscripsit Marianus Archimandrita monasterii sancti Dalmatii, & ἔξαρχος venerabilium monasteriorum regiæ vrbis. In constitutione Germani Patriarchæ, quæ est lib. 3. Juris GR. apud Leunclavium, memoratur Exarchus Patriarchalium monasteriorum, id est, eorum quæ erant sub Patriarcha. Eundem Παντοκρατορικὸν, vel Παντοκράτορα vocat Balsamon in Nomocanon. Photii tit. 1. capite 20. τὸ δὲ προΐστασθαι τὸν Παντοκρατορικὸν ἡγούμενον πολλῶν μοναστηρίων, οὐκ ἐναντιοῦται τῷ κανόνι· τὰ γὰρ πολλὰ μοναστήρια ὡς ἓν λογίζονται, διὰ τὸ κατ᾽ ἐπίδοσιν ἀνελθεῖν εἰς τὸν Παντοκράτορα. *Quod autem Pantocratorenus Præfectus præsit multis monasteriis, canoni non adversatur: multa enim monasteria vt vnum reputantur, quod per accessionem ad Pantocratorem redeant.* In Ægypto Abbati Tabennensi parebant non solum Tabennæ insulæ, quam Nilus efficit, verum etiam cætera Thebaidis & Ægypti monasteria, tamquam Generali & Primati. Sozomenus lib. 3. cap. 13. καθάπερ δὲ μητέρα τὴν ἐν Ταβέννῃ νήσῳ συνοικίαν ἡγοῦντο, πατέρας δὲ καὶ ἄρχοντας τοὺς ἐνθάδε ἡγουμένους. *Conventum autem, qui est in Tabenna insula, matris loco ducunt, & qui illi præsunt, Patres & Principes arbitrantur.* Pachomium & Ammonem trium mille virorum Archimandritas sex in monasteriis Tabennesiotarum celebrant Palladius Histor. Lausiac. cap. 38. & 48. & Rufinus de vit. Patr. lib. 1. cap. 3. Eadem ratione Abbas sancti Columbani Primatum obtinuit, non modo Abbatum & Monachorum, sed & Episcoporum Scotiæ. Beda libro 3. Historiæ Anglic. cap. 4. *Beatus Columbanus Hybernus construxit nobile monasterium in Britannia, in insula quæ Hydesti appellatur, ex donatione Pictorum, vbi & ipse sepultus est. Habere autem solet ipsa insula rectorem semper Abbatem Presbyterum, cujus juri & omnis provincia, & ipsi etiam Episcopi ordine inusitato debeant esse subjecti, juxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Episcopus, sed Presbyter extitit & Monachus.* Ejusdem Ordinis censendus est Helias Abbas provinciæ Isauriæ, ad quem extat Gregorii epistola 30. lib. 4. Indict. 13. His exemplis secutis temporibus instituti sunt Generales & Primates Ordi-

num. Multis sæculis hujusmodi regimen nesciit Ordo Benedictinus: singula monasteria suum habebant Abbatem & Monachos, qui non alium agnoscebant judicem quam Pontificem, vtpote exempti. Sed quia exemptorum facilis erat lapsus, quod procul essent a suo judice, per tempora Visitatores instituti per omnia monasteria Galliæ: sed experientia rerum magistra docuit non satis idoneum esse Visitatorum officium ad tuendam disciplinam, & rem indigere fortiori remedio. Idcirco vbi Congregatio Cluniacensium latius suos palmites propagare cœpit, Abbas Cluniacensis factus est caput & Primas totius Congregationis Cluniacensis: quo jure subditos omnes mediatos & immediatos visitat, & ab his procurationem accipit. Oldrad. consil. 204. Et pariter Abbas Cisterciensis factus est Primas & caput totius Ordinis Cisterciensis. Cap. 1. *De supplend. negligent. Prælator.* Et Prior maioris Cartusiæ simul factus est Prior domus, & Generalis Præfectus totius Ordinis; & Prior Eremi Fontis Avellani factus est Prior Generalis Eremitarum ejus instituti in Italia. Petrus Damian. opuscul. 15. cap. 16. 18. & Joannes Monachus in vita Petri Damiani cap. 4. Postea vbi Ordines Mendicantium exorti sunt, præter Gardianos & Priores, qui sunt Præpositi cujusque domus, instituti sunt Provinciales, qui præessent singulis; & Generales Ordinis, qui præsunt vniverso Ordini: de quibus hoc sciendum est, quod electio Provincialis pertinet ad Capitulum Provinciale, & confirmatio ejusdem ad Generalem vel Vicarium Ordinis; electio Generalis Ordinis pertinet ad Capitulum generale, confirmatio ad Summum Pontificem. Clement. *Exivi. de Paradiso de. V S.* Et minister Generalis Ordinis habet jurisdictionem quasi Episcopalem in subditos. Panormit. in cap. *Etsi Clerici. §. De adulteriis. de judic.*



CAPUT XII.

Abbatissa & Præposita seu Priorissa, vtriusque officium.

SICUT monasteria virorum habent Abbatem, a quo reguntur, monasteria virginum habent Abbatissam, quæ ita subditas regere, & impenso studio custodire debet, vt sciat, se pro his in conspectu Domini rationem reddituram. Concilium Cabillonense II. can. 54. Capitular. lib. 2. capite 42. Nimirum hæc sese gerere debet erga puellas sibi commissas, vt mater erga filias: vnde Abbatissa mater spiritualis dicitur. Concilium Parisiense VI. can. 39. Eo alludens Optatus libro 2. adversus Donatistas: *Inde revertentes Urbanus Formensis & Felix Idierensis, invenerunt matres, quas de Castimonialibus fecerunt mulieres.* Augustinus epist. 109. qua regulam dedit quibusdam Monialibus: *Præpositæ tamquam matri obediatur honore servato, ne in illa offendatur Deus.* Eadem significatione Græcis ἀμμᾶς vocatur. Palladius Historiæ Lausiacæ cap. 42. ἀμμᾶς ἐστι, οὕτω γὰρ καλοῦσι τὰς πνευματικὰς μητέρας. *Ammas est, sic enim vocant matres spirituales.* Abbatissæ officium est, necessaria ministrare Monialibus pro facultatibus monasterii. Concil. Aquisgranens. libro 2. capite 13. Augustinus loco modo laudato: *Et distribuatur vnicuique vestrum a Præposita vestra victus & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes; sed vnicuique sicut opus fuerit.* Abbatissa potest corrigere delinquentes. Concilium Cabillonense II. d. can. 54. Augustinus eodem loco: *Convicta vero secundum Præpositæ vel Presbyteri arbitrium debet emendatoriam sustinere vindictam: quam si ferre recusaverit, & si ipsa non abscesserit, de vestra societate projiciatur.* Thomas Cantipratensis lib. 1. cap. 24. *Audit illa culpas & corrigit, exhortatur singulas ad ordinem servandum, & negotia monasterii.* Abbatissa non potest excommunicare Monachas, vel Canonicas, vel Clericos subjectos monasterio: sed potest eas eosve suspendere ab officio & beneficio. Cap. *Dilecta.*

lecta. de majorit. & obedient. Quod caute intelligendum non de suspensione juris, quatenus est censura Ecclesiastica, quæ violata inducit irregularitatem : sed de suspensione regulari, quæ multat tantum societate vel emolumento fructuum. Si enim damnatus non pareat, Abbatissa non potest per se subditos coercere per censuras Ecclesiasticas : sed potest adire Superiorem, puta Summum Pontificem, si sit exempta, a quo dabitur judex, qui per censuras Ecclesiasticas non parentes compellat, vt subditur in fin. d. cap. *Dilecta.* Item Abbatissa non potest benedicere seu velare Virgines, earum confessiones audire, easdemque absolvere, neque Evangelium prædicare, quia non habet potestatem clavium. Cap. *Nova quædam. de pœnitent.* can. *Statuimus.* 20. quæst. 2. Concilium Parisiense VI. can. 43. Capitular. lib. 1. cap. 76. Sicut Abbatissa non potest subditas excommunicare, non potest eas absolvere, si se invicem percusserint: sed adeundus est Superior. Cap. *De Monialibus. de sent. excommun.* Abbatissa potest conferre beneficia, & instituere Clericos in Ecclesiis monasterio subjectis. d. cap. *Dilecta*, & cap. *Dilecta. de excess. Prælator.* Collatio beneficiorum potest pertinere ad Abbatissam ex privilegio vel consuetudine præscripta. d. cap. *Dilecta.* Rebuff. de nominat. quæst. 8. Sunt monasteria quæ habent Præpositam seu Priorissam, quæ non habet Abbatissam supra se, vt legitur in d. epist. Augustini 109. In quibus monasteriis est Abbatissa, in eisdem etiam est Præposita seu Priorissa, quæ prior est post Abbatissam. Gregorius I. lib. 4. epist. 4. *Et Victoria, sicut audio, res monasterii dispersit, vt ad Prioratus locum pertingeret, & ipsa post Abbatissam interim inveniri debuisset.*





CAPUT XIII.

Vicarii seu Rectores Monialium: iidem dicti Patres spirituales vel Patriarchæ. Earumdem Confessarii ordinarii.

PRÆLATIS regularibus non abs jure accensentur Vicarii seu Rectores Monialium: sic dicuntur Presbyteri qui præponuntur virginibus Deo sacris, quia ab Episcopo instituuntur. Synodus Carthaginensis IV. can. 97. *Qui religiosis feminis præponendus est, ab Episcopo loci probetur.* Can. *Qui religiosis* 18. quæst. 2. Ex quo sunt Vicarii Episcopi in hac re, & propter dignitatem & pondus muneris dicuntur Præpositi. Cæsarius de Miracul. lib. 4. cap. 89. *Factus vero Abbas honestas consuetudines, quas in suo monasterio didicerat, induxit, inter cætera præcipiens, ut tam suæ Congregationis fratres, quam subjectæ sorores, necnon & Præpositi earum ab escis carnium omnes abstinerent.* Et Patres spirituales. Concil. Hispal. II. can. 11. *Tunc enim salubria Christo dicatis virginibus præbemus, quando eis Patres spirituales eligimus, quorum non solum gubernacula tueri, sed etiam doctrinis ædificari possint.* Can. *In decima* 18. quæst. 2. Et Patriarchæ, quasi Patres virginum. De Glycerio Diacono narrat Gregorius Nazianzenus epistola 205. quod collectis propria auctoritate virginibus, gregis imperium arripere conatus est, & insolenter se efferre cœpit, καὶ πατριαρχίας ὄνομα καὶ σχῆμα ἑαυτῷ περιθείς, *Patriarchæ nomine atque habitu sibi imposito.* Rectores Monialium eligendi sunt idonei, ætate seniores & moribus probatissimi. Capitul. lib. 7. cap. 196. E Monachis, non e Clericis sæcularibus eligendos duxit Synodus Hispalensis initio canon. modo laudati: *In decima actione communi consensu decrevimus, ut monasteria virginum in provincia Bœtica Monachorum administratione ac præsidio gubernentur.* Iidem non debent vltra triennium durare in officio, ne longa consuetudine cum puellis labantur. Monasterium 300. virginum magna cum laude per quadraginta annos rexit Elias Abbas: sed non prius accessit ad id muneris, quam posteaquam angeli eum castraſ-

ſent per viſum, κατὰ φαντασίαν, ex quo nullas impoſterum ſenſit carnis illecebras. Unde ob ſingularem gratiam, qua valuit in regimine virginum, celebratur a Palladio Hiſtor. Lauſiac. cap. 35. φιλοπάρθενος τοῦ ἀσθενεστέρου μέρους ποιούμενος πρόνοιαν. *Amans virginum curam gerens partis infirmioris.* Quomodo vero ſeſe iidem gerere debeant: nimirum qui curam gerunt Sanctimonialium, debent eſſe remoti ab earum familiaritate, nec licet eis colloqui cum virginibus, extra eam quæ præeſt, id eſt, citra conſcientiam ejus, neque cum ipſa Præpoſita ſola, ſed tantum adhibito teſtimonio duarum aut trium ſororum, ex dicto canone Hiſpalenſ. Ne Presbyteri in monaſteriis puellarum immorentur, niſi per tempus Eccleſiaſtici officii, vetat Synodus Cabillonenſ. II. can. 60. Aquiſgranenſ. libro 2. can. 27. Roberto de Arbriſſellis Rectori virginum monaſterii Fontis-Ebraldi ſuccenſet Goffridus Abbas Vindocinenſis lib. 4. epiſt. quod diceretur cum ipſis familiarius verſari, & inter ipſas cubare, quaſi novo martyrii genere, vt caſtitatem probaret. Familiaritas vitanda, & reverentia concilianda raritate colloquii. Tamquam Patri ſpirituali a virginibus debetur obedientia Presbytero qui eis præpoſitus eſt. Auguſtinus epiſtola 109. ad Monachas quaſdam: *Præpoſitæ tamquam Matri obediatur, honore ſervato, ne in illa offendatur Deus, multo magis Presbytero, qui omnium veſtrum curam gerit.* Sacris virginibus dandus eſt Confeſſarius ordinarius: ſed præter ordinarium, alius extraordinarius iterum vel ter in anno eis offertur, ex Concilio Tridentino ſeſſ. 25. *De Regular.* cap. 11.

CAPUT XIV.

Electio Abbatis penes Monachos. Abbas eligendus de gremio, ſi fieri poſſet. Confirmatio Abbatis electi ad quem pertineat.

OLIM ordinatio Abbatum pertinebat ad Epiſcopum: tum enim Abbates & Monachi erant omnino in po-

testate Episcopi. Concilium Chalcedonens. can. 4. can. *Qui vere* 16. quæst. 1. Aurelianense I. can. 11. can. *Abbates* 18. quæst. 2. Sed quia Episcopi vltra modum abutebantur potestate quam habebant in Monachos, & ex cœnobio fiebat possessio, id est, fundus vectigalis, & Monachi pro servis habebantur, & serviles operæ eis imponebantur, & ab eis corradebantur oblationes fidelium, quæ fiebant monasterio. Synodus Toletana IV. can. 50. sanxit vt hoc tantum sibi in monasterio vindicent Sacerdotes, quod præcipiunt canones: id est, Monachos ad conversationem sanctam præmonere, Abbates aliaque officia, id est, alios Officiales, puta Præpositum, Decanos, instituere, atque extra regulam facta corrigere. Can. *Hoc tantum* 18. quæst. 1. Adhuc ordinatio Abbatum erat penes Episcopos: serius enim eis adempta, saltem in Hispania, intelligitur ex hoc canone, nisi malis credere, electione Abbatum jam Monachis permissa, quod astruit can. vltim. 16. quæst. 7. qui ex Concilio Toletano profertur, solam institutionem electi, id est, investituram vel missionem in possessionem, Episcopo relictam. Sane jam ante ex regula sanctissimi Patris Benedicti cap. 64. quæ comprobata est a Gregorio I. electio Abbatis concessa est congregationi Monachorum: *In Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, vt hic constituatur quem sibi omnis concors Congregatio secundum timorem Dei, sive etiam pars, quamvis parva, Congregationis saniori consilio elegerit.* Et Gregorius ipse secutus eandem regulam in Concilio Lateranensi, vt consuleret quieti Monachorum, electionem Abbatis penes Monachos esse voluit, salva Episcopo ordinatione, id est, benedictione electi. Quod & idem sancivit libro 4. epistola 43. lib. 7. epist. 18. can. *Abbatem.* can. *Quam sit necessarium* 18. quæst. 2. & lib. 12. Indict. 7. post epistolam 31. *De privilegiis monasterii sancti Medardi Suessionensis.* Idem constitutum a Justiniano, vt Abbas eligatur a Monachis, ordinetur ab Episcopo, leg. 47. Cod. *De Episc. & Cleric.* nov. 123. capite 34. Necnon ante Pelagius electionem Abbatis tribuit congregationi Monachorum, & possessionis domino, id est, fundatori monasterii. Can. *Abbatem* 18. quæst. 2. Licet ex regula Benedicti & constitutionibus Pontificiis electio Ab-

batis pertineret ad Monachos; tamen juris firmandi causa, quia tutius est quod obtinetur jure speciali, quam quod lege generali, variis temporibus Monachi a Regibus & Principibus privilegia impetrarunt, vt liceret sibi eligere Abbatem de Lerinensi, Agaunensi & Luxoviensi monasteriis celeberrimis tota Gallia, vt tradit Marculfus lib. 1. formul. 1. Cassinensibus jus eligendi Abbatis juxta regulam confirmavit Carolus Magnus. Leo Ostiensis Chronic. Cassinensis libro 1. cap. 14. *Jussit quoque vt Monachi juxta præceptum sanctæ regulæ Abbatem sibi sine cujusquam præjudicio licenter eligerent.* Beato Mauro & cœnobio Glannafolii jus perpetuum eligendi Abbatis sacro diplomate sancivit Clotharius Rex. Testem habemus Faustum in vita Mauri apud Surium 14. Junii. Anno Christi 682. celebratum est Rotomagense Concilium sub Ansberto Archiepiscopo, in quo actum est inter alia de privilegio concesso monasterio Fontanellensi, vt per succedentia tempora juxta Benedicti regulam & concessionem Francorum Regum, Monachi e gremio sibi Abbatem eligerent, vt legitur in vita ipsius Ansberti apud Surium 9. Febr. Anno Christi 1084. cum Monachi Cassinenses adiissent Conradum Imperatorem, postulantes vt eis Abbatem constitueret Imperator, negavit rem sui juris esse dicens: *Non est hoc meum, vos vnum ex vestris eligite.* Illis autem respondentibus se non habere idoneum, & instantibus vt aliquem ex suis sibi præficeret, Imperator in priori sententia perstans: *Nequaquam*, inquit, *sed de Congregatione vestra idoneum Abbatem vobis eligite*, vt narrat Leo Ostiensis Chronic. Cassinensis libro 2. capite 65. Licet vero libera electio pertineret ad Monachos; tamen vacante sede Monachi per nuncios solebant petere licentiam eligendi a Principe, eaque impetrata fiebat electio. Matthæus Paris. in vita Joannis I. 21. Abbatis sancti Albani: *Et cum Rex tunc esset in partibus transmarinis, videlicet in Pictavia, missi sunt ad eum duo de fratribus, vt licentiam eligendi ab ipso, vt moris est, impetrarent.* Idemque in vita Willelmi 22. Abbatis: *Quo sepulto incontinenti tres fratres ad Regem sunt destinati, vt ab eo impetrata rite eligendi potestate Abbatem eligerent.* Et rursus idem in vita Joannis 23. Abbatis: *Et sepulto tertio*

Kalendas Martii in Capitulo, eadem die tres fratres ad Dominum Regem sunt destinati, ut ab eo impetrata libera rite eligendi facultate, Abbatem, ne grex Domini diu detrimentum pateretur, eligerent. Abbas vero eligendus est de gremio ipsius monasterii, non extraneus, nisi in defectum idonei. Can. *Abbatem.* can. *Quam sit necessarium* 18. quæst. 2. Ne Monachus alterius monasterii vel Ordinis in Abbatem eligatur, Corbeiensibus Monachis vetuit Nicolaus I. epist. 24. *Abbatem vero fratres ipsius monasterii de se ipsis eligendi semper habeant potestatem, & eam personam eligant, quæ Monachi propositum & habitu & moribus profiteatur, non canonicum aut laicum, neque alterius monasterii Monachum: quoniam monachico Ordini præficere vel laicum vel canonicum, non est servare Ordinis professionem, sed evertere: quod unusquisque Præpositus cujus est Ordinis, ejus quoque erit & propagator.* Idem pro Stradensi monasterio statuit Carolus Calvus. Auctor vitæ sancti Genulfi libro 2. capite 12. *In clausula demum perscripti decreti statutum ut per succedentia tempora locum ipsum inhabitantes e suis non aliunde petitis personis eligerent semper, quibus sacra prælatio loci committeretur, a quibus cœnobii totius gubernatio æquo jure tractaretur: idque non cujusquam mortalium vi, sed fraterno cœnobialium voto fieri quam maxime decrevit.* Ex privilegio tamen vel consuetudine præscripta quandoque electio Abbatis fit de alio monasterio. Cap. *Cum dilectus. de consuetudin.* cap. *Abbate. de V. S.* Non Monachus, id est, non professus, non potest eligi in Abbatem. Cap. *Cum causam.* cap. *Cum ad nostram.* cap. *Officii.* cap. *Cum in magistrum. de elect.* Adeoque religiosus non potest eligi in Abbatem sui vel alterius monasterii, nisi fuerit expresse professus: alioquin electio ipso jure est nulla & irrita. Cap. *Nullus. de elect.* in 6. Clement. *Ne in agro. §. Cæterum. §. Sane de statu Monachor.* Item religiosus non potest consentire electioni de se factæ in Abbatem alterius monasterii sine consensu sui Abbatis. Cap. *Si religiosus. de elect.* in 6. Sane Abbas vel Prior potest consentire electo sine consensu Capituli, ut facilius & ocyus consulatur Ecclesiæ vacanti. d. cap. *Si religiosus. §. Quia vero.* Superior quidem potest consentire electo, non eligendo, ne ambitioni detur occasio. Clementina *Cum concessa.* eod. tit.

Monachus cujuſpiam monaſterii ſemel electus in Abbatem in alio monaſterio, non poteſt habere ſuffragium in Capitulo prioris monaſterii. Cap. *Conſtitutis. de elect.* quia non poteſt eſſe quis Monachus in pluribus monaſteriis, niſi vnum dependeat ab alio. Cap. 1. *De privileg.* in 6. Nec idem Abbas poteſt præeſſe pluribus monaſteriis. Cap. vltim. *De religioſ. domibus.* Electio Abbatis in non exemptis requirit confirmationem ordinarii, leg. 47. Cod. *De Epiſc. & Cleric.* In exemptis electio Abbatis requirit confirmationem Summi Pontificis, vel Legati qui eſt in provincia. Cap. *Nihil eſt. de elect.* cap. *Si Abbas* eodem tit. in 6. quia Summus Pontifex eſt ordinarius exemptorum. Cap. *Si auctoritate de privilegiis* in 6. Hoc jure Caſſinenſes querebantur de Victore II. Summo Pontifice, quod electioni Abbatis manum injicere niteretur, cum ante Pontifices ſolam confirmationem ſui juris duxiſſent. Leo Oſtienſis Chronic. Caſſinenſis lib. 2. cap. 95. *Ita ad ſubjugandum ſibi monaſterium Papa animum vehementer incenderat, cum nemo ante illum ex Romanis Pontificibus id attentaſſet, ſed electio libera ſemper Monachis fuerit, ſola confirmatione ad Papam pertinente.* Olim & ordinatio Abbatiſſæ ſpectabat ad Epiſcopum: ſed poſtea ex ſacris conſtitutionibus electio Abbatiſſæ pertinuit ad Moniales, ordinatio ad Epiſcopum. Gregorius libro 6. epiſt. 12. Monialis non poteſt eligi in Abbatiſſam, niſi impleverit 30. annum, ac expreſſe profeſſa fuerit. Cap. *Indemnitatibus. de elect.* in 6. Hoc inprimis notandum, quod in electione Abbatum & Prælatorum regularium ſervata eſt forma capitis *Quia propter:* in electione Abbatiſſæ forma cap. *Indemnitatib.* donec hæc jura mutata & perturbata ſunt concordato ſolemni habito inter Leonem X. & Franciſcum I. in quo nominatio Prælatorum ſæcularium & regularium aſcripta eſt Regi, proviſio ſeu collatio Pontifici. §. 1. *De regia ad Prælatur. nominat.*



CAPUT XV.

Benedictio Abbatum. Effectus hujusmodi benedictionis.

ABBATES electi, præter confirmationem, benedictionem accipiunt ab Episcopo. Cap. *Cum inter R. seniorem. de elect.* cap. *Statuimus. de supplend. neglig. Prelat.* cap. *Cum contingat. de ætat. & qualit. & ordin. præficiend.* Formam benedictionis tradit Ordo Romanus. Abbatissæ etiam benedicuntur ab Episcopo. Cap. *Meminimus. de accusat.* Non omnes, sed quæ solent benedici. Clem. *Attendentes. de stat. Monachor.* Effectus benedictionis est, quod Abbas per benedictionem accipit potestatem eorum quæ sunt ordinis: Abbas enim non potest Monachos benedicere, seu conferre tonsuram subditis, priusquam benedictus sit. d. can. *Quoniam.* d. cap. *Cum contingat.* Quod si Episcopus moram faciat in impertiendo benedictionis munere, Abbas, si sit exemptus, potest impetrare mandatum a Summo Pontifice, vt Episcopus compellatur munus benedictionis tribuere. d. cap. *Meminimus.* Vel mandante Pontifice potest suscipere benedictionem ab alio quovis Episcopo. Vel si non sit exemptus, & Episcopus tertio Conventus Abbatem benedicere renuerit, post trinam conventionem Abbati licet proprios Monachos benedicere, & alia quæ pertinent ad officium exercere, donec Episcopus duritiem recogitet, & Abbatem benedicere non recuset. d. cap. *Statuimus.* Quandoque etiam recusante Episcopo Abbates exempti petere solent benedictionem a Summo Pontifice. De electo Abbate sancti Augustini Cantuariensis memoratur, quod cum Richardus Archiepiscopus Cantuariensis ludificaretur eum benedicere in ipso monasterio, juxta rescriptum impetratum per electum ab Alexandro III. Romam profectus benedictionem accepit ab ipso Pontifice. Roger. Hoveden. ad. ann. 1177. Udalricum Augiensem Abbatem benedixit Leo IX. Hermann. Contract. in Chronic. ad ann. 1049. *Leo IX. in proximo Pascha Vdalricum Augiensis cœnobii Provisorem Romam venientem Abbatis benedictio-*

ne

ne consecravit. Hoc distat benedictio Abbatis a consecratione Episcopi, quod consecratio est omnino necessaria, vt fiat & dicatur Episcopus. Cap. *Licet. de translat. Episcop.* Abbatis benedictio non est necessaria, vt sit & dicatur Abbas, vt ea quæ sunt jurisdictionis exerceat, vel vt temporalia administret, sed quoad quædam tantum, nimirum vt Monachos benedicere, vel eis tonsuram & minores Ordines conferre possit. d. cap. *Quoniam.* d. cap. *Cum contingat.* Per consecrationem Episcopi confertur ordo Episcopalis: per benedictionem Abbatis non imprimitur character, non confertur vllus ordo; sed ex privilegio tribuitur potestas quasi Episcopalis operandi quædam, quæ sunt ordinis. Gloss. in d. Clem. *Attendentes.* Ostiensis & Jo. Andreas in cap. *Tuam. de ætat. & qualitat.* Oldrad. consil. 14. Et his argumentis tentabat Ivo Carnotensis non vno loco probare benedictionem Abbatis non esse necessariam, vt epist. 73. *Habent fortasse fratres isti zelum Dei, sed non secundum scientiam, putantes quod promotionem Abbatis faciat Episcopalis benedictio, & non potius fratrum communis electio, cum tamen ipsam benedictionem conferat Dominus, non secundum meritum dantis, sed secundum fidem & puritatem benedictionemque accipientis.* Et idem epist. 88. *Dicunt enim quia non potest esse Abbas sine benedictione.* quod non probat his quæ sequuntur: *Cum Abbatis benedictio nulla sit sacramenti repetitio.* Abbates non exempti in sui benedictione tenentur edere Episcopo solemnem professionem subjectionis, obedientiæ & reverentiæ, salvo ordine suo, id est, regula, qualem solebant præstare Abbates Cisterciensis Ordinis, cujus formulam edidit Honorius III. in cap. *Ne Dei Ecclesiam. de simonia. Ego frater Abbas Cisterciensis Ordinis subjectionem & reverentiam & obedientiam a sanctis Patribus constitutam, secundum regulam sancti Benedicti, tibi, Domine Episcope, tuisque successoribus canonice substituendis, & sanctæ Sedi Apostolicæ, salvo ordine meo, perpetuo me exhibiturum promitto.* Et hujusmodi professio solebat præstari ex scripto, interposito jurejurando super signo sacræ crucis. Arnulfus Lexoviens. epist. ad Abbatem sancti Ebrulfi: *Nosse siquidem debes, in eo qui religionem professus est, inobedientiam crimen esse, ipsumque ad exactissimam diligentiam teneri, qui obedientiam Prælato suo*

viva voce & scripto, juramento etiam corporaliter interveniente, adhibita salutiferæ crucis impressione signavit. Abbates vero exempti, cum benedicuntur, non tenentur edere professionem subjectionis. Cap. *Sane de excess. Prælat.* cap. *Cum olim* 2. in fin. *de privileg.* Necnon a quocumque Episcopo benedictionem suscipere eis fas est citra professionem. Hoc jure Malmesburiensis Abbas dicens se exemptum, contendebat suo jure se benedictionem accepisse a Laudunensi Episcopo, omisso Sarisberiensi, in cujus diœcesi situm est Malmesburiense monasterium: de quo Petrus Blesens. epist. 68. *Abbas testibus nitebatur asserere, decessores suos benedictiones a quibus volebant Episcopis pro suo libitu citra professionis vinculum suscepisse.* Ob id Willelmus Abbas S. Germani de Pratis, pulsus a Monachis, restituto Reinaldo decessore, qui Abbatia cesserat, ad quod ab Episcopo Parisiensi benedictionem recipiens, ei professionem fecisset, ne exemptioni fraus fieret. Continuator Aimoin. lib. 5. cap. 51. Idcirco Bernardum Abbatem Majoris monasterii valde increpabant Monachi, quod benedictionem accepturus, Turonensi Archiepiscopi subjectionem promisisset: de quo eum tuetur Ivo Carnotens. d. epist. 73. *De cætero quod calumniantur, non recte vos fecisse, quod ante benedictionem promisistis obedientiam sedi Metropolitanæ, vana vel nulla calumnia est: quomodo enim connexa sibi ad invicem poterunt esse membra corporis Christi, nisi dispensatores canonicarum vel monasticarum Congregationum eam obedientiam exhibeant Prælatis suis, quam sibi exhiberi volunt a subditis suis?* Et professionem abs Goffrido Vindocinensi Abbate, exempto extortam per Ivonem Carnotensem Episcopum irritam dixit Urbanus II. & post eum Paschalis II. de quo Goffridus ipse lib. 2. epist. 11. & 27. Professionem ab Abbate, cum benedicitur, Episcopo præstari, non grave, sed superfluum duxit Anselmus lib. 2. epist. 52. pulcherrima ratiocinatione. *Scimus enim*, inquit, *quia semper profiteri ore, & opere exhibere debemus majoribus nostris regularem obedientiam, quam scripto repetere, quamdiu eam non abnegasse cognoscimur, superfluum certe est. Quod si quis nos vult cogere, cum ad Abbatiæ prælationem promovemur, sine ulla ratione fieri videtur: cum enim professi sumus confessionem morum nostrorum, utique promisimus*

obedientiam, non solum Abbatibus, nec solum quamdiu essemus sub Abbate, sed omnibus majoribus nostris, & quamdiu vivemus, &c. Ne vero pro benedictione Abbatis ab Episcopo id exigatur vetuit Concil. gen. Lateranense habitum sub Innocentio III. Cap. *Sicut. de simon.* Et ne quid exigatur ab Episcopo pro Abbatis benedictione, installatione, vel recipienda professione, vetuit etiam Honorius III. d. cap. *Ne Dei Ecclesiam.* & ante Innocent. III. lib. 2. epist. 207. & 366. Benedictio Abbatum pertinet ad Episcopum, installatio Abbatum & Abbatissarum ad Archidiaconum. Cap. *Vt nostrum. de offic. Archidiac.* Et quia hujusmodi installatio non fiebat sine sumptu & pompa, quæ repugnabat humilitati religiosæ, installationis solemnitatem apud Abbates Cisterciensis Ordinis sustulit Honor. d. cap. *Ne Dei Ecclesiam.*



CAPUT XVI.

Renunciatio & depositio Abbatum. Formula depositionis.

ABBAS quilibet potest renunciare Abbatiæ, verum Abbas non exemptus non potest renunciare Abbatiæ, nisi in manibus ordinarii, ad quem confirmatio pertinet. Can. *Abbas* 18. quæst. 2. Nec valet renunciatio facta in manibus Conventus seu Capituli, cujus est electio. Cap. *Lectæ. de renuntiat.* Non valet renunciatio, nisi expresse fiat in manibus ordinarii: si Abbas Monachos absolverit ab obedientia, etiam vocato Episcopo, non videtur renunciasse. d. cap. *Lectæ.* Abbas vero exemptus non potest renunciare Abbatiæ sine licentia Summi Pontificis. Cap. *Dilecti* eod. tit. Nec potest transferri de vno monasterio ad aliud sine licentia Summi Pontificis. Cap. *Cum venerabilis. de consuetud.* Non potest etiam renunciare exemptioni, vel compromittere in arbitros de libertate monasterii, sine ejusdem Pontificis licentia. Cap. *Cum tempore. de arbitr.* Nec potest professionem obedientiæ facere Episcopo in præjudicium exemptionis. Cap. *Cum dilectus. de religios. domib.* quia beneficium exemptionis confertur quidem in gratiam exempti: sed semel collatum ver-

titur in jus & in rem Sedis Apostolicæ, siquidem per exemptionem monasterium exemptum fit alodium & prædium Ecclesiæ Romanæ, de quo fusius suo loco. Abbatiæ renunciatio fiebat per resignationem virgæ super altare, & absolutionem fratrum a sacramento obedientiæ. Leo Ostiensis Chron. Cassinens. lib. 4. cap. 44. *Accipite* (inquit Bruno Abbas virgam pastoralem deponens) *quam mihi tradidistis; absolutioneque fratribus facta, ad Episcopatum suum redit.* Abbas vel Prior Conventualis canonice electus, est perpetuus, nec potest amoveri sine gravioribus causis, puta si insufficiens, incontinens, dilapidator bonorum monasterii, vel negligens in eorum administratione fuerit. Can. *Nullam.* can. *Si quis Abbas* 18. quæst. 2. cap. *Monachi.* in fin. *de stat. Monachor.* Propter simplicitatem depositus Willelmus Abbas S. Germani Parisiensis, quod deceptus a Parisiensi Episcopo accepta benedictione professionem obedientiæ ei fecisset, ne monasterii exemptio tentaretur. Continuator Aimoin. lib. 5. cap. 51. *Anno Incarnationis Dominicæ* 1108. *Rainaldus monasterii S. Germani Abbas, præ simplicitate Abbatiam dimisit, & loco ejus Guillelmus est substitutus, qui duobus annis monasterium rexit: sed pravo consilio deceptus, ad Episcopum Parisiensem pergens, & ei professionem faciens, benedictionem ab eo accepit. Quod audientes præfati monasterii fratres, timentes ne per hoc Ecclesiæ suæ minueretur libertas, revertentem a professione noluerunt recipere: sed clausis januis valide resistentes, eum ab Abbatiæ dignitate penitus removerunt, prædictumque Rainaldum revocantes, eum iterum sibi præfecerunt Abbatem.* Item Abbas potest deponi, si prævaricator Ordinis fuerit, seu contemptor aut negligens vel remissior. Cap. *Cum ad monasterium.* sub fin. *de stat. Monachor.* Prævaricator Ordinis dicitur qui regulæ observantiam negligit aut contemnit; quia prævaricatur adversus votum, ut & virgines quæ virginitatem promissam temerant, prævaricari dicuntur. Synod. Ancyran. can. 18. *Quotquot virginitatem pollicitam prævaricatæ sunt.* Can. *Quotquot* 27. qu. 1. Græci ἀθετῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν. Synod. Arausican. I. can. 28. *In utroque sexu desertores professæ castitatu prævaricatores habendi.* Rainaldus Abbas Cassinensis depositus quod Subdiaconus electus esset contra canones. Leo Ostiens. Chronic. Cassinens. lib. 4.

cap. 123. Sane Abbas potest ex levioribus causis suspendi ab administratione. Cap. *Per tuas. de simon.* id est, ex levioribus causis, quam his quæ requiruntur in depositione, quæ graviores causas desiderat. Abbas enim non facile, nec sine graviori causa deponendus est, ne ei adimatur auctoritas, si Monachorum potestati cœperit subjacere. d. can. *Nullam.* id est, si possit amoveri ad libidinem Monachorum, neve fiat meticulosior ad coercendos Monachos, metu depositionis. Humani scilicet moris est, illum vereri, cujus voluntate & judicio nunc erigitur, nunc deprimitur. Can. *Visis* 16. qu. 2. Nec facile audiendi sunt subditi contra Prælatos, qui quasi signum sunt positi ad sagittam, id est, expositi sunt malitiæ & insidiis subditorum. Cap. *Qualiter. de accusat.* Abbas deponendus est intercedentibus justis causis, etiamsi omnis Congregatio vitiis ejus consentiens, id est, vitia ejus dissimulans & ferens, quasi conniventibus oculis, eum Abbatem habere voluerit. d. can. *Si quis Abbas.* Non est ferendus Abbas, cujus electa est negligentia a Monachis, vt impune eis sit. Can. *Placuit* 10. qu. 3. Depositio autem Abbatis non pertinet ad Monachos, sed ad Episcopum, nec solum, sed cum Abbatibus vicinis. d. can. *Si quis Abbas.* Concil. Turonens. II. can. 7. *Ne Episcopus Abbatem vel Archipresbyterum sine Compresbyterorum & Abbatum consilio removeat.* Et hoc in Abbate non exempto: Abbatis enim exempti confirmatio & depositio pertinet ad Summum Pontificem, qui est ordinarius exemptorum, vel ad Legatum Sedis Apostolicæ, qui est in partibus. Hoc jure anno Christi 1214. per Nicolaum Tusculanum Episcopum, & Legatum Sedis Apostolicæ in Anglia, depositus est Radulphus de Arundel, Abbas Westmonasteriensis exemptus, de quo Matth. Paris. ad hunc annum: *Illis diebus per prædictum Legatum depositus est Radulphus de Arundel Abbas Westmonasteriensis in crastino sancti Vincentii per N. Abbatem de Westham, missum ex parte Legati, fracto ipsius sigillo.* Nimirum depositio Abbatum non fiebat solemniter, vti depositio Episcopi, vel degradatio Presbyteri; sed nuda & simplici fractione sigilli, quia Abbatis munus non est ordo, sed officium. Præter Matth. Paris. Innocent. III. lib. 2. epist. 38. de Abbate Conchensi: *Et instrumenta sua fracto sigillo quo vsus fuerat, in manibus eorumdem judicum resignavit, &*

Idem Matt. Westmonast. ad annum 1214.

Abbatiam abjuravit memoratam. Vel per depositionem virgæ super altare. Leo Ostiens. Chronic. Cassinens. lib. 1. cap. 94. *Ita demum Basilius ad hoc monasterium veniens, & Abbatis virgam, quam eatenus tenuerat, abjiciens, paucis post diebus ad vallem Luce Præpositus transmissus est.* Et idem cap. 96. ejusd. lib. *Tertia post hac die coram cunctis fratribus in Ecclesiam veniens, (* Petrus Abbas *) ac virgam super altare deponens, officium & hoc monasterium deseruit.* Vel per depositionem virgæ simul & annuli & regulæ super corpora Sanctorum. Idem lib. 4. cap. 123. de Rainaldi Abbatis Cassinensis depositione: *Sicque illorum jussu astantibus omnibus, virgam & annulum & regulam supra corpus sanctissimi Benedicti deposuit.* Plerumque Abbati deposito vel ab administratione amoto assignabatur cella vel Prioratus alimoniæ gratiâ, vt liquet ex d. epist. 38. Innocent. & 50. ejusd. lib. vnde deductum est cap. *Cum inter seniorem. de elect.* & ex epist. 8. ejusd. lib. 1. & ex epist. 111. registr. 13.



CAPUT XVII.

Advocati monasteriorum, & eorum officium.

UT consuleretur quieti Monachorum, præter Prælatos regulares suscepti sunt Advocati & defensores monasteriorum, nimirum viri nobiles & potentes, qui res & personas Monachorum tuerentur a prædis & insidiis laicorum. Advocati sunt defensores Ecclesiarum vel monasteriorum. Cap. *Præterea.* cap. *Cum autem. de jur. Patronat.* cap. *In quibusdam. de pœn.* Urbanus II. in can. *Salvator* 1. qu. 3. *Defensoris nomine Advocatum sive Castaldum & judicem.* Et Gregorius X. in cap. *Generali. de elect.* in 6. *Vniversos & singulos qui regalia, custodiam sive guardiam, advocationis seu defensionis titulum in Ecclesiis, monasteriis, seu quibuslibet aliis piis locis vsurpare conantur.* Sic dicti a vernaculo *avouër*, quod Ecclesiæ & monasteria suscipiendo advocatos eos defensores suos advocarent, id est, profiterentur seu recognoscerent, quod vulgariter dicitur, *avouër.* Cap. 2. *De reb. Eccles. non alienand.* eod. Ecclesiæ & monasteria cum opibus & latifundiis nimium

aucta essent, & ob id impune exposita essent rapinis & infestationi laicorum, tutelæ & præsidii causa sibi assumpsere viros nobiles e laicis in advocatos & defensores, quod probarunt Patres Ecclesiæ. Concil. Moguntin. celebratum sub Carolo M. can. 50. *Omnibus igitur Episcopis, Abbatibus cunctoque Clero continuo præcipimus, Vicedominos, Præpositos, Advocatos sive defensores bonos habere.* Et Carolus ipse varia capitula edidit de Advocatis & defensoribus Ecclesiarum a Principe postulandis, & idoneis eligendis, vt Capitul. lib. 5. cap. 31. *Defensores Ecclesiarum adversus potentias sæcularium vel divitum ab Imperatore sunt poscendi.* Et lib. 7. cap. 303. *Pro Ecclesiarum causis ac necessitatibus earum atque servorum Dei, executores vel Advocati seu defensores, quotiens necessitas ingruerit, a Principe postulentur.* Et lib. 4. cap. 62. *Vt nullus Episcopus, nec Abbas, nec Comes, nec Abbatissa Centenarium Comitis Advocatum habeat.* Ne vero hujusmodi Advocati Advocatiæ & defensionis obtentu Ecclesiam gravarent, statutum vt ab Imperatore vel Principe postularentur, vt regio examine probati cautius se gererent in rebus Ecclesiarum & monasteriorum. Trithemius Abbas in Chronic. Hirsaugiens. ad ann. Christi 1064. *Sin autem aptum & vtilem Advocatum vndecumque sibi placuerit eligant. Hic denique Abbate petente a Rege accipiat bannum legitimum.* Idemque in eodem Chronic. ad ann. Christi 1199. ex privilegio Urbani II. *Advocatum autem Imperatorem Romanorum, qui & noster Advocatus est, præficimus: propter multiplices tamen ejus curas & dispositiones, liceat Abbati & fratribus de familia de Calune eligere, si idoneus inventus fuerit.* Et infra: *Sin autem alias vndecumquelibet liceat alium eligere, qui etiam Advocatus in præsentiam Abbatis & fratrum juret in sacramento cum familiaribus suis, quod contra privilegia Ecclesiæ non veniat: hic adductus in præsentiam Domini Imperatoris simili modo confirmet.* Et hoc institutum est in Occidentis partibus, exemplo Africanæ Ecclesiæ, quæ cum defensore egeret adversus Donatistas, necessarium duxit vt defensores in singulas Ecclesias ab Imperatore postularentur. Synod. Carthag. V. can. 4. can. *Ab Imperatoribus* 23. qu. 3. quos Græci ἔκδικους vocarunt. Advocati hujusmodi postulabantur a Principe, & ab eo bannum accipiebant, id est, titulum Advocatiæ. Præter

Trithemium loco modo laudato, Acta Murensis monasterii, quod est apud Helvetios ex Tabulis Henrici IV. *Constituit etiam ut major natu filiorum suorum commendante sibi Abbate, Advocatiam habeat, non in beneficium & jus proprium, sed ad securioris & gratæ defensionis suffragium, qui non pro terreno commodo, sed pro æterna mercede, sollicitus & studiosus bona & constitutam libertatem monasterii & justitiam defendere voluerit. Hic denique Abbate petente a Rege accipiat bannum legitimum, &c.* Advocati libera electio erat penes Abbatem, nuda confirmatione spectante ad Principem. Gregor. VII. lib. 7. epist. 24. pro monasterio Hirsaugiensi. *Vt nullus Sacerdotum, Regum, vel Ducum, aut Comitum, seu qualibet magna aut parva persona, præsumat sibi in eo loco aliquas proprietatis conditiones, non hereditarii juris, non Advocatiæ, non investituræ, non cujuslibet potestatis, quæ libertati monasterii noceat, vindicare.* Et infra: *Abbas autem Advocatum quem voluerit eligat: quod si is postmodum non fuerit utilis monasterio, eo remoto alium constituat.* Et Leo Ostiensis Chronic. Cassinens. lib. 1. cap. 76. *Ibi eum Abbas & equo optimo & armis præcipuis insignique pulcherrimo donans, monasterii defensorem constituit.* Officium Advocati erat curare res Ecclesiæ, easdem tueri, & in jure defendere, & a prædonibus occupatas vindicare. Concil. Moguntin. can. 22. *Vt Monachi ad sæcularia placita nullatenus veniant.* Et infra: *Neque ipse Abbas sine consilio Episcopi sui, & cum necessitas exigit, tunc per jussionem & consilium Episcopi illuc vadat; nequaquam tamen contentiones aut lites aliquas ibi movere præsumat: sed quicquid quærendum, vel etiam respondendum sit, per Advocatos suos hoc faciat.* Adrevald. de miracul. S. Benedict. lib. 1. cap. 26. de prædiis monasterii Floriacensis sitis in Aquitania, quæ ab antiquo utitur lege Romana: *Advocatus vero una cum Ragavario Monacho ad locum cessionis terræ juxta morem legis adveniens, prædictam vineam ad jus S. Benedicti sua auctoritate revocare nitebatur.* Et Flodoard. Hist. Rhemens. lib. 3. cap. 10. de Hincmaro Archiepiscopo: *Rex quoque nonnullus juraque Ecclesiæ ac mancipia legibus per Advocatos evindicata recepisse reperitur.* Ekkeard. Junior de casib. monast. S. Galli cap. 1. *Invadit loca lege Alamannica cum Advocato Episcopus, tribus diebus, uti jus erat, homines fisci juramentis S. Othmaro vindicantes.* Tabulæ & gesta perti-

pertinentia ad monasterium inscribebantur de Abbatis nomine, addito fratrum & Advocati consensu. Bernard. epist. 229. ad Episcopum Ostiensem & alios pro Abbate Latiniacensi: *Jam de terris & bonis Ecclesiæ, quasi distractis & alienatis, & datis ab eo cognatis suis, coram venerabilibus Episcopis Suessionensi & Autissiodorensi, Comiteque Theobaldo, Advocato utique monasterii, satis responsum est, & adhuc respondetur, sic illum dedisse suis quomodo alienis, id est, ad eumdem censum vel consuetudinem.* Idemque epist. 284. ad Eugenium P. *Betuniensis Decanus voluntate Episcopi, & assensu Advocati, bonam rem pro Ecclesia sua in Ecclesia eadem constituit: bonum est ut vestra auctoritate firmetur.* Penes Advocatum erat donationum piarum acceptatio. Ekkeard. de casib. monast. S. Galli cap. 1. *Ille vero* (Conradus Imp.) *quicquid inibi regii fisci erat, totum in manum Advocati super aram ejus* (S. Galli) *tradiderat, & sigillo suo roboraverat.* Nec status Ecclesiæ potuit mutari sine consensu Advocati. Petrus Cluniacens. lib. 4. epist. 43. ad Gaufredum Carnotensem Episcopum: *Dixit enim Ecclesiam Castri Duni, quam Cluniacensis olim possedisse dicebatur, a Canonicis ejusdem Ecclesiæ, ab Advocato Ecclesiæ, Vicecomite Vindocinensi, ab omnibus tandem qui aliquid juris in ea se habere dicebant, tam precibus, quam vi justitiæ extorsisse, & vestræ Cluniacensi Ecclesiæ, cujus juris fuerat, reddidisse.* Advocatorum etiam munus fuit temporalem Ecclesiæ jurisdictionem in servos, colonos & subditos Ecclesiæ vel monasterii exercere. De Advocato Murensis monasterii testantur Tabulæ Henrici IV. Imp. quæ sunt editæ inter Acta Murensis monasterii: *Hic denique Abbate petente a Rege accipiat bannum legitimum, & ter in anno, si necesse fuerit, aut in ipso loco, aut ubicumque, vel quandocumque Abbati visum fuerit, invitatus ab illo veniat, & ibi placitum justum pro causis & necessitatibus monasterii rite peragat.* De Advocato monasterii Laurishamensis in Germania Chronic. Laurishamens. *Hic itaque Conradus II. Rex rogatu præfati Reginbaldi Abbatis, tradidit S. Nazario omne suum regale jus in mancipiis, in Ganuita, ea scilicet ratione ut nullus Comes, Vicecomes, aut alia qualibet judiciaria persona in eisdem mancipiis aliquam deinceps habeat sui juris exercendi potestatem, sive ad placitum suum constringendi, seu bannum persolvendi, nisi prædictus Abbas suique successores, & quem ipsi*

Advocatum elegerint. De Advocato monasterii Hirsaugiensis Trithemius Abbas in Chronic. Hirsaugiens. ex Tabulis Henrici IV. *Sin autem aptum & utilem Advocatum undecumque sibi placuerit eligant: hic denique Abbate petente a Rege accipiat legitimum bannum, & ter in anno, si necesse fuerit, aut in ipsam cellam, aut ubicumque, vel quando Abbati placuerit, invitatus ab illo veniat, & ibi placitum jussum pro causis & necessitatibus monasterii rite peragat. Nullum autem servitium aliud jus aut beneficium sibi pro hoc concedi recognoscat, nisi tertium bannum, & consuetudinariam justitiam, & legem quam cæteri Advocati in aliis liberis monasteriis habent super fures proterviam, & censuales, & cætera talia, & in illis trium placitorum diebus, in unoquoque unum malthum de frumento, & unum friscingum, & unum siclum de vino, & cætera ad hæc pertinentia.* De Advocato Fuldensis monasterii Traditiones Fuldenses lib. 2. pag. 514. *Tunc Centurio Sigifrid, qui Advocatus noster fuit, & una fratres nostri cum eo, placitam constituerunt,* &c. De Advocato Lacensis monasterii Tabulæ Henrici Comitis Palatini apud Miræum lib. 2. diplomat. cap. 25. *Advocatus ne alium sibi, nisi Abbatis ordinarium, judicem subroget in cognitione causarum, neve ad causas audiendas veniat, nisi a Monachis invitatus.* De Advocato monasterii Egmondensis Jo. a Leidis. Hist. Belgicæ lib. 21. cap. 11. *Dicebat juris sui esse, si Monachi pugnarent in claustro, hoc judicare & corrigere: mansionarios & ministrales Ecclesiæ, & etiam famulos Abbatis, coquos, pistores & braxionarios* suo judicio stare coegit, interdicens eisdem, ne fratribus, sicut consueverant, servirent aliquo modo.* Unde Advocati, ut jurisdicundi officio sufficerent, jurisperiti eligebantur. Paulus Langius in Chron. Citizensi, de Advocatis monasterii Bozawiensis: *Verum nunc extenuatis rebus, minoratis & opibus, ad minimos quoque Advocatos tenendos defecimus, ut qui quondam ob rerum copiam Marchiones, ut dictum est, Comitesque necessarios habuimus, nunc moriones & viles quosque homunciones, dummodo jurisperiti fuerint, ad præfatam Advocatiæ dignitatem assumimus.* Advocatis pro mercede officii ascripta certa stipendia & annonæ, ut in monasterio Hirsaugiensi moris fuisse jam probatum ex Trithemio. Idem usu receptum in monasterio Urspergensi. Abbas Urspergensis: *Cumque talis Prælatus coram inclitæ recordationis Imperatore Frederico*

*Braxionarii, *Brasseurs de biere*

comparuisset, ipse coram tota curia sua sprevit eundem, odioque sui nobili viro Deginhardo de Hedinstein Procuratori suo per omnia regalia prædia Sueviæ injunxit, quatenus personaliter accederet ad Ecclesiam Vrspergensem, & de voluntate fratrum in prædiis ipsorum extra Abbatiam & grangias statutis apponeret annuum, quod sibi pro Advocatia & defensione solveretur, vt videlicet quilibet mansus rusticanorum prædiorum solveret maltare vnum avenæ, vt officiales sui equis ipsorum ex hoc haberent annonam. Idem institutum in monasterio Spanheimensi. Trithemius in Chron. Spanheimens. ad ann. Chr. 1325. *Denique ad petitionem præfati Comitis Joannis Willicho Abbas prædictum filium ejus Advocatum suum in villa monasterii quæ Anven dicitur, constituit, cui duodecim maldræ avenæ & totidem pullos ab incolis ejusdem villæ danda singulis pro feudo assignavit.* Omnium Ecclesiarum civitatis Cameracensis Advocatus fuit Comes Flandrensis, eoque nomine tulit certam portionem fructuum, quæ vulgo *Gavena*. Sæpius & Advocatiæ nomine in beneficium seu feudum data certa prædia Ecclesiæ, inde Advocatiæ dicta. d. cap. *In quibusdam*. Baldric. Noviomens. Chron. Cameracens. lib. 2. cap. 98. *Sub hac etiam specie ipse Herivardus Advocatias aliquantarum villarum quasi pro defensione præsumpsit, sed plus quam inimicus prædo assiduis exactionibus devastavit.* Conrad. de Fabaria de casib. monast. S. Galli cap. 8. *Cum Advocatia aliaque quamplurima feuda nostræ cessissent jurisdictioni, Abbas iisdem quoque temporibus mortuo Adelgoro de Suabegge sine herede, (is fuit Advocatus Augustæ) ipse Imperator tam Advocatiam quam alia prædia ipsius sibi vendicavit.* Et infra: *Ducatus, Marchias, Comitatus Advocatias, monetas, telonea, cæterorumque regalium summam.* Inter regalia scilicet numerantur Advocatiæ, quod a Principe postularentur. In deterius ruente sæculo Advocatiæ Ecclesiarum & monasteriorum, quæ in præsidium & defensionem institutæ erant, versæ sunt in necem & exitium, & eventus rerum probavit ovem lupo creditam, vt aiunt: Advocati enim ita potestate abusi sunt, vt Ecclesias & monasteria spoliarent tamquam prædones, & ab Ecclesiis velut a propriis rusticis & colonis graviores census & annonas passim exactitarent, quibus modum imposuit Lucius III. in cap. *Præterea.* extr. *de jur. patronat.* lege dicta, ne quid ab Ecclesiis præter antiquos & moderatos redi-

tus ab initio institutos exigerent. Et ante Eugenius II. in Synod. Rhemens. celebrata anno Christi 824. can. 5. *Auctoritate Apostolica prohibemus, vt nullus Advocatus præter jus & beneficium antiquitus, aliquid sibi arripere vel vsurpare præsumat: quod si quis contra hoc attentaverit, Christianorum careat sepultura.* Ecclesiis & monasteriis quam graves essent Advocati frequenti metatu & crebris exactionibus, testatur Cæsarius de Miracul. lib. 2. cap. 7. *Vacca ipsa sua inquietudine & depastione nobiles & Advocatos temporis nostri designat, qui domos & agros subditorum hospitando depascunt, & per assiduas exactiones, quas in illos faciunt, in substantia recrescere non sinunt.* Et idem lib. 4. cap. 72. *Ejusdem Ordinis cella quædam in Episcopatu Coloniensi sita est: Episcopus vero, qui & Advocatus ejusdem cellæ est, sciens hominem* (id est, Præpositum) *pecuniosum esse & inhospitalem, semel vel bis in anno cum plurimo equitatu & multitudine militum hospitatur apud ipsum.* Immo Advocati Ecclesiarum & monasteriorum ita cervicem erexerunt, vt vacantibus Ecclesiis minoribus, quæ pertinebant ad monasteria, Clericos ad eas præsentandi jus sibi vsurparent: vnde Advocatorum & Patronorum nomen promiscue acceptum est. d. cap. *Cum autem.* Ac denique res eo pervenit, vt vacantibus Ecclesiis Advocati liberam electionem Prælatorum tollerent, de rebus Ecclesiarum & monasteriorum disponere præsumerent, quasi haberent custodiam vacantium Ecclesiarum, & in ipsos Prælatos sævirent vsque ad necem. Quam ob causam Concil. generali Lateranensi habito sub Innocent. III. ne quod ad defensionis subsidium est inventum, ad depressionis dispendium retorqueretur, statutum est, vt Advocati qui hujusmodi noxis tenerentur, jus Advocatiæ amitterent, & eorum liberi arcerentur a sacris ordinibus ad quartam vsque genesim, nisi forte cum eis dispensaretur. d. cap. *In quibusdam.* & Concilio Lugdunensi habito sub Gregorio X. addita est pœna excommunicationis. d. cap. *Generali.* quod est velut supplementum d. cap. *In quibusdam.*





ASCETICΩN
SIVE
ORIGINUM REI MONASTICÆ
LIBER TERTIUS.



CAPUT I.

Variæ appellationes Monachorum: ἀσκηταὶ, ἡσυχασταὶ, ἱκεταὶ, θεραπευταὶ, ἐσχραλδωσμένοι, *Sancti, Nonni, Fratres, Servi Dei, Religiosi.*



XPOSITIS initiis, incrementis & decrementis Monastices, proposito conveniens erit de statu Monachorum quoad personas sermonem instituere, quo e personarum notitia, rerum monasticarum observatio in sequentibus plenius elucescat. Rebus Ecclesiæ ad perfectiorem statum surgentibus, tres ordines fidelium in ea inventi sunt, nimirum Clerici, Monachi, & laici. Hos tres ordines agnoscit Ambrosius sermone 10. *Qui sunt isti, nisi Clerici idonei, vel Monachi*

religiosi, vel laici? Augustinus de salutar. documentis cap. 38. *Omnibus enim laicis, Clericis, Monachis æqualiter convenit fidem, spem & caritatem habere.* Idem de verbis Domini sermone 19. *Quid habebam facere homo sæcularis aut miles? numquid Monachum sum professus, aut Clericum?* Sidonius lib. 4. epist. 24. *Quod genus vitæ de tribus arripuisset ordinibus: Monachum ageret, an Clericum Pœnitentemve.* Monachos tertium hominum genus inter Sacerdotes & laicos ponit Joannes Chrysostomus in epist. ad Romanos homil. 23. ὅτι πᾶσι ταῦτα διατάττεται καὶ ἱερεῦσι καὶ μοναχοῖς, οὐχὶ τοῖς βιωτικοῖς μόνον. *Quod ista imperentur omnibus & Sacerdotibus & Monachis, non solum sæcularibus.* Eandem distinctionem ordinum adhibuit Gregorius Moral. 1. cap. 12. *Quia post Apostolorum conspectam fortitudinem tres distinctiones fidelium in Ecclesiæ conversatione secutæ sunt, Pastorum videlicet, & continentium, & conjugatorum.* Monachorum institutum prius usu celebratum, quam notum esset nomen. Ii prius variis aliis nominibus appellati, primum dicti sunt, θεραπευταὶ, cultores, a Dei cultu, cui intentius vacant: sic θεραπευτὰς vocitavit Philo Judæus de vita contemplativa, per quos Ascetas seu Monachos intellexit. Eusebius libro 2. cap. 16. & Dionysius Areopagita de Hierarch. Ecclesiast. cap. 6. οἱ μὲν θεραπευταὶ, οἱ δὲ μοναχοὺς ὀνομάζοντες, ἐκ τῆς τοῦ Θεοῦ καθαρᾶς ὑπηρεσίας δι' θεραπείας, καὶ τῆς ἀμερίστου καὶ ἑνιαίας ζωῆς. *Alii cultores, alii Monachos vocantes, a puro Dei famulatu & cultu, & individua & singulari vita.* Iidem dicti ἀσκηταὶ, exercitatores. Eusebius loco modo laudato: ἀλλὰ τὸν βίον τῶν παρ' ἡμῖν ἀσκητῶν, ὡς ἔνι μάλιστα ἀκριβέστατα ἱστορῶν γένοιτο ἂν ἔκδηλος. *Jam vero cum eorum vivendi rationem, qui apud nos Ascetæ, id est, Monachi, virtutis studio dedit, quam accuratissime percenseat.* Apud eundem lib. 8. cap. 20. memoratur Petrus ἀσκητὴς, id est, Monachus, qui ex Ægypti finibus Cæsaræam profectus, ibi cum aliis martyrium passus est. Et Athanasius Apolog. ad Constant. Imperatorem: καὶ οἱ μὲν ἀπὸ Ἀλεξάνδρου ἐπίσκοποι μονάζοντες καὶ ἀσκηταὶ ἐξωρίσθησαν. Ἀσκηταὶ dicti ab exercitationis studio, quod eorum vita jugis esset exercitatio, variis officiis distincta, lectionis, orationis & manuum operis: virtutis studium scilicet nihil aliud est quam exercitatio. Inde Psalm 83.

Exercitatus sum, & defecit paulisper spiritus, id est, vt interpretatur Gregorius Moral. libro 22. capite 20. *Exercitatione crevit spiritus Dei in me, & defecit spiritus hominis.* Eadem analogia Synodus VI. in Trullo cap. 77. statuit non oportere Clericos vel Monachos, quos vocat ἀσκητὰς, lavari cum mulieribus. Ubi Balsamo satis inepte notat Ascetas esse Monachos nondum Clericos, qui tonsuram monachalem habent tantum, non clericalem: indistincte enim Ascetæ passim dicti Monachi, sive Clerici, sine non Clerici essent, quod par esset vtrisque exercitationis studium. Iidem dicti ἡσυχασαὶ, in quiete agentes. Novell. Justin. 5. de Monachis: *εἰ μή τινες αὐτῶν τὸν ἐν θεωρίᾳ καὶ τελειότητι διαζῶντες βίον, ἰδιάζον ἔχοιεν οἰκημάτιον, οὓς δὴ καλεῖν ἀναχωρητάς τε καὶ ἡσυχαστὰς εἰώθασιν, ὡς τῆς κοινότητος ἐπὶ τὸ κρεῖττον ἐξῃρημένους. Nisi quidam eorum in contemplatione & perfectione degentes, vitam remotam habeant in hospitio, quos vocare Anachoretas, id est, secedentes & Hesychastas, id est, quiescentes, consueverunt, tamquam a communione ad meliora exceptos.* Inde monasterium ἡσυχίας ἐργαστήριον vocitat Nicephorus lib. 11. cap. 39. *ὁ μὲν οὖν ἡσυχᾶς τὸ τῆς ἡσυχίας ἐργαστήριον ἐπὶ Γάζης εἶχεν. Et Hesychas quidem quietis officinam apud Gazam instituit.* Monachi etiam dicti ἱκεταὶ, supplices, ob assiduum orationis studium. Liber de vita contemplativa, qui a Philone scriptus simul & inscribitur ἱκετῶν, id est, de supplicibus, quos idem vocat θεραπευτάς. Iidem a Græcis dicti ἐγκρατευόμενοι, Latinis continentes. Canon 41. Synodi Carthaginensis apud Balsamon. qui canon extat in canone *Clerici* 81. distinct. In tantum sanctitatis fama vbique bene audiere Monachi, vt Sanctorum nomen factum sit proprium Monachorum, & appellatione Sanctorum intelligerentur Monachi, quasi jam cælo fruerentur in terris. Hieronymus lib. 3. in Zachariam in Procem. ad Exuperium Episcopum Tolosanum: *Rudes igitur non mea culpa, sed studio portitoris suscipe libros, dum ipse festinat Sanctis æra dividere*, id est, Monachis Ægypti, & Palæstinæ, ad quos mittebantur stipes ab Exuperio. Idem adversus Ruffinum lib. 3. *Navim in Romano portu securus ascendi maxima me Sanctorum frequentia prosequente.* Et inferius: *Inde contendi Ægyptum, lustravi monasteria Nitriæ, & inter Sanctorum choros aspides latere perspe-*

xi. Augustinus in Psalm. 75. *Alius vovet relinquere omnia sua distribuendo pauperibus, & ire in communem vitam, in societatem Sanctorum, magnum votum vovit.* Et idem de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 33. *Vidi ego diversoria sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus vnus Presbyter præerat vir optimus & doctissimus.* Cassianus collat. 18. cap. 1. *Ad vicum cui nomen est Dyolcos, vni ex septem Nili fluminis ostiis imminentem, non tam itineris necessitate, quam desiderio Sanctorum illic commorantium compellente pervenimus.* Idem eadem collat. cap. 16. *Et beati Isidori Abbatis atque Presbyteri aliorumque Sanctorum consortio fruebatur.* Idem collatione 17. capite 2. *Quid agimus de sponsionis fide, quam senioribus nostris velocissimum reditum pollicentes dedisse vos novimus, vt vel cursim liceret vobis hujus provinciæ Sanctos ac monasteria circumire.* Nicolaus I. in epist. ad Episcopos Galliæ, quæ a Gratiano refertur in can. *Præsens* 20. quæst. 3. *Non enim putamus, quod absit, Canonicos religiosos a sanctorum Monachorum vita & consortio sejunctos.* Alii Sanctos & Nonnos vocabant Monachos. Arnobius in Psalm. 105. *Ille Monachus hoc egit, ille Clericus hoc, illa Sanctimonialis, ille qui Sanctus vocatur & Nonnus, sic agit.* Et idem in Psalm. 140. *Et adulantes nobis invicem in præsenti positi Sanctos nos vocamus & Nonnos.* Nonnus lingua Ægyptia idem sonare videtur quod Sanctus: quæ vox Ægyptia cum Latina interpretatione copulari solebat, augendæ significationis causa, vt cum dicimus Abba Pater: Abba enim Syriacum est, hoc ipsum significans quod Pater. Eadem analogia sacras virgines vel viduas, Castas & Nonnas dictas scimus. Hieronymus ad Eustochium: *Et quia maritorum expertæ dominatum, viduitatis præferunt libertatem, Castæ vocantur & Nonnæ.* Posterior ætas seniores Monachos, vel qui cum dignitate essent, vt Præpositos seu Priores monasterii, Nonnos passim appellitavit. Regula Benedict. cap. 63. *Juniores autem Priores suos Nonnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia.* Synodus Aquisgranensis can. 54. *Vt qui præponuntur, Nonni vocentur.* Cæsarius de Miraculis lib. 1. capite 7. *Hæc mihi dicta sunt a Nonno Frederico Monacho, qui tunc præsens fuit.* Et cap. 27. ejusdem libri: *Sicut mihi dicere solitus erat Nonnus Conradus senex Monachus noster.* Et idem libro 2. cap. 3.

Audi

Audi quid mihi dixerit Nonnus Cæsarius Monachus noster, quondam Abbas Prumiæ. Ubi Monachi coiere in communem vitam, inter se fratres dicti ob individuam vitæ societatem, quæ fraternitatem quodammodo induceret, & quod vnum Patrem haberent, Abbatem scilicet, qui Pater est Monachorum. Augustinus in Psalm. 75. *Nemo ergo positus in monasterio frater dicat: Recedo de monasterio,* &c. Idem in Psalm. 132. in illa verba: *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in vnum! Ista enim verba Psalterii, iste dulcis sonus, ista suavis melodia, tam in cantico quam in intellectu, etiam monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in vnum concupierunt.* Et infra: *Hi etiam insultare nobis audent, quia fratres cum vident homines, Deo gratias dicunt.* Joannes Chrysost. in epistolam ad Hebræos Homil. 25. ἐὰν γὰρ τις ἀδελφὸς ὀνομαζόμενος ᾖ φησι, ἀδελφὸν ἐνταῦθα πάντα τὸν πιστὸν ἁπλῶς, οὐ τὸν μονάζοντα. *Si quis enim*, inquit, *frater nominatur inter vos, fratrem hic dicens absolute quemvis fidelem, non Monachum.* Unde desumptus est can. *Ad mensam* 11. quæst. 3. Regula Benedict. cap. 63. *Priores juniores suos fratres nominent.* Eadem ratione Templarii & Hospitalarii Hierosolymitani dicti sunt fratres Templi & Hospitalis. Cap. *Cum & plantare.* extra *De privileg.* de quibus Nicetas in Andronico Comneno libro 1. ὀψὲ δὲ πρὸς τῶν Ἱεροσολυμιτῶν λυθεὶς, οὓς Φρερίους φασίν. *Tandem redemptus ab Hierosolymitis, quos Frerios dicunt.* De eisdem Georgius Pachymer. lib. 5. cap. 8. ἔτι δ' ἐνίοτε καὶ οὓς Φρερίους αὐτοὶ λέγουσιν ἀδελφοὺς δῆθεν. *Submittebat & quos Latini Frerios vocant, quasi diceres fratres.* Imo & qui invicem fratres dicuntur, a laicis reverentiæ gratia Patres dicuntur. Hieronymus 2. in epistol. ad Galat. cap. 4. *Cum autem Abba Pater Hebræo Syrove sermone dicatur, & Dominus noster in Evangelio præcipiat, nullum Patrem vocandum nisi Deum: nescio qua licentia in monasteriis vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquiescamus.* Et idem in Matthæum cap. 23. *Quæritur quare adversum hoc præceptum Doctorem gentium Apostolus se esse dixerit, aut quomodo vulgato sermone, maxime in Palæstinæ & Ægypti monasteriis, se invicem Patres vocent.* Tandem communiter dicti quicumque cœnobiticam vitam profiterentur, qui primum Ascetarum, Hesycastarum, & aliis

nominibus celebrati sunt: vnde Monachorum nomen instituto recentius esse dixit Augustinus in Joannem capite 97. ad finem: *In Antiochia enim primum post Ascensionem Domini appellati sunt discipuli Christiani, & xenodochia & monasteria postea sunt appellata novis nominibus: res tamen ipsæ & ante nomina sua erant, & religionis veritate firmantur, quæ etiam contra improbos defenduntur.* Et quia ipsum institutum cœpit in eremo, in Ægypti & Palæstinæ desertis Monachi nomen acceperunt a solitudine, quæ Græcis μονή. Hieronymus ad Heliodorum: *Interpretare vocabulum Monachi, hoc est tuum; quid facis in turba qui solus es?* Et idem ad Paulinum: *Si cupis esse quod diceris Monachus, id est, solus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum.* Unde libatus est can. *Si cupis* 16. quæst. 1. Et Gregorius lib. 7. epist. 53. Indictione 2. ad Secundinum Abbatem: *Vos autem qui solitariam vitam ducitis, quid aliud quam Monachos dixerim, qui fervore virtutis etiam ante aciem exire festinatis.* Et Eugenius IV. in can. *Placuit* 16. quæstione 1. *Sedeat itaque solitarius, & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit; agnoscat nomen suum: monos enim Græce, Latine est vnus; achos Græce, Latine tristis sonat.* Hujusmodi Monachorum nominis originem ludens agnoscit Rutil. Numat. Itinerar. lib. 1.

Processu pelagi jam se Capraria tollit:
Squalet lucifugis insula plena viris.
Ipsi se Monachos Graio cognomine dicunt,
Quod soli nullo vivere teste volunt.

Eodem alludit & Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua: τρόπων γὰρ εἶ τὴν μόνην, οὐ σωμάτων. *Nam vita Monachum, non locus solus facit.* Aliud Monachorum vocis etymon a Græco μόνας, id est, vnitas, quod in commune quasi vno spiritu vivant, excogitavit Augustinus in Psalm. 132. Monachis per omnia infensi hæretici, etiam ipsi nomini insultabant, subsannantes quid sibi vellet Monachorum nomen: quibus respondet vir divinus, originem nominis peti a monade, id est, vnitate, vt eis exprobret damnum vnitatis, quæ ab eis discissa est. *Sed tamen dicere consueverunt: Quid sibi vult nomen Monachorum?* Et infra: *Quare ergo & nos non appellemus Mo-*

nachos, cum dicit Psalmus: Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum! μόνος enim vnus dicitur, & non vnus quomodocumque; nam & in turba est vnus, sed vna cum multis dici potest, μόνος non potest, id est, solus: μόνος enim vnus solus est. Qui ergo sic viuunt in vnum, vt vnum hominem faciant, vt sit illis vere, quomodo scriptum est, vna anima & vnum cor, multa corpora, sed non multæ animæ, multa corpora, sed non multa corda, recte dicitur μόνος, id est, vnus solus. Et paulo post: *Merito insultant nomini vnitatis, qui se ab vnitate praeciderunt; merito illis displicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in vnum cum fratribus: sed sequentes Donatum, Christum dimiserunt.* Ob singularem vitæ sanctitatem Monachos etiam servos Dei dictos notandum est. Augustinus in Psalm. 147. *Vident plerumque, vt fit, transire servos Dei: cognoscunt ipso habitu vel vestis, vel capitis.* Idem epist. 5. appendic. 2. *Et nos vtrum implenda sit extorta iuratio servorum Dei, munere sanctitatis præeminentium Monachorum, ad perfectionem mandatorum Christi, rerum etiam suarum distributione currentium, quasi disceptari ponimus quæstionem.* Et passim apud Gregorium & alios servi Dei & ancillæ Dei accipiuntur pro Monachis & Sanctimonialibus. Inter Monachos & Canonicos regulares hoc discrimen, quod Monachi Sancti dicti sunt ob præeminentiam sanctitatis; Canonici regulares simpliciter religiosi, quod eorum regula esset laxior, vt jam observare licuit ex d. can. *Præsens.* quem laudavit Innocentius III. libro 2. epist. 11. Licet vero sanctum & venerabile sit nomen Monachorum, posteriores, veluti Fratres Prædicatores & Minores, & qui secuti sunt, rejecto Monachorum nomine, se religiosos dici maluere.





CAPUT II.

Sacræ Virgines ab Apostolis. Earum variæ appellationes. Nonnæ, Ascetriæ, Castimoniales, Sanctimoniales, Velatæ, Dominæ, Sorores, Ancillæ Dei. Virgo Deipara unde Alma dicta.

IDEM virtutis studium commendatur in feminis, ac in viris: par enim merces utrisque proponitur in cælo. Ambrosius in Psalm. 1. *Paria igitur studia virtutis, quia par prærogativa est creaturæ: quid autem sexum discutias, ubi non corporis a te, sed animæ certamina postulantur, quæ sexum non habet? Non ergo illic discernas honorem, mercede dividas, ubi non discernitur sexus.* Quin immo in hoc sanctiori vitæ asceticæ proposito, eo major laude sexus muliebris, quo tempore prior fuit, & quasi exemplo fuit. Temporibus Apostolorum nequaquam auditum est nomen Monachorum: ab ipsis tamen Apostolis sacrarum virginum & viduarum collegia in Ecclesia esse cœpere. Ignatius discipulus Apostolorum epist. ad Tarsenses: τὰς ἐν παρθενίᾳ τιμᾶτε ὡς ἱερείας Χριστοῦ. *Eas quæ sunt in virginitate, honorate ut sacras Christi.* Idem epist. ad Philippenses: ἀσπάζομαι τὸ σύστημα τῶν παρθένων. *Saluto congregationem virginum.* Cyprianus qui claruit sub Decio epist. 52. *Floret Ecclesia tot virginibus coronata, & castitas ac pudicitia tenorem gloriæ suæ servat.* Idem epist. 62. *Et caste sine ulla fabula perseverent, ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectent.* Athanasius in vita Antonii: τὴν δὲ ἀδελφὴν παραθέμενος γνωρίμοις καὶ πιστοῖς παρθένοις, δοὺς τε αὐτὴν εἰς παρθενῶνα ἀνατρέφεσθαι. *Sororem commendans notis & fidelibus virginibus, dans ipsi ut in parthenone enutriretur.* Arnobius in Psalm. 105. *Ille Monachus hoc egit, ille Clericus hoc, illa Sanctimonialis hoc.* Et Optatus Milevitanus lib. 2. *Inde revertentes Urbanus Formensis, & Felix Idicrensis invenerunt matres, quas de Castimonialibus fecerunt mulieres.* Etiam frequentia virginum monasteria fuere in eremo Ægypti. Joannes Chrysostomus in

Matthæum Homil. 8. καὶ νῦν ἐλθὼν εἰς τὴν ἔρημον τῆς Αἰγύπτου παραδείσου παντὸς βελτίω τὴν ἔρημον ταύτην ὄψει γεγενημένην, καὶ χοροὺς ἀγγέλων μυρίους ἐν ἀνθρωπίνῳ σχήματι, καὶ δήμους μαρτύρων, καὶ συλλόγους παρθένων. *Denique si quis nunc ad Ægypti veniat solitudines, paradiso quovis omnem illam videbit eremum digniorem, & innumerabiles angelorum choros in corporibus fulgere mortalibus, & populos Martyrum, & choros virginum.* Et idem in eundem Homil. 56. οὐκ ἄνδρες δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ γυναῖκες ταύτην ἀσκοῦσι τὴν φιλοσοφίαν, τὴν ἀσθένειαν τῆς φύσεως τῇ περιουσίᾳ τῆς προθυμίας νικῶσαι. *Nec viri solum, sed mulieres etiam hoc genere philosophandi exercentur, & naturæ infirmitatem magnitudine animi superant.* In Tabennensi solitudine quæ est in Thebaide, monasterium 300. virginum congregavit Elias Abbas, eisque cum laude præfuit per 40. annos. Monasterium virorum 1400. & aliud 400. medio Nilo flumine sejuncta posuit Pachomius Abbas, ne viris liber esset accessus ad monasterium virginum. Palladius Historiæ Lausiacæ cap. 34. & 38. Denique eadem ætate in Ægypto & in Oriente & in Africa passim congregata sunt infinita sacrarum virginum examina. In Oxyrincho civitate Ægypti viginti millia sacrarum virginum, & decem millia Monachorum fuisse narrat Rufinus de vit. Patrum libro 1. cap. 5. *Requirentes enim a sancto Episcopo vici illius, viginti millia virginum, & decem millia Monachorum inibi haberi comperimus.* Quot in Ægypto, in Oriente & Africa quotannis consecrarentur virgines, non sine stupore refert Ambrosius de Virginibus lib. 3. *Discite quantas Alexandrina totiusque Orientis & Africana Ecclesia quotannis sacrare consueverint.* Variis de partibus Italiæ, de Mauritania ipsa regione Africæ sacrandas Virgines ad se venire testatur idem Ambrosius de Virginibus lib. 1. *Denique de Placentino sacrandæ virgines veniunt, de Bononiensi veniunt, de Mauritania veniunt, ut hic velentur.* Vix adhuc Romæ nobiles feminæ Monasticen noverant, & nomen quasi vile ob novitatem spernebant. Hieronymus ad Principiam: *Nulla eo tempore nobiliorum feminarum noverat Romæ propositum Monachorum, nec audebat propter rei novitatem ignominiosum, ut tunc putabatur, & vile in populis nomen assumere.* Sed brevi Romæ visa sunt millia sacrarum virgi-

num. Tria millia ancillarum Dei, quas Monastrias vocant, in vrbe suo sumptu alta in summa caritate annonæ, imminente obsidio Longobardorum, testatur Gregorius libro 6. epist. 23. Indictione 15. & ipsius vitæ scriptor Joannes Diaconus lib. 2. cap. 27. Inter tot greges sacrarum virginum notatur etiam melioris ætatis probrum, quod patresfamilias tristioris formæ puellas vel aliqua parte corporis debiles Deo dicarent, magis domus levandæ, quam religionis gratia. Hieronymus ad Demetriadem: *Solent miseri parentes & non plenæ fidei Christiani deformes & aliquo membro debiles filias, quia dignos generos non invenirent, virginitati tradere, tantum vt dicitur vitrum quanti margaritum. Certe qui religiosiores sibi videntur, parvo sumptu, & qui vix ad alimenta sufficiat, virginibus dato, omnem censum in vtroque sexu sæcularibus tradunt.* Idem vitium gentilium ridet Persius Satyr. 5.

Cum sistro lusca Sacerdos.

In tantum Ascetices studio insaniere & nonnullæ feminæ, vt sumpto virili habitu Monachorum cœtibus se ingererent: qua de causa Synodus Gangrensis can. 13. vetuit ne qua mulier vestem mutet, & virilem assumat, διὰ ἄσκησιν, *propter exercitationem.* Can. *Si qua mulier* 30. distinct. Sacras virgines eodem cultu & honore habuit Ecclesia ac Monachos: imo & virilem virtutem in infirmiori sexu & corpusculo magis suspexit. Hinc sicut Monachi Sancti & Nonni dicti, virgines Castas & Nonnas vocari placuit Hieronymo ad Eustochium: *Et quia maritorum expertæ dominatum, viduitatis præferunt libertatem, Castæ vocantur & Nonnæ.* Bonifacius Moguntinus epist. 19. *Si reus inventus fuerit, vt cum Nonna velata & consecrata Domino concubuisset, ab omni gradu Dei sacerdotii prohibetur.* Capitulare Caroli Magni libro 5. capite 2. *Similiter & Nonnæ velatæ eadem pœnitentia contineantur.* Bernardus epist. 114. *Ut quid enim Nonna & Sanctimonialis appellata es?* Gallis *Nonnains.* Sicut & Monachi dicti Ascetæ propter exercitationem, quam Græci ἄσκησιν; Moniales etiam dictæ sunt Ascetriæ. L. *Omnia.* L. *Raptores.* C. *De Episcopis & Cleric.* Novell. Justin. 79. 123. cap. 27. & 43. qua analogia & Anna Prophetissa dicitur ἀσκήτρια Cyrillo Hierosolymitano catechef. 10. Passim eædem dictæ Castimoniales.

Præter Optatum loco modo laudato, Auguſtinus in Pſalm. 75. *Non nubere Caſtimoniali præcipitur, & nuptæ non præcipitur.* Et paulo poſt: *Neſcio quæ Caſtimonialis nubere voluit, quid voluit? aliquid mali voluit. Mali plane. Quare? Quia jam voverat Domino Deo ſuo.* Et rurſus: *Virgo eſt Caſtimonialis jam dicata Deo*, &c. Eædem & Sanctimoniales paſſim dicuntur. L. 53. C. *De raptorib. virgin.* §. *Item.* Lex Julia Inſtit. de public. judic. Auguſtinus in Pſalm. 99. *Invenis Sanctimoniales indiſciplinatas, numquid ideo ſanctimonium reprehendendum eſt?* Idem de verbis Domini ſerm. 23. *Non mihi videtur iſta parabola vel ſimilitudo ad eas ſolas pertinere propria & excellentiori ſanctitate virgines, quæ in Eccleſia nominantur, quas etiam vſitatiore vocabulo Sanctimoniales appellare conſueuimus: quamvis & ſi illas ſolas intelligeremus, quæ Sanctimoniales vocantur, numquid decem ſunt? abſit vt tanta virginum multitudo ad tam exiguum numerum revocetur.* Idem libro 20. contra Fauſtum cap. 21. *Sicut autem non ideo contemnenda vel deteſtanda eſt virginitas Sanctimonialium, quia & Veſtales virgines fuerunt.* Ut varia nomina Monialium perſequar, ſicut Monachi ſervi Dei dicti ſunt, eædem dictæ ſunt Ancillæ Dei. Gregorius lib. 2. epiſt. 58. Indict. 11. *In vico in quo Lampadius monaſterium ancillarum Dei conſtituit.* Et idem lib. 6. epiſt. 23. Indictione 15. *De medietate vero ancillis Dei, quas vos Græca lingua Monaſticas dicitis, lectiſternia emere diſpoſui.* De quo Joannes Diaconus ejus vitæ ſcriptor lib. 2. cap. 27. *Tribus milibus ancillis Dei, quas Græci Monaſtrias vocant, quindecim libras auri pro lectiſterniis dedit.* Et Capitulare modo laudatum: *Statuimus vt poſt hanc Synodum quiſquis ſervorum Dei vel ancillarum Chriſti in crimen fornicationis lapſus fuerit, in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua.* Eædem dicuntur Sorores. Tertullianus 1. ad vxorem: *Adhibe ſororum noſtrarum exempla, quarum nomina penes Dominum, quæ nulla formæ vel ætatis occaſione preſſæ maritis ſanctitatem anteponunt: malunt enim Deo nubere.* Caſſianus collat. 18. cap. 14. *Da*, inquit, *mihi aliquam de ſororibus, quam repanſem, id eſt, reficiam.* Gregorius Turonenſis libro 6. capite 29. de Diſciola vna e Monialibus monaſterii B. Radegundis: *Cum ægrotare cœpiſſet, & ei aſſidue ſorores aliæ deſervirent, venit dies ille quo migraret a corpore, & circa horam no-*

nam ait sororibus. Hæc audientes sorores ejus recesserunt parumper a cellula. Eædem Dominæ dici solent, quasi sponsæ Domini. Rodericus Toletanus libro 6. cap. 4. *Mortuus autem sepultus est* (Petrus Rex Arragonum) *in Sexena, quam mater sua Regina Sancia construxerat, Hospitali, & instituerat ibi collegium dominarum.* Easdem etiam Velatas dici placuit, vt in Capitulari modo laudato Nonnæ velatæ. Velatas simpliciter dixit Rogerius Hoveden. in Henrico II. ad ann. 1188. *Eodem anno Magister Joannes Gilbertus de Simplingham obiit in Ecclesia sua de Simplingham, inter velatas sepultus.* Nec omittendum in calce hujus capitis virginitati dicati, Virginem Deiparam Almam dici, quod lingua Hebraica sonat absconditam vel secretam, vel vsu sermonis sanctam. Hieronymus in Esaiæ cap. 7. in hæc verba: *Ecce Virgo concipiet. Dicitur enim & adolescentula, & abscondita, & ἀπόκρυφος. Ergo alma non solum puella, vel virgo, sed etiam ἐπιτάσει virgo abscondita dicitur & secreta, quæ numquam virorum patuerit aspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit. Lingua quoque Punica, quæ de Hebræorum fontibus manasse dicitur, proprie virgo Alma appellatur; & vt risum præbeamus Judæis, nostro quoque sermone Alma sancta dicitur.*



CAPUT III.

Sacrarum virginum varia genera. Reclusæ, Canonicæ, Canonicæ sæculares, Virgines privatæ, Viduæ velatæ.

SACRARUM virginum varia fuere genera: aliæ in congregatione, vno in conclavi vixere, & Abbatissæ paruere: aliæ Anachoretarum propositi æmulæ, solitudinem petiere. de quibus in lege 1. Cod. Th. *De bon. Cleric. & Monach. Aut Monachus, aut mulier quæ vitæ solitariæ dedita est.* Cujusdam Sanctimonialis Erundinis nomine, quæ in Prænestinis montibus vitam eremiticam duxerat, meminit Gregorius Homil. 40. *Hæc illius Erundinis discipula fuerat, quæ magnis virtutibus pollens, super Prænestinos montes vitam eremiticam duxisse ferebatur.* Aliæ fuere quæ religionis districtioris causa


causa in cellulam se inclusere, vnde Reclusæ dictæ: de quibus Gregorius Turonensis lib. 6. cap. 23. *Hæc cum puella vidisset, compuncta est corde, & post dies paucos rogavit Abbatissam, vt sibi in qua includeretur cellulam præpararet. At illa velociter perfecta ait: Ecce, inquit, cellulam, quid nunc desideras? Puella vero petiit vt recludi permitteretur: quod cum ei præstitum fuisset, congregatis virginibus, cum magno psallentio, accensis lampadibus, tenente sibi beata Radegunde manum, ad locum vsque perducitur, & sic vale faciens omnibus & osculans singulas quasque reclusa est, obstructo aditu per quem ingressa fuerat: ibi nunc orationi ac lectioni vacat.* Ekkeard. Junior de casibus monaster. Sancti Galli cap. 9. *Cralo Abbas*, inquit, *etiam ipsa die virginem Rachildam Notkeri Balbuli neptim apud Sanctum Magnum circa Wiboradæ clausulam includere ipse condixerat. Nam & antea quidem Rachilda post Wiboradæ passionem jugissima primo ad Deum assumpta, Perchtera quædam vidua sancta, cum & ipsa includi apud nos optaßet, & clausula ejus sibi oblata, pene annum in probatione laudabili appareret, vulgi visitationes crebras & inanes devitans, in cella Salomonis circa parietem tituli sancti Georgii includi rogaverat.* Anselmus lib. 3. epist. 15. *Mandate hoc Monachis & Sanctimonialibus per Normanniam inclusis, & Claustralibus.* Eadmerus Histor. libro 5. *Ad Sanctum Hireneum quadam vice ascendens, diversi ad oratorium beatæ Mariæ Magdalenæ, duabus ancillis Dei juxta idem oratorium pro Deo reclusis locuturus.* De eisdem Cæsarius de Miracul. lib. 4. capite 39. *Quæ Christo quasi de victoria gratias agens, cellam sibi fieri fecit, in qua ab Episcopo velata & reclusa ipsi soli sola satis devote per dies aliquot servivit.* Servo & ancillæ Dei Herveo & Evæ inclusis scripsit Goffredus Vindocin. lib. 4. epistola 48. Aliæ a Monialibus sunt Canonicæ regulares, quæ regularem vivendi formam & virginitatem profitentur. Canonicas & Ascetrias conjunxit Justin. novell. 59. cap. 2. & seqq. Extat Basilii epistola 303. quæ scripta est Theodoræ κανονικῇ. Id genus Canonicæ jam ab ipsis temporibus Caroli Magni fuere in Gallia: his regulam dedit Synodus Cabillonensis II. can. 53. *Libuit huic sacro conventui quasdam admonitiunculas breviter eis Sanctimonialibus scribere, quæ se Canonicas vocant.* Earumdem mentio habetur in

T

addit. 2. Ludovici Pii ad Capitula Caroli Magni can. 16. in quo vetantur Canonici & Monachi ne inconsulto Episcopo adeant monasteria Sanctimonialium, tam Monacharum quam Canonicarum. Quibus locis Monachæ videntur dictæ, quæ regulam sancti Benedicti profiterentur; Canonicæ, quæ Augustini. Quibus nominatim cavit Synodus Rhemensis habita anno Christi 824. Præside Eugenio II. vt Sanctimoniales & mulieres quæ Canonicæ vocantur, juxta Benedicti & Augustini regulam vitam in melius emendent. Est & aliud genus Canonicarum, quas Canonicas sæculares vocant, quæ nec propriis renunciant, nec professionem faciunt regularem, sed vivunt vt Canonici sæculares: quarum institutum non est approbatum. Cap. *Indemnitatibus. §. Pen. de elect.* in 6. Clement. *Attendentes. de statu Monachor.* Hujus Ordinis auctor vel certe propagator extitit beatus Meinulfus, qui claruit temporibus Ludovici Pii, vt legitur in vita ipsius Meinulfi apud Surium 5. Octobris: *Ea autem tempestate Ludovicus filius Caroli Magni imperii habenas moderabatur, & in Concilio provinciali apud Aquisgranum anno tertio imperii ejus habito, Ordo Canonicarum quas sæculares vocant, tum recens constitutus erat.* Hujus Ordinis nimis irregularis quædam sunt domus in finibus Hannoniæ & Brabantiæ, & in quibusdam provinciis Germaniæ, in gratiam nobilium puellarum institutæ. Jacob. a Vitriaco Histor. Occidental. capite 31. *In partibus Hannoniæ & Brabantiæ, & in quibusdam Teutonicorum & Alemannorum provinciis, quædam sunt mulieres quas Canonicas sæculares seu Domicellas appellant: non enim Moniales nominari volunt, sicut Canonici sæculares Monachi non dicuntur. Hæ siquidem adeo personas accipiunt, quod nonnisi filias militum & nobilium in suo collegio volunt recipere,* &c. Aliæ fuerunt & Virgines, quæ velo sumpto ab Episcopo virginitatem domi colebant. Concilium Toletanum IV. canone 8. *De viduis & puellis quæ habitum religionis in domibus propriis tam a parentibus quam per se mutaverunt,* &c. Harum in censu fuere Marcellina soror Ambrosii, quæ Romæ a Liberio Papa velata, privatos intra lares degebat: necnon Eustochium, Principia, Demetrias, & aliæ quæ Romæ maxima sanctitatis laude claruere; & proximo sæculo

tres sorores Gordiani Gregorii patris, Tarsilla, Gordiana, & Æmiliana, quarum meminit ipse Gregorius Homilia 38. *Tres pater meus sorores habuit, quæ cunctæ tres sacræ virgines fuerunt, quarum una Tarsilla, alia Gordiana, alia Æmiliana dicebatur. Uno omnes ardore conversæ, uno eodemque tempore sacratæ, sub districtione regulari degentes, in domo propria socialem vitam ducebant.* Ejusdem instituti sequaces fuere quamplures clariores feminæ in Oriente, de quibus Gregorius Nazianzenus Carm. 47. ad Hellenium. Hujusmodi devotis Virginibus suus erat locus in Ecclesia positus a muliebri plebe, cancellis distinctus. Ambrosius ad Virginem lapsam capite 6. *Nonne vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti, ad quem religiosæ matronæ & nobiles certatim currebant tua oscula petentes, quæ sanctiores & meliores te erant.* Sed quia hujusmodi Virginum lapsus sæpius contingebat ex laicorum consuetudine, id ab Ecclesia sublatum est. Concil. Carthaginens. I. can. 2. quo vetitum ne sanctimoniales feminæ habitent cum laicis, ne detur occasio peccandi, aut malæ suspicioni locus fiat. Inter Sanctimoniales erant & Viduæ, quæ veste mutata & velo sumpto ab Episcopo castitatem vovebant. Concilium Toletanum X. can. 4. Can. *Vidua* 20. quæst. 1. can. *Vidua*. can. *Viduitatis* 27. quæst. 1. Gregorius Turonensis libro 1. capite 13. *Residentibus tamen Episcopis die Dominico, mulier quædam velata atque devota audenter ad eos ingreditur.* Et Regino 2. Chronic. *Eodem anno Berengarius quondam Italiæ Rex exul moritur, & in Babenberg regio more sepelitur, cujus vidua Willa, antequam sepeliretur, sibi velum sanctimoniale assumpsit.*





CAPUT IV.

Pseudovirgines & Pseudomonachi hæreticorum.

ETIAM ipsi hæretici, taceo enim de ethnicis, suas habuere Virgines, necnon quidam eorum Monachos, vt adumbratæ religionis imagine facilius stultos & imperitos deciperent. Suas Virgines & Continentes habuit Marcion. Tertullianus de Præscriptionibus adversus hæretic. cap. 40. *Habet & diabolus & Marcion suas Virgines & Continentes.* Suos Monachos jactarunt Novatiani, Constantinopoli monasterium juxta regulam degentium in solitudine instituit Paulus Novatianorum Episcopus: de quo Socrates libro 7. capite 17. καὶ συστησάμενος ἀνδρῶν σπουδαίων μοναστήριον, οὐκ ἀλλοιότερον τῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ μοναχῶν διετέλει. *Monasterium autem ex viris virtutis studiosis instituit, quod a monasteriis Monachorum in solitud ne degentium discrepare non videbatur.* Suos Monachos habuere Massaliani, qui dicebantur σπουδαῖοι. Epiphanius Hæres. 80. Sanctimonialium greges habuere & Donatistæ, quarum commessationes & fœda consortia cum Circumcellionibus detestatur Augustinus contra Parmenianum libro 2. cap. 8. *An non cum mœchis particulam suam ponunt, qui greges ebrios Sanctimonialium suarum cum gregibus ebriis Circumcellionum die noctuque permixtos vagari sinunt.* Circumcelliones erant falsi Monachi Donatistarum, sic dicti quod circum cellas vagarentur, latrociniis & homicidiis in Catholicos furentes: de quibus Augustinus in Psalm. 132. *Quando vos recte hæreticis de Circumcellionibus insultare cœperitis, vt erubescendo salventur, illi vobis insultant de Monachis. Sed tamen dicere consueverunt: Quid sibi vult nomen Monachorum? Quanto melius dicimus nos: Quid sibi vult nomen Circellionum? Forte Circumcelliones vocantur, non Circelliones: nam Circumcelliones dicti sunt, qui circum cellas vagantur; solent enim ire hac atque illac, nusquam habentes sedes, & facere quæ nostis, & quæ illi norunt, velint nolint.* Sanctimonialium nomen quam impudicitiæ labe fedarint hujusmodi mulieres, testatum fecere quædam ex

his, quæ falsi martyrii insano studio e saxis se præcipites dantes, fœda morte tumentem vterum prodiderunt. Idem contra secundam epistolam Gaudentii lib. 2. cap. 27. *Unde se etiam quædam Sanctimoniales vestræ per saxa demiserunt, & dissilientibus vteris homicidiorum scelere, & stuprorum scelera prodiderunt.* Sanctimoniales Donatistarum ab Episcopis ipsis, qui eas consecraverant, stupratas & matres factas refert Optatus Milevitanus lib. 2. *Inde revertentes Urbanus Formensis & Felix Idicrensis, invenerunt matres quas de Castimonialibus fecerunt mulieres.* Tot argumentis Catholicas matronas istis Virginibus longe potiores affirmat Augustinus libro de bono Viduitatis cap. 15. *Præcipue igitur doctrina sana bonitatem propositi & ornet & muniat: inde est quippe quod Catholicæ feminæ etiam sæpius nuptæ, non solum univiris viduis, sed & virginibus hæreticorum justo judicio præferuntur.* Suas Virgines habuerunt & Manichæi: Eusebiæ enim Sanctimonialis, secta Manichææ, meminit idem de Hæresibus ad Quod vult Deum. *Tunc Eusebiam quandam Manichæam, quasi Sanctimonialem, id ipsum propter hoc ipsum passam, vix compulit confiteri.* Denique passim hæretici ne quid in eis desideraretur de specie religionis, suas habuere Sanctimoniales, sed, quod omnium hæresum proprium vitium, valde suspectæ, imo labefactatæ pudicitiæ: quam ob causam hæreticorum Virgines valde insectatur Hieronymus in Zachariam cap. 8. *Videmus hæreticorum Virgines, philosophorum vigorem, Judæorum in escarum varietate observantiam: & tamen dicitur juxta Aggeum, quod comedant, & non satientur.* Ecclesiæ Catholicæ propria laus est, quod virginitatis votum apud Virgines nostras feliciter impletur: & hoc esse optimum argumentum rectitudinis religionis merito tradidit Athanasius Apolog. ad Constant. Imperatorem: τοῦτο μέγα τεκμήριον ὅτι τῆς παρ' ἡμῖν εἶναι τὴν ὄντως καὶ ἀληθῆ θεοσέβειαν. *Atque in eo magnum documentum est, plane apud nos veram esse religionem.*





CAPUT V.

Conversi, Fratres laici: eorum origo & munia. Oblati seu Donati: eorum institutum approbatum ab Urbano II.

PRIORIBUS sæculis vna & compar fuit conditio Monachorum: vnde Fratres inter se dicti, quod socii essent officii & ministerii. Inaudita erat distinctio inter Clericos & laicos, quia omnes erant laici & extra Clerum, donec ad clericatum admissi sunt Constitutione Syricii. Can. *Monachos* 16. quæst. 1. de quo proxime dicemus. Posterioribus sæculis, vbi monasteria adaucta sunt prædiis & rebus temporalibus, tunc Monachi cœperunt esse alii Clerici, ad quos spectabat tantum cura sacri officii: alii laici, qui Monachis ministrabant, & curabant res monasterii, & dicti sunt Conversi. Cap. *In nostra.* extr. *De sepultur.* quia assumebantur e laicis, qui studio melioris vitæ se offerebant monasterio: ex quo hujusmodi rusticorum Monachorum proprium factum est nomen Conversorum, quod erat ante commune Monachorum. Concilium Aurelianense I. can. 21. *Monachus si in monasterio conversus.* Concilium Turonense II. can. 15. *Si in monasterio conversi sunt, aut converti voluerint.* Exinde iidem dicti sunt Fratres, vel Fratres laici, vel Conversi. Bernardus in vita Malachiæ: *Ipse vero juvenis primum Conversus laicus Suriensis monasterii testimonium habet ab omnibus, quod sancte conversetur inter fratres secundum Ordinem Cisterciensem.* Et auctor vitæ D. Gosuini libro 2. capite 4. *Quidam autem frater Monachus quidem, sed laicus, cum a suo aberrasset, in lectulo composuit.* Hi eo discrepantes erant a Monachis, quod Monachi erant in claustro, a quo Claustrales dicti: Conversi sedes suas & cellas habebant extra claustrum, nec licebat eis pedem inferre in claustrum Monachorum, nisi certis diebus. Idem auctor vitæ D. Gosuini libro 3. capite 17. *Prior in mandato diebus festis Capitulum Conversorum te-*

nebat, quia nec ipsis nisi in præcipuis diebus claustrum intrare licebat. Ex quo loco illud etiam singulare discimus, quod correctio Conversorum fieret ab Abbate in Capitulo proprio, & distincto a Capitulo quod fiebat pro correctione Monachorum. Conversi quoque non habebant locum in choro Monachorum, sed habebant suum chorum. Cæsarius de Miracul. libro 1. capite 35. *Et chorum more Abbatis circumiens, Monachis benedixit, sicque inter Abbatis & Prioris stallum exiens, quasi ad Conversorum chorum properavit.* Monachi erant rasi, Conversi barbati. Trithemius in Chronic. Hirsaugiensi in Willelmo Abbate ad annum 1069. *Supra hunc Monachorum numerum habebat & alios fratres barbatos complures, quos usitato nos vocabulo Conversos appellamus.* Monachi sacris tantum dabant operam, Conversi erant præpositi curtibus & grangiis, id est, prædiis rusticis monasterii. Cæsarius lib. 1. cap. 3. *Noverunt multi Henricum Conversum de claustro Hemmenrode Magistrum in grangia quæ vocatur Hart.* Et infra: *Nosti fratrem qui infra hunc mensem de grangia vicina deceptus a muliere recessit; neminem inter Conversos æstimabam eo meliorem.* Idem lib. 5. cap. 5. *Erat tunc temporis illic Conversus quidam, nomine Henricus, Magister cujusdam grangiæ quæ Hart vocatur.* Idem lib. 4. cap. 62. *Habebat autem unum Conversum in administratione exteriorum ita scioculum & circumspectum, ita sollicitum & perfectum, ut omnia per manus ejus transirent, & curtibus Ecclesiæ quæ necessaria erant, tam in aratris quam in pecoribus, & expensis ipse quasi solus universa provideret. Suasum est ei, ut ex diversis domibus Ordinis Cisterciensis Conversos fideles atque providos accommodaret, qui & curtibus præessent, & annuos reditus sua industria reformarent.* Jacobus a Vitriaco Histor. Occident. lib. 2. cap. 24. *Fratres eorum in grangiis ex mansionibus suis extra Abbatiam vinum non bibunt.* Et Trithemius loco modo laudato: *Conversos appellamus, qui laboribus manuum insistentes, temporalium curam secundum mandata seniorum agerent, & Monachis contemplationi & orationi semper deditis corporum necessaria providerent.* Conversorum qui impositi erant molendino monasterii, meminit Bernardus epist. 74. *De molendino illo dico, quod Conversi custodientes feminarum pati coguntur frequentiam.* Humilitatis studio sæpius

etiam Clerici seu litterati & nobiliores postulabant se recipi in Conversos, & semel recepti non poterant apud Cistercienses demutari in Monachos. Cæsarius lib. 1. cap. 37. *Adhuc vivit vir bonus & religiosus, prius inter Monachos novitius, postea ob humilitatem factus est Conversus.* Et idem capite 39. ejusdem libri: *Tanta est virtus humilitatis, ut ejus amore sæpe ad Ordinem venientes Clerici laicos se simulaverint. Hoc quia sæpius in Ordine contigit, itaut de Conversis fierent Monachi, ante hos quatuor annos definitum est in Capitulo generali, ut tali modo Conversi manerent inter Conversos. Eodem anno quidam veniens ut puto Diaconus, laicum se simulans in Conversum susceptus est.* Et Bertoldus Constantiensis in Chronic. ad annum 1083. *In his itaque monasteriis nec ipsa exteriora officia per sæculares, sed per religiosos fratres administrantur: & quanto nobiliores erant in sæculo, tanto se contemptibilioribus officiis occupari desiderant, ut qui quondam erant Comites & Marchiones in sæculo, nunc in coquina & pistrino fratribus servire, & porcos eorum in campo pascere, pro summis computent deliciis.* Conversi seu Fratres laici, qui erant positi in officio, puta curatione rei rusticæ, vel in ministerio, puta coquinæ, pistrini, dicebantur Fratres officiales vel ministrantes. Auctor vitæ D. Gosuini lib. 1. cap. 7. *Officiales loci ipsius fratres Duacum adire frequens necessitas faciebat.* Et idem cap. 8. ejusdem libri: *Post horum notitiam quos Ministeriales diximus, Claustralium quoque videre contubernia, mores agnoscere, verbis attendere concupivit.* Hujusmodi Conversorum usum in Germaniæ cœnobiis instituisse, vel destitutum instaurasse Willelmum Abbatem Hirsaugiensem narrat Trithemius loco modo non semel laudato: *Ferunt denique hunc reverendissimum Patrem Willhelmum Conversorum hujuscemodi usum in Germaniæ cœnobiis primum vel instituisse, vel potius abolitum renovasse, quem solum in primæva Monachorum conversatione olim novimus celebrem.* Crescente in dies zelo religionis velut Conversorum adjuvæ & Vicarii accesserunt servi quidam Monachorum, qui Oblati & Donati communiter dicti sunt, quia se & sua offerunt monasterio, & humiliter inserviunt Monachis, seduli æmulatores Christi, qui non venit ministrari, sed ministrare. Hoc laicorum monasteriis deservientium genus maxime in Germania

mania frequens & celebre fuisse, & ab Urbano II. approbatum, testatur Bertoldus Constantiensis Presbyter, qui res Urbani II. diligentius persecutus in Chronic. ad ann. 1091. *His*, inquit, *temporibus in regno Teutonicorum communis vita multis in locis floruit, non solum in Clericis & Monachis religiosissime commorantibus, verum etiam in laicis se suaque ad eandem communem vitam devotissime offerentibus: qui etsi habitu nec Clerici, nec Monachi viderentur; nequaquam tamen eis dispares meritis fuisse creduntur: se enim servos eorumdem pro Domino fecerunt, imitantes eum qui non venit ministrari, sed ministrare, qui & suos sectatores ad majoritatem per servitii exhibitionem docuit pervenire. Nempe ipsi abrenunciantes sæculo, se & sua ad congregationes tam Clericorum quam Monachorum regulariter viventium devotissime contulerunt, ut sub eorum obedientia communiter vivere, & eis servire mererentur. Quapropter invidia diaboli contra eorumdem fratrum probatissimam conversationem, quosdam æmulos incitavit, qui eorum vitam malevolo dente corroderent, quamvis ipsos ad formam primitivæ Ecclesiæ communiter vivere viderent. Unde Dominus Papa Urbanus illorum conversationem ab ipsis Apostolis plantatam, sed ab eorum successoribus latissime propagatam, decreti sui Apostolica auctoritate firmatam, ipsumque decretum Prælatis eorumdem fratrum his verbis denunciare curavit. Quosdam, inquit, accepimus morem vestrorum cœnobiorum corrodentes, quo laicos sæculo renunciantes, & se suaque ad communem vitam transferentes, regendos obedientia suscipitis. Nos autem eandem conversationem & consuetudinem, sicut oculis nostris inspeximus laudabilem, & eo pro perpetua conversatione dignissimam, quo in primitivæ Ecclesiæ formam impressa est, judicantes approbamus, sanctam & Catholicam nominamus, & per præsentes litteras Apostolica auctoritate confirmamus.* Inter hujusmodi servos cœnobiorum Germaniæ non modo viri admissi sunt, sed etiam feminæ nuptæ vel innuptæ, quæ sub Presbyteri obedientia monasteriis magna cum religione servierunt. Testatur Bertoldus loco proxime laudato: *Non solum autem virorum & feminarum innumerabilis multitudo his temporibus se ad hujusmodi vitam contulerunt, ut sub obedientia Clericorum sive Monachorum communiter viverent, eisque more ancillarum quotidiani servitii pensum devotissime persolverent. In ipsis*

quoque villis filiæ rusticorum innumeræ conjugio & sæculo abrenunciare, & sub alicujus Sacerdotis obedientia vivere studuerunt: sed etiam ipsæ conjugatæ nihilominus religiose vivere, & religiosis cum summa devotione non cessaverunt obedire. Hujusmodi autem studium in Alemannia potissimum vsquequaque decenter effloruit. Hujusmodi Oblati, qui se offerunt Ordini, mutata veste sæculari gaudent privilegiis Ordinis. Cap. *In nostra. de sepultur.* cap. *Ut privilegia. de privileg.* Sed si non mutent vestem, non vtuntur præscriptione fori, nec aliis privilegiis Ordinis. Capell. Tolos. quæst. 8. Chopin. Monastic. libro 1. tit. 3. num. 22.



CAPUT VI.

Conjugati Conversi.

INTER Conversos numerantur & conjugati. Si religionis causa discedant a toro conjugali, & se convertant ad religionem, nondum consummato matrimonio, alter conjugum, invito altero, potest Monasticen profiteri, nec alter prohibetur in sæculo remanere, & ad alias nuptias transire. L. *Deo nobis.* Cod. *De Episc. & Cleric.* Can. *Decreta* 27. quæst. 2. capite 2. & 7. *De Convers. conjugat.* Consummato matrimonio necesse est vt vterque monasterium ingrediatur, vel vno monasticam vitam eligente, alter remanens in sæculo, in conspectu Ecclesiæ continentiam voveat, modo ejus ætatis sit, vt sine mala suspicione in sæculo remanere possit. Cap. 4. cap. *Uxoratus.* cap. *Significavit* eodem tit. Et hic est casus quo matrimonium solvitur consensu vtriusque conjugis religionis gratia. Nicolaus I. epistola ad Lotharium quæ extat apud Reginonem 2. Chronic. *Nam licet sit scriptum: Quos Deus conjunxit, homo non separet; Deus tamen, & non homo separat, quando divini amoris intuitu, ex consensu vtriusque conjugis, matrimonia dissolvuntur.* Si vir vel vxor religionis causa monasterium ingrediatur, licet alteri dotem vel donata propter nuptias recipere, ac si morte solutum esset

matrimonium. L. *Sancimus.* §. vltim. L. *Deo nobis.* Cod. *De Episc. & Cleric.* Novell. Justinian. 123. cap. 40.

CAPUT VII.

Confratres Monachorum. Jus fraternitatis.

INTER Conversos seu quasi Monachos, mihi locandi videntur & laici, qui jus fraternitatis & participii beneficiorum, id est, precum, suscepere in monasterio: moris enim antiqui fuit, vt benefactores monasterii in eo reciperentur in fratres & socios beneficii precum, de quo in cap. *Vt privilegia.* extr. *De privileg.* Nec modo privati, verum etiam Reges & Principes, ac ipsimet Episcopi hujusmodi fraternitatem in clarioribus monasteriis ambierunt. Theodebertum Regem Francorum in Glannafoliensi monasterio recens a se condito, in fratrem & sodalem recepit beatus Maurus discipulus sancti Benedicti. Faustus in vita Mauri apud Surium 14. Junii: *Tunc Rex Theodebertus beatum Maurum petiit, vt fratres eum in suum recipere dignarentur, & nomen ejus inter sua nomina scribere.* Calojoannem Imperatorem, Reges Francorum & alios Principes in fratres admisit monasterium Cluniacense. Petrus Cluniacensis lib. 2. epist. 39. ad ipsum Calojoannem: *Et vt aliquid beneficii spiritualis vobis ista facientibus rependamus, sicut prӕcessores nostri, ac nos ipsi, Reges Francorum, Reges Anglorum, Reges Hispanorum, Reges Germanorum, ipsos Imperatores Romanorum, ac vicinos nobis Reges Vngarorum, confratres & comparticipes omnium beneficiorum Cluniacensis Congregationis fecimus: ita sublimitatem vestram in eisdem spiritualibus beneficiis plene & perfecte in quantum licet suscipimus.* Ludovicum Juniorem Regem Francorum jure fraternitatis apud suos donavit Stephanus Abbas Cisterciensis, vt ipse commemorat, non sine exprobratione beneficii, in epistola ad eum scripta, quӕ est 45. inter epistolas Bernardi. Pandulfum Marsorum Episcopum eodem commilitii & fraternitatis honore dignatus est Abbas Cassinensis. Leo

V ij

Ostiensis libro 2. cap. 99. *Sicque societate ac benedictione fratrum percepta reversus, ex eo tempore familiarissimus monasterii fuit.* In eodem censu & linea Conversorum non silendi & laici, qui cum moriuntur, pœnitentiæ causa assumunt monasticum habitum, & cum eo sepeliuntur. Hujus amictus gratiam in morte solatii loco duxere clarissimi Principes. Inter Latinos Fridericus II. Imperator, de quo Matthæus Paris. ad ann. 1251. *Obiit autem circa eadem tempora Principum mundi maximus Fridericus, assumpto, ut dicitur, habitu Cisterciensium, & mirifice compunctus & humiliatus.* Inter Græcos Emanuel Comnenus, de quo Nicetas in ejus vita lib. 7. τέλος δὲ καὶ αὐτὸς τῇ ἀρτηρείᾳ προσάγων τὴν χεῖρα, καὶ τὰς κινήσεις τοῦ σφυγμοῦ γνωματεύων, βύθιόν τι στενάξας, καὶ πλήξας τῇ χειρὶ τὸν μηρὸν, τὸ μοναδικὸν σχῆμα ᾔτησε. *Denique admota ad arteriam manu, & pulsu pertentato, cum alto suspirio femur percussit, & monasticum habitum postulavit.* De Theodoro Lascari Juniore idem narrat Gregoras libro 3. ἀλλαξαμένῳ προθύμως τὸ σχῆμα μικρὸν πρὸ τῆς τελευτῆς εἰς τὸ μοναδικὸν τριβώνιον. *Alacriter vestem mutavit paulo ante obitum in habitum monasticum.* De Andronico Juniore cum extremum spiraret, narrat idem Gregoras libro 9. ἐξώρκισε μὲν τοὺς περὶ αὐτὸν, μοναχικὸν αὐτὸν ἐνδῦσαι τριβώνιον, πρὶν ἀποθεῖναι τὸ ζῆν. *Jurejurando adstantes adegit, ut sibi monasticam cucullam induerent, priusquam vita excessisset.* Solebant etiam multi in infirmitate vestem monasticam suscipere, & sæculo renuntiare. Petrus Cluniacensis de Miracul. lib. 1. cap. 7. *Venerat ad eundem locum infirmitate carnis urgente laicus quidam, &, ut fieri solet, monachico habitu a fratribus indutus, sæculo renuntiaverat. Faciunt hoc multi etiam in extremis constituti, qui licet eorum, quos nulla corporis molestia ad hoc impellit, laudem minime consequi videantur; numero tamen Monachorum, si ex corde convertantur ante æterni judicis oculos, nullo modo excluduntur.*



CAPUT VIII.

Monachi primis sæculis extra Clerum, a Syricio allecti ad Clerum.

AB initio Monachi erant extra Clerum, id est, laici manebant, Clericatus expertes: & diebus festis, puta Sabbatho & Dominico, procedebant ad Ecclesiam loci, & vna cum plebe communicabant, & sacra mysteria percipiebant. Theodoritus de vit. Patrum capite 12. *τοσοῦτον δὲ ἀρετῆς κεκτημένος πλοῦτον, ὡς πενίᾳ τῇ ἐσχάτῃ συζῶν, εἰς τὴν θείαν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν πόλλων κατὰ κυριακὴν ἡμέραν ἐφοίτα, τε τῶν θείων ἐπαΐων λόγων, καὶ τοῖς διδασκάλοις ὑποτιθεὶς τὰ ὦτα, καὶ τῆς μυστικῆς μεταλαμβάνων τραπέζης εἰς τὸ καινὸν ἐκεῖνο καταγώγιον ἐπανήει. Tantum virtutis possidens thesaurum, quasi extrema laborans inopia, veniebat cum populo ad divinam Ecclesiam die Dominico, & divinos audiebat sermones, & aures præbebat Doctoribus, & mysticæ mensæ particeps factus redibat ad novum illud habitaculum.* Et Nicephorus Callist. libro 11. cap. 38. *εἰσάπαξ δὲ εἰς ταὐτὸν τῆς ἑβδομάδος συντρέχουσιν ἐκκλησιάζοντες τῇ πρώτῃ καὶ κυριωνύμῳ τῶν ἡμερῶν. In hebdomade autem semel primario & Dominico die in Ecclesiam convenire soliti erant.* Ejusdem vsus locuples testis Cassianus de institut. cœnob. libro 5. cap. 26. *Vidimus alium in solitudine commorantem, qui numquam se sibi soli indulsisse cibum testatus est, sed etiam, si per totos quinque dies ad ejus cellulam nullus e fratribus advenisset, refectionem jugiter distulisse, donec Sabbatho vel Dominico die devotæ Congregationis obtentu procedens ad Ecclesiam, peregrinorum quempiam reperisset.* Inde Heronem senem, quod ad Ecclesiam non conveniret ne quidem semel in anno, in die Paschæ, notat idem Cassianus collat. 2. cap. 5. *Siquidem tanto rigore immutabilem jejunii continentiam semper exercuit, & solitudinis cellæque ita jugiter secreta sectatus est, vt ab eo participationem ineundi cum fraternitate convivii, nec veneratio quidem diei Paschalis aliquando potuerit obtinere:*

in qua fratribus cunctis pro anniversaria solemnitate in Ecclesia retentatis, solus non potuit aggregari, &c. E diverso Paphnutium Abbatem, quod jam senior e cella quinto milliari distante, Sabbatho & Dominico die indefessus ad Ecclesiam vicanam conveniret, laudat idem collat. 3. cap. 1. *Hic namque Presbyter Congregationis nostræ, id est, illius quæ in eremo Scythi morabatur, fuit, in qua ita vsque ad extremam duravit ætatem, vt numquam e cella quam junior cœperat habitare, quæque ab Ecclesia millibus quinque distabat, saltem ad viciniora migraverit, nec fessus annis tanti itineris spatio die Sabbathi vel Dominico venturus ad Ecclesiam vexaretur.* Collationem in multam noctem productam solvit Serenus apud eundem collatione 7. capite 34. vt paulum detur somno proximo jam diluculo, ac inde procedatur ad Ecclesiam, quia erat dies Dominicus. *Quamobrem*, inquit, *soporis modicum degustantes, discutiamus obrepentem oculis nostris vicina jam luce torporem, ac deinceps pariter ad Ecclesiam procedentes, quoniam nos hoc facere Dominicæ diei solemnitas commonet, reversi post synaxim, ea quæ Dominus ad instructionem communem pro desiderio vestro largitus fuerit, duplicato gaudio conferamus.* Unum e fratribus livore accensum in Paphnutium adhuc juniorem, in ejus cella suum codicem clam deposuisse per tempus quo Paphnutius e cella aberat, processurus ad Ecclesiam die Dominico, vt furti eum notaret, narrat idem Cassianus collat. 18. cap. 15. *Hoc genus malignitatis excogitat, vt opportunitatem temporis captaret, quo Paphnutius ad Ecclesiam die Dominico processurus abesset a cella.* Licet Monachi extra Clerum essent, tamen in Ecclesia non fuere in turba laicorum. Monachorum statio in Ecclesia fuit extra cancellos, media inter Clerum & plebem, ne Clericis se immiscerent vtpote inferiores, vel inter laicos viderentur vt præstantiores. Dionysius Areopagita epistola 8. ad Demophilum Monachum : *τοῖς δὲ τεταγμένοις θεραπευταῖς αἱ πύλαι τῶν ἀδύτων εἰσὶν ἀφωρισμέναι, καθ' ἃς δὲ τελοῦνται καὶ παρεστᾶσιν, οὐ πρὸς φυλακὴν αὐτῶν, ἀλλὰ πρὸς τάξιν, δι' ἐπίγνωσιν ἑαυτῶν, μᾶλλον τῷ λαῷ παρὰ τοὺς ἱερατικοὺς πλησιάζοντες. Iis qui Monachi sunt ordinati, adytorum portæ segregatæ sunt, juxta quas initiantur & adstant, non ad custodiam, sed vt ordinem recognoscant suum, sintque ipsi populo*

propinquiores, quam hi qui ſacra miniſtrant, & populo ipſi quoque magis Sacerdotibus accedentes. Hinc poſt ſacræ menſæ miniſtros, Nazaræos (ii ſunt Monachi) conſtituit Gregorius Nazianzenus oratione 32. ad CL. Epiſcopos. Prioribus ſæculis Monachi erant inter laicos: qua de cauſa in pœnis canonicis, non depoſitione vt Clerici, ſed excommunicatione vt laici plectebantur. Synodus Chalcedonenſis canon. 2. *καὶ αὐτὸς εἰ μὲν κληρικὸς εἴη τοῦ οἰκείου ἐκπιπτέτω βαθμοῦ, εἰ δὲ λαϊκὸς, ἢ μονάζων ἀναθεματιζέσθω. Et ipſe ſiquidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat; ſi laicus aut Monachus, excommunicetur.* Can. *Si quis Epiſcopus* 1. quæſt. 1. Et Abbas cum Monacho vltimus locatur poſt Oſtiarium, qui eſt infimus gradus Clericorum. Can. *A Subdiacono* 93. diſtinct. Hinc & Renatum Monachum laicum appellat Auguſtinus libro 2. de anima & ejus origine cap. 1. Ac per laicos propoſiti ſuperioris Monachos intelligit Hilarius Pictavienſis libro de Synodis. Excreſcente multitudine Monachorum, Monachi ſuas ædes ſacras habere cœperunt, & cum his habuere Preſbyterum: is erat Abbas, vel vnus e fratribus, a quo ſacra myſteria percipiebant. Auguſtinus de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 31. *Vidi ego diverſoria ſanctorum Mediolani non paucorum hominum, quibus vnus Presbyter præerat vir optimus & doctiſſimus.* Hoc more Paphnutius idem fuit Abbas & Preſbyter Congregationis, quæ ſedes ſuas habebat in eremo Scythi in Syria, de quo Caſſianus collat. 3. capite 1. Idemque Paphnutius Danielem, vnum e fratribus, deſtinans ſibi ſucceſſorem, eum ad Sacerdotii ordinem provexit; id eſt, promoveri ab Epiſcopo curavit. Caſſianus collat. 4. capite 1. *Optanſque ſibimet ſucceſſorem digniſſimum providere, ſuperſtes eum Presbyterii honore provexit.* In monte Nitriæ in Ægypto fuere quinque millia Monachorum in vna Eccleſia, in qua erant octo Preſbyteri, quorum quandiu primus viveret, nullus alius offerebat vel prædicabat. Palladius Hiſtoriæ Lauſiacæ cap. 33. Adeoque illis ſæculis, ſi forte Preſbyteri in monaſterium ſecederent, humilitatis cauſa deinceps abſtinebant officio Preſbyteri, & vt laici communicabant. Eo nomine ſe excuſat apud Joannem Hieroſolymitanum Epiſcopum Epiphanius Salaminæ Cypri Epiſcopus, quod Preſbyterum or-

dinasset in monasterio Bethleemitico Paulinianum fratrem Hieronymi, quia Vincentius & ipse Hieronymus Presbyteri ejusdem monasterii, humilitatis gratia, nollent sacra peragere. *Cum vidissem*, inquit in epistola ad Joannem Episcopum, quæ est inter epistolas Hieronymi, *quia multitudo sanctorum fratrum in monasterio consisteret, & sancti Presbyteri Hieronymus & Vincentius propter verecundiam & humilitatem nollent debita nomini suo exercere sacrificia, & laborare in hac parte ministerii, quæ Christianorum præcipua salus est*, &c. Quid Pachomius Abbas, cum tot millia Monachorum sua sub ditione haberet, non ferebat quemquam ex his in Clericum ordinati, quo magis eos in humilitate & demissione animi contineret, vt legitur in vita ipsius Pachomii capite 24. *Postea ex nimia multitudine Monachorum secuta penuria Clericorum, Monachi sacris ordinibus initiari cœpere, & felici connubio Monachi & Clerici in vnum coaluere ex Constitutione Syricii.* Can. *Monachos* 16. quæst. 1. de quo fusius dicemus alio loco.



CAPUT IX.

Monachi primis sæculis imperiti litterarum, postea eruditissimi. Scriptores in monasteriis: inde copia librorum.

PRIORIBUS sæculis Monachi Clericatum fugientes, & laicos inter morantes, humilitatis studio, non dispari ingenio litteras tanquam inanis gloriæ altrices, magis fugerunt quam nescierunt. Ac certe veneranda fuit, non erubescenda in Monachis litterarum imperitia, proposito, id est, humilitatis jugi exercitationi conveniens: non docentis vel discentis, sed lugentis, id est, pœnitentis, est officium Monachi. Hieronymus ad Riparium adversus Vigilantium: *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium, qui vel se vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstoletur adventum.* Can. *Monachus* 16. quæst. 1. Quod mireris tamen, humiles isti & litterarum inscii non caruere sacrarum Scripturarum

rum intelligentia, ſacras Scripturas didicere ſine magiſtro; orando & meditando magis quam legendo. Auguſtinus de doctrina Chriſtiana lib. 1. in Prolog. *Nec propterea ſibi ab Antonio ſancto & perfecto viro Ægyptio Monacho inſultari debere, qui ſine vlla ſcientia litterarum Scripturas divinas & memoriter audiendo tenuiſſe, & prudenter cogitando intellexiſſe prædicatur.* Hinc vni ex Philoſophis Ægyptiis, qui ad eum acceſſerat ſtudio viſendi virum, cujus fama tanta erat, miranti quonam modo vitam in eremo ſuſtinere poſſet, Antonius reſpondit: τὸ ἐμὸν βιβλίον ἡ φύσις τῶν γεγονότων ἐστὶ, καὶ πάρεστιν ὅτε βούλομαι τοὺς λόγους ἀναγινώσκειν τοὺς Θεοῦ. *Meus liber eſt natura rerum a Deo conditarum, quæ quotienſcumque animo lubitum ſit meo, libros ipſius Dei ad legendum ſuppeditat*, narrante Socrate libro 4. cap. 18. Eodem ſtudio ſacras Scripturas feliciter aſſecutus beatus Bernardus, in ſilvarum ſeceſſu non alios Doctores nactus, quam quercus & fagos, vt ipſe venuſte inter ſuos per jocum dictitare ſolebat. Vita Bernardi lib. 1. capite 4. *Nam vſque hodie quicquid in Scripturis valet, quicquid in eis ſpiritualiter ſentit, maxime in ſilvis & in agris meditando & orando ſe confitetur accepiſſe, & in hoc nullos aliquando ſe magiſtros habuiſſe niſi quercus & fagos, joco illo ſuo gratioſo inter amicos dicere ſolet.* Hac mente Monachos fide, ſpe, caritate inſtructos, ſatis valere vt ad perfectionem Chriſtianam quaſi machinis quibuſdam ſubvecti nitantur, tradit Auguſtinus libro de doctrina Chriſtiana modo a me laudato capite 38. *Homo itaque fide, ſpe & caritate ſubnixus, eaque inconcuſſe retinens, non indiget Scripturis, niſi ad alios inſtruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in ſolitudine ſine codicibus vivunt: quibus tamen quaſi machinis tanta fidei & ſpei & caritatis ineſt inſtructio, vt perfectum aliquid tenentes, ea quæ ſunt ex parte, non quærant.* In eandem ſententiam fratribus ſuis licet groſſis, id eſt; craſſis ingenio, & litterarum expertibus adeo non inſultat, quin imo quaſi gratulatur Auctor ſermon. ad fratres in eremo ſermone 15. *Non tamen dico, fratres, quod omnino non quæratis: ſed quæſtiones in divinis vos qui groſſi eſtis, multiplicare non debetis; quærite tantum vos qui ſpiritales eſtis, quomodo præcepta Dei ſervare poſſitis.* Et idem ſermone 22. ad eoſdem: *Sed dicitis: Ecce multi ſumus, & præ-*

ter Evodium, Alipium & Pontianum, qui de Scriptura sancta multum noverunt, omnes grossi & idiotæ sumus. Igitur doce nos orare. O fratres mei, licet grossi sitis, & subtilia non capiatis; non tamen debiliores vos reputo: sed cariores vos teneo, ignaros & humiles, quam sapientes, elatos & superbos. Licet enim medullam Scripturarum non intelligatis, sicut Evodius, Alipius & Pontianus, qui Romæ diu mecum commorati sunt; tamen Scripturarum corticem vos intelligere non dubitamus. Idem rursus sermone 24. ad eosdem: *Et quia grossi estis, fratres, veniat verbi gratia.* Valentino Abbati, & Monachis qui cum eo erant, hoc vnum, vt librum Cypriani de oratione Dominica diligenter legerent, & quoad possent intelligerent, ac memoriæ mandarent, præcepit Augustinus, libro de gratia & libero arbitrio ad Valentinianum & cum illo Monachos, capite 13. *Commoneo autem caritatem vestram, & multum exhortor, vt beati Cypriani librum, quem scripsit de oratione Dominica, diligenter legatis, & quantum vos Dominus adjuverit intelligatis, memoriæque mandetis.* Ex quo satis intelligimus lectionem librorum non desiderari a Monachis, vt doctiores fiant, sed ad orandum & meditandum potentiores. Hinc fratres, id est, Monachos sine injuria laicos, id est, rudes litterarum, appellitat idem Augustinus Retractation. lib. 2. capite 38. *Interea multa sunt mihi a quibusdam fratribus, laicis quidem, sed divinorum eloquiorum studiosis, scripta nonnulla.* Et librum de Agone Christiano, continentem regulas fidei in vsum fratrum, quia Latinæ linguæ imperiti erant, humili & vulgari sermone conscriptum ait idem Augustinus eodem libro 2. Retractation. cap. 3. *Liber de Agone Christiano fratribus in eloquio Latino ineruditis humili sermone conscriptus est, fidei regulam continens & præcepta vivendi.* Periculosam tamen in Monachis crassiorem litterarum inscitiam docuit eventus: nimis enim facile propter simplicitatem in Antromorphitarum hæresim lapsi sunt Ægyptii Monachi: de quo Socrates lib. 6. cap. 7. Sozomenus lib. 8. cap. 11. Nicephorus Callistus lib. 13. cap. 10. Cassianus collat. 10. capite 2. Posterioribus sæculis magna rerum conversione facta, Clerici passim visi sunt idiotæ & ignari litterarum, soli fere Monachi litterati. In monasteriis solis fuit pulcherrima penus libro-

rum: hi fugientes litteras in orbe Christiano morati sunt, emortuas fere suscitarunt, & vt quod est fateamur, Monachorum industria & opera ad nos salvi pervenere omnium artium & scientiarum libri, quos in manibus habemus, quibus illuminatur respublica litteraria. In singulis enim monasteriis inter Monachos erat ordo scriptorum, qui libris describendis operam dabant: juniorum id officium fuit ex regula beati Martini Turonensis Episcopi, senioribus incumbente tantum orationis penso. Paulinus de vita sancti Martini lib. 2.

Ne degustati famis improba cresceret auri,
Exercere artem prohibet: conceditur vnum
Scribendi studium, quod mentem oculosque manusque
Occupet, atque vno teneat simul omnia puncto,
Aspectum visu, cor sensibus, ordine dextram.
Attamen his rebus minor ætas sola tenetur,
Nam jam maturæ satis est oratio menti.

Exinde in monasteriis Galliæ & Germaniæ non vile fuit scriptorum officium. Trithemius in Chronic. Hirsaugiensi ad ann. 1064. de Friderico Abbate Hirsaugiensi: *Inter scriptores namque reliquos, quod officium apud veteres Monachos erat valde communiter in vsu, locum tenere cum fratribus non erubuit.* Et quo maxime profecere litteræ, fuere scholæ in monasteriis, in quibus pietate simul & litteris imbuebantur etiam adolescentes laici: de quibus suo loco dicemus.



CAPUT X.

De Monachis varia judicia paganorum & Judæorum. Hæretici infensi Monachis.

IN ortu Monachorum obstupuit vniversus orbis; gentiles & Judæi ipsi novum hominum genus mirati sunt, & qui inter eos sapientiores erant, illorum vitam cælestem potius quam humanam duxerunt. Cassianus de instit. cœnob. libro 2. capite 5. *Etenim secedentes in secretiora subur-*

biorum loca, agebant vitam tantæ abstinentiæ rigore districtam, vt etiam his qui erant religionis externi, stupori esset tam ardua conversionis eorum professio. Et Auctor sermon. ad fratres in eremo serm. 39. *Hæc est illa religio immaculata, cujus sanctitas per totum orbem terrarum divulgatur: quorum conversatio a cunctis miratur, quorum vita non solum a Christianis, sed a Judæis & paganis potius angelica quam humana reputatur.* Alii ignavos & inutiles bello & reipublicæ inclamabant, quod continentes essent, sine vxore & liberis. Zozimus libro 5. vbi de Joanne Chrysostomo Constantinopoli ablegato. ἀπείληπτο δὲ ἡ τῶν χριστιανῶν ἐκκλησία ὑπὸ τῶν λεγομένων μοναχῶν· οὗτοι δὲ γάμοις τοῖς κατὰ νόμον ἀπαγορεύουσι, συστήματα δὲ πολυάνθρωπα κατὰ πόλεις καὶ κώμας πληροῦσιν ἀνθρώπων ἀγάμων, καὶ οὔτε πρὸς πόλεμον, οὔτε πρὸς ἄλλην τινὰ χρείαν ἀναγκαίους τῇ πολιτείᾳ. *Jamque adeo fuerat intercepta Christianorum ab iis Ecclesia, qui Monachi vocantur: hi legitimis nuptiis abstinent, & tam in vrbibus quam vicis populosa collegia complent hominibus non maritatis, nec ad bellum nec alium reipublicæ necessarium vsum idoneis.* Alii de Monachis iniquius cogitantes eorum famæ oblaterabant, eorum vitam ferinam & silvestrem detestabantur, angelicis viris porcorum mores, nefanda & incredibilia propemodum eis objectabant: forte eis falso ascribentes, quæ de Circumcellionibus, qui erant falsi Monachi Donatistarum, circumferebantur. Eunapius in Ædesio: εἶτα ἐπεισῆγον τοῖς ἱεροῖς τόποις τοὺς καλουμένους μοναχούς, ἀνθρώπους μὲν κατὰ τὸ εἶδος· ὁ δὲ βίος αὐτοῖς συώδης, καὶ ἐς τὸ ἐμφανὲς ἔπασχόν τε καὶ ἐποίουν μυρία κακὰ καὶ ἄφραστα· ἀλλ' ὅμως τοῦτο μὲν εὐσεβὲς ἐδόκει τὸ καταφρονεῖν τοῦ θείου. τυραννικὴν γὰρ εἶχεν ἐξουσίαν, τότε πᾶς ἄνθρωπος μέλαιναν φέρων ἐσθῆτα, καὶ δημοσίᾳ βουλόμενος ἀσχημονεῖν: ἐς τόσον δὲ ἀρετῆς ἤλασε τὸ ἀνθρώπινον. *Iidem postea in sacra loca invexerunt Monachos sic dictos, homines quidem specie, sed vitam turpem porcorum more exigentes, qui in propatulo infinita atque infanda scelera committebant: quibus tamen pietatis pars videbatur sacri loci reverentiam proculcare. Nam ea tempestate quivis atram vestem indutus, quique in publico sordido habitu spectari non abnuebat, is tyrannicam obtinebat auctoritatem: in eam virtutis opinionem venerat id genus hominum.* Imo & gentiles vt invidiam in

Monachos concitarent, eos hostes imperii contestabantur, clades reipublicæ eis imputabant. Alarico cum ingentibus copiis Gothorum per Thermopylas in Græciam irrumpenti ducatum præstitisse Monachos ait Eunapius in Maximo: τοιαύτας αὐτῷ τὰς πύλας ἀπέδειξε τῆς Ἑλλάδος, ἥτε τῶν τὰ φαιὰ ἱμάτια ἐχόντων ἀκωλύτως προσπαρεισελθόντων ἀσέβεια. Ne novis calumniis pene locus esset, Monachos lucifugas, id est, osores humanæ conversationis, & Bellorophonteo morbo laborantes, id est, emotæ mentis deprædicabant. Rutilius Itinerar. lib. 1.

Processu pelagi jam se Capraria tollit:
Squalet lucifugis insula plena viris.
Ipsi se Monachos Graio cognomine dicunt,
Quod soli nullo vivere teste volunt.
Quænam perversi rabies tam stulta cerebri,
Dum mala formides, nec bona posse pati!
Sive suas repetunt ex fato ergastula pœnas
Tristia, seu nigro viscera felle tument:
Sic nimiæ bilis morbum assignavit Homerus
Bellorophonteis sollicitudinibus.
Nam juveni ostenso sævi post tela doloris
Dicitur humanum displicuisse genus.

Cum in Hispaniam secessisset Paulinus religionis amplectendæ studio, non alio quam gentili ingenio & stylo a proposito eum avocare nisus est Ausonius, olim ejus præceptor, fugam sæculi quasi Bellorophonteum furorem exprobrans, metro scripta epistola, quæ est 25. ad ipsum Paulinum:

Tristis egens deserta colat, tacitusque pererret
Alpinis connexa jugis: seu dicitur olim
Mentis inops, cœtus hominum & vestigia vitans,
Avia perlustrasse vagus loca Bellorophontes.

Quale futurum erat potiorum judicium de secessu Paulini non tacuit Ambrosius epistola 30. ad Sabinum: *Paulinum splendore generis in partibus Aquitaniæ nulli secundum, venditis facultatibus tam suis quam etiam conjugalibus, in hos se induisse cultus ad fidem comperi, ut ea in pauperes conferat, quæ redegit in pecuniam: & ipse pauper ex divite factus, tamquam deoneratus gravi sarcina, domui, patriæ, cognationi quoque valedicat,*

quo impensius Deo serviat. Et infra: *Hæc ubi audierint proceres viri; quæ loquentur? Ex illa familia, illa prosapia, illa indole, tanta præditum eloquentia migrasse a Senatu, interceptam familiæ nobilis successionem: ferri hoc non posse. Et cum ipsi capita & supercilia sua radant, si quando Isidis suscipiunt sacra, si forte Christianus vir attentior sacrosanctæ religioni vestem mutaverit, indignum facinus appellant.* Quid hæretici omnium maxime insultabant Monachis, horum testimonio & judicio eorum continentia & vitæ sanctitate se oppugnari satis intelligentes. Augustinus in Psal. 132. *Quando vos recte hæreticis de Circumcellionibus insultare cœperitis, vt erubescendo salventur, illi vobis insultant de Monachis. Primo si comparandi sunt, vos videte. Quid opus est vt verbis nostris comparentur ebriosi cum sobriis, præcipites cum consideratis, furentes cum simplicibus, vagantes cum congregatis? Sed tamen dicere consueverunt: Quid sibi vult nomen Monachorum? Quanto melius dicimus nos: Quid sibi vult nomen Circumcellionum?* Petilianum vnum e signiferis hæreticorum eo nomine maxime infensum habuit Augustinus, quod instituti Monachorum auctor vel propagator haberetur. Testis ipse de se libro 3. contra litteras Petiliani capite 40. *Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem monasteriorum & Monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus vitæ a me fuerit institutum: quod genus vitæ omnino quale sit nescit, vel potius toto orbe notissimum nescire se fingit.* Eodem ingenio Afri vix ferebant palliatum tonsum & pallidum, id est, Monachum. Salvianus de gubernat. Dei libro 8. *Non sine causa itaque illud fuit, quod inter Africæ civitates, & maxime intra Carthaginis muros, & palliatum, & pallidum, & recisis comarum fluentium jubis, vsque ad cutem tonsum videre tam infelix ille populus, quam infidelis, sine convicio atque execratione vix poterat.* Quid novissimis sæculis Lutherus, Calvinus & alii non nominandi hæretici, continentiæ eversores, propositum Monachorum omnibus votis damnarunt. Vix ferunt improbi vitam Monachorum, horum vitam sibi in opprobrium verti ducentes. Sed si quando ad saniorem frugem redeunt, nonne dolent, & beatam prædicant sortem Monachorum, vt ait Joannes Chrysostomus in Acta Apostolorum Homil. 15. *εἰ μὴ μακαρίζουσι τοὺς ἐν ἐρημίᾳ, τοὺς ἐν*

ὄρεσι, τοῖς ἐν φιλοσοφίᾳ ζῶντας. *Et beatos dicant jejunantes in montibus, & Philosophiæ deditos.*

CAPUT XI.

Monachi ab initio viles & contempti. Julianus Parabutes hostis Monachorum. Ne ii exheredentur, Constitutione vetitum.

IN Occidente Monachorum nomen ab initio quasi novum & peregrinum, vile ac contemptum fuit, ac pene ignominiosum vtrique sexui, maxime inter nobiles & divites. Hieronymus ad Principiam; *Nulla eo tempore nobiliorum feminarum noverat Romæ propositum Monachorum, nec audebat propter rei novitatem ignominiosum, vt tunc putabatur, & vile in populis nomen assumere.* Vix ferebat sine sibilis & conviciis plebs ipsa id genus hominum palliatum, vultu pallidum, & capite rasum. Salvianus de gubernat. Dei libro 8. *Non sine causa itaque illud fuit, quod inter Africæ civitates, & maxime intra Carthaginis muros, palliatum, & pallidum, & recisis comarum fluentium jubis, vsque ad cutem tonsum videre tam infelix ille populus, quam infidelis, sine convicio atque execratione vix poterat.* Qui vestem mutabant, insana plebis existimatione, e nobilibus statim ignobiles, & pro servulis habebantur. Idem libro 4. de gubernat. Dei: *Jam vero illud quale, quam sanctum, quod si quis ex nobilibus converti ad Deum cœperit, statim honorem nobilitatis amittit! aut quantus in Christiano populo honor Christi est, vbi religio ignobilem facit! statim enim vt quis melior esse tentaverit, deterioris abjectione calcatur, ac per hoc omnes quodammodo mali esse coguntur, ne viles habeantur.* Maledictis & conviciis plebis passim expositos fuisse Monachos testatur Arnobius in Psalm. 105. *Jacent enim ante ora eorum, de ipsis loquuntur, de ipsis risus, de ipsis jocus, de ipsis opprobria universa reperiunt: Ille Monachus hoc egit, ille Clericus hoc, illa Sanctimonialis. Sic interficitur terra sanguinibus, id est, terrenæ mentes interficiun-*

tur hoc ordine, si ille, qui Sanctus vocatur & Nonnus, sic agit, &c. Hæreticis displicebat nomen Monachorum, nomen fraternitatis his exosum, qui ab Ecclesiæ vnitate discesserant. Augustinus in Psalm. 132. *Merito illis displicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in vnum cum fratribus; sed sequentes Donatum, Christum dimiserunt.* Monachis tot passis a plebe eis non pepercere Principes. Quot conviciis incessi fuerint Monachi & eorum exercitationes a Juliano Parabute, testem habemus Gregorium Nazianzenum orat. 4. Denique quam male acciperentur Monachi, ex eo satis intelligimus, quod Joannes Chrysostomus, cum adhuc Presbyter esset, tres libros scripsit adversus vituperatores vitæ monasticæ, ne impune viderentur offendi, & silentio agnosci injuria. Etiam ipsis parentibus ita exosos fuisse liberos qui Monachismum profiterentur, vt eos quasi ingratos & indignos bonis abdicarent, notum est: qua de causa Constitutionibus Justiniani vetitum est, ne parentibus liceat liberos quasi ingratos exheredare, eo nomine quod monasterium ingressi sint. L. *Vt non liceat.* L. *Deo nobis.* §. 1. C. *De Episcopis & Clericis.* Can. *Non liceat* 19. quæst. 3.



CAPUT XII.

Variæ persecutiones in Monachos. Monachi ad militiam coacti. Constitutio Valentis de Monachis revocandis ad munera municipalia. Persecutio in Fratres Prædicatores & Minores.

A Constantino pace reddita Ecclesiæ, desiere agones martyrum: sed succedente Constantio, qui in Arii hæresim lapsus erat, Arianorum machinis vincti Monachi, plagis cæsi ad mortem vsque. Athanasius epistola ad Solitarios: πόσοις ἀσκηταῖς ἐπεβούλευσαν, πόσους ἐκεῖ διατρίβοντας ὁ λοιπὸν τὸ ἑστίον ἔχοντας ἐκεῖ διωχθῆναι πεποιήκασιν. *Quot, Monachis insidiati sunt, quot ibi commorantes & jam ibi fixum domicilium habentes.* Et idem in eadem epistola: καὶ λοιπὸν.

ἐπίσκοποι

ἐπίσκοποι δέσμιοι, πρεσβύτεροί τε καὶ μονάζοντες σεσιδηρωμένοι, καὶ πληγαῖς καταξανθέντες ἴσα θανάτῳ παρεπέμφθησαν. *Iam inde Episcopi & Presbyteri & Monachi ferro vincti & plagis cæsi vsque ad mortem, alio atque alio transmittuntur.* Et in sequentibus idem narrat monasteria Ægypti ab Arianis euersa, & ignem subjectum quo cremarentur Monachi. Post Constantium Julianus Parabutes alio persecutionis genere vsus, vt Monachorum genus alieno ferro tolleret, eos ad militiam coegit. Rufinus 1. de vit. Patr. capite 7. *Hic cum audisset Iuliani temporibus fratrem quendam militia comprehensum detineri in carcere, venit ad eum cum fratribus, consolandi gratia.* Hieronymus in vita Hilarionis: *Vrbs enim Gaza, postquam profecto de Palæstina Hilarione, Iulianus in Imperium successerat, destructo monasterio ejus precibus ad Imperatorem datis, & Hilarionis & Hesychii mortem impetrauerat, amboque vt quærerentur, toto orbe scriptum erat.* Palladius Historiæ Lausiacæ capite 52. Anno Christi 373. repetita lege a Valente Monachi ad militiam exacti. Hieronymus in Chronic. *Multi Monachorum Nitriæ per Tribunos & milites cæsi: Valens enim lege data vt Monachi militarent, nolentes fustibus interfici jussit.* Idem Theodoritus lib. 3. Orosius libro 7. cap. 33. Gregorius Turonensis lib. 1. cap. 37. Cassianus collat. 18. cap. 7. Prius legem tulit idem Valens de Decurionibus (ii sunt Senatores municipales, qui curia relicta in eremum Ægyptiam secedebant, munerum municipalium suffugiendorum causa) reuocandis, & si non parerent, bonis eorum addicendis his qui eorum vice municipalia munera laturi essent. L. *Quidam.* C. *De Decurionib.* L. 63. C. Theod. eodem. Nec modo militiæ onere a Valente districti Monachi, sed etiam capitationis, id est, vectigalis, quod pro capite penditur, quo immunes erant Constitutionibus Constantini & Constantii. Gregorius Nazianzenus orat. in Julianum, & in Carmine ad Hellenium. Eadem tempestate sæuiente persecutione Valentiniana in Monachos Ægyptios, Monachorum millia quinque per triduum latuere, a Melania ejus sumptu sustentata. Paulinus epist. 10. *Eadem tempestate per triduum quinque millia Monachorum latentium panibus suis pauit Melania, toti-*

dem apud homines testimoniis gloriosa, quot pastis Deo conscia. Nec modo in Ægypto, sed & in aliis provinciis Imperii a Valente gravem persecutionem perpessi sunt Monachi: qua de re Monachos oratione consolantur Basilius epist. 19. Isidorus Pelusiot. lib. 1. epist. 191. Eodem tempore manu militari sævitum in Monachos Ægyptios, duce Lucio Episcopo Alexandrino Ariano. Socrates lib. 4. cap. 17. Ruffinus libro 2. capite 3. & 4. Et Chrysostomo Constantinopolitano Episcopo sede sua pulso, Monachi qui erant ejus partium, & pro ejus defensione Ecclesiam occupaverant, signo dato impune trucidati, & vt in turba sæpius evenit, quidam per errorem pro aliis accepti periere. Zozimus libro 5. Per idem tempus & Monachi in Africa persecutionem passi ab hæreticis & infidelibus. Auctor sermon. ad fratres in eremo sermone 1. *Si vero, vt fieri solet, ab hæreticis supervenit incursio repentina, vel ab infidelibus, aut hostilitas, ita vt necesse sit fratribus fugam arripere, si Deo favente evaserint, mox ad nemus cum Helia redire festinent.* Constitutionem Juliani ne quis miles ante emerita stipendia in monasterium admittatur, instauravit Mauritius, quam impugnavit Gregorius I. attestante ipso libro 2. epist. 61. Ab eodem Imperatore lex lata ne obligati publicis ratiociniis admitterentur in monasterium: sed ea temperata a Gregorio hoc pacto, vt non vetarentur religionem profiteri, prius per triennium probati. Testem habemus ipsum Gregorium lib. 7. epist. 11. Can. *Legem* 53. distinct. Imperante Constantino Copronymo exarsit novum bellum in Monachos, & adinventum novum martyrii genus in eos. Monachi ad nuptias coacti, recusantes erutis oculis in Cyprum insulam deportati, res monasteriorum distractæ, & pretium in fiscum redactum, monasteria beneficii nomine & stipendii vice militibus tradita. Cedrenus in Copronymo: *μιμησάμενος τοίνυν ὁ Λαχανοδεράκων τὸν διδάσκαλον αὐτοῦ, πάντα μοναχὸν καὶ μονάστριαν, τοὺς ὑπὸ τὸ θέμα τῶν Θρακησίων ὄντας συνῆξεν εἰς Ἔφεσον. καί φησι πρὸς αὐτούς· ὁ βουλόμενος τῷ βασιλεῖ καὶ ἡμῖν πειθαρχεῖν, ἐνδυσάμενος στολὴν καὶ λαβέτω γυναῖκα τῇ ὥρᾳ ταύτῃ. οἱ δὲ τοῦτο μὴ ποιοῦντες τυφλούμενοι εἰς Κύπρον ἐξορισθήσονται. Καὶ ἅμα τῷ λόγῳ τὸ*

ἔργον ἐξετελεῖτο, καὶ πολλοὶ μάρτυρες τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἀνεδείχθησαν. οὗτος πάντα τὰ μοναστήρια πέπρακε, καὶ πάντα τὰ ἱερὰ σκεύη, καὶ βιβλία καὶ ζῶα, καὶ πάσας τὰς ὑποστάσεις αὐτῶν, καὶ τὰς τιμὰς τούτων εἰσεκόμισε τῷ βασιλεῖ. Et infra: ὁ δὲ Κοπρώνυμος τὰ εἰς δόξαν Θεοῦ, καὶ καταφυγὴν τῶν σωζομένων, μοναστήρια τοῖς ὁμόφροσιν αὐτῷ στρατιώταις ἐδίδου, καὶ τὸ μοναχικὸν τάγμα ἐξαφανίσαι ἐσπούδαζε. *De his Lachanodraco magistrum imitatus, omnes Monachos Monachasque, qui in Thracensi erant præfectura, Ephesum conducit. Itaque alloquitur: Qui Imperatori & mihi obedire vult, stolam is induat, hacque ipsa hora vxorem ducat; qui recusaverit, is erutis oculis Cyprum deportabitur, & rem illico exequitur. Itaque multi eo die extiterunt martyres. Idem omnia monasteria, omnem sacram supellectilem, libros, animalia, omnemque prorsus habitum eorum divendit, & pretium Imperatori tradidit. Copronymus monasteria quæ ob honorem Dei & refugium salutem consecuturorum condita fuerant, suis suam amplectentibus sententiam militibus tradidit, vtque Monachicum Ordinem exscinderet operam dedit.* Nec melius actum cum Monachis temporibus Theophili: tunc Monachi vrbibus pulsi, nec tutum fuit vlli videri in quapiam vrbe, & monasteria tradita laicis. Cedrenus in Theophilo: ἀβάτους γὰρ τηρεῖσθαι τὰς πόλεις τοῖς μοναχοῖς ἐγκελεύσάμενος, καὶ πάντα τρόπον αὐτοὺς ἀπελαύνεσθαι ἐθέσπισε, μᾶλλον δὲ μηδὲ κατὰ χώραν ὁρᾶσθαι τολμᾶν. εἰργάσατο δὲ τὰ μοναστήρια καὶ ἡσυχαστήρια πολύανδρα, καὶ κόσμικα καταγώγια. *Edixerat enim Theophilus ne Monachis vllam vrbem intrare liceret, jusseratque omni modo eos arceri, atque adeo non tutum erat iis conspici ea in regione: quin & monasteria, atque ocii sacri causa conditas ædes, profanis hominibus frequentabat.* Idem Paulus Diaconus libro 22. Et hoc est quod prius vetuit Synodus Chalcedonensis can. 24. ne monasteria Deo dicata fierent κοσμικὰ καταγώγια, *secularia habitacula.* Nec minora excidia a Sarracenis & Normannis passi sunt Monachi. Joanne VIII. Pontifice, cum Sarraceni Campaniam armis occupassent, servi Dei (ii sunt Monachi) passim trucidati; monasteria flammis consumpta. Testatur ipse Pontifex epist. 35. Et Normanni tota fere Gallia monasteria cremarunt, Monachos trucidarunt: vnde secutus est gravis lapsus religionis,

vt jam a me observatum est ex Joanne Italo vitæ S. Odonis Abbatis Cluniacensis libro 3. Temporibus beati Ludovici a Magistris Parisiensibus multa passi sunt & Fratres Prædicatores & Minores, non impune, quia a sanctissimo Rege & Alphonso ejus fratre fortiter defensi sunt, eorum persecutores damnati, & libri adversus eos scripti, Parisiis cremati: de quo Thomas Cantipratensis libro 2. capite 10. num. 23. & capite 57. num. 67. Non sine calumnia igitur Universitatem Parisiensem, quæ Thomam & Bonaventuram & tot alia decora a Fratribus Prædicatoribus & Minoribus accepit, per eos esse conturbatam ait Matthæus Parisiensis ad ann. 1258. *Universitas insuper Parisiaca per Prædicatores & Minores non mediocriter est perturbata.* Revera enim hi Ordines perturbationem Universitati non intulere, sed potius passi sunt. Denique vix vlla fuit ætas quæ Monachos variis passionibus non exercuerit, itaut dici possint martyres suæ ætatis.



CAPUT XIII.

Persecutio in Monachos ab Episcopis. Notatur durities Episcoporum.

VARIIS temporibus persecutionem passi sunt Monachi non modo ab infidelibus & hæreticis, verum etiam a Principibus, verum etiam ab ipsis Episcopis, quorum in sinu & vlnis adoleverant. Tempore Gregorii I. Monachis Ariminensibus nimis gravis & infestus fuit Castorius Episcopus: qua causa motus est Pontifex vt eos liberaret a potestate Episcopi. Testis locuples ipse Gregorius lib. 4. epist. 41. 42. 43. ex quibus contextus est Can. *Luminoso* 18. quæstione 2. Inde secutæ sunt tot aliæ exemptiones monasteriorum, vt consuleretur quieti Monachorum: de quibus idem Gregorius libro 7. epist. 18. Indict. 1. Can. *Quam sit necessarium* eadem causa & quæst. Hac de re irati Episcopi vix tu-

lere Monachos. Inter cæteros notatur Fridericus Moguntinus Episcopus, quod cum Monachis immitius ageret, caussatus ex his plures ignavos & desidiæ deditos esse, non attendens lolium molliter crescere inter segetes, nec avelli priusquam messis legatur. Witichindus libro 3. sub finem: *Gravisque persecutio Monachis oritur, in diebus illis affirmantibus quibusdam Pontificibus melius arbitrati paucos vita claros, quam plures negligentes inesse monasteriis oportere: obliti, ni fallor, sententiæ patrisfamiliæ prohibentis servos zizania colligere, sed utraque crescere oportere, & zizania & triticum, usque ad messem. Quo factum est, ut plures propriæ infirmitatis conscii, deposito habitu & relictis monasteriis, grave onus Sacerdotum devitarent. Fuerunt autem quidam, qui Summum Pontificem Fridericum hoc non pure, sed ficte fecisse arbitrati sunt, quatenus venerabilem virum Regique fidelissimum Abbatem Hadumarum quoquo modo posset dehonestaret: ipse enim erat magnæ prudentiæ atque industriæ.* Idem Abbas Urspergensis. Eodem ingenio in Synodo Romana habita a Callisto II. apud eum vehementius conquesti sunt Episcopi, sibi de apicibus Pontificii nihil fere residuum esse præter mitram & annulum, cætera jam a Monachis occupari, Ecclesias, villas, castra, decimas, oblationes. Leo Ostiensis Chronic. Cassinensis libro 4. cap. 80. *In hac Synodo Episcopi adversus Monachos invidia inflammati cœperunt dicere, nihil superesse aliud, nisi ut sublatis virgis & anulis Monachis deservirent: illos enim Ecclesias, villas, castra, decimationes, vivorum & mortuorum oblationes detinere; conversique ad Pontificem, Decidit, aiebant, pudor Canonicorum, honestas obliterata est, Clericorum religio corruit, dum Monachi contempto cælesti desiderio, jura Episcoporum insatiabiliter ambiunt, & omnes quæ sua sunt quærunt, & qui mundum cum suis concupiscentiis reliquerunt, his quæ mundi sunt, inhiare non desinunt.* De Episcopis etiam frequentes audimus querelas Abbatum & Monachorum. Petrus Abbas Cluniacensis libro 1. epistola 3. *Minoribus majores subditis prælati: Monachis Episcopi sic infesti sunt, ut non sicut pastores gregem pascere, sed sicut vere secundum Evangelium mercenarii, ad lanam tollendam, & lac emulgendum, toto annisu intendere videantur.* Et Anselmus tum Ab-

bas Beccensis, & postea Cantuariensis Archiepiscopus, lib. 2. epistola 33. ad Urbanum II. qua petit privilegium pro monasterio Uticensi. *Non enim*, inquit, *ignotum esse puto vestræ excellentiæ, quia plures Episcopi non tantum gaudent monasteria paterna pietate nutrire, & Episcopali cura erudire, quam austere quadam dominatione & propria voluntate gravare.* Vituperanda certe durities Episcoporum in Monachos: hi enim Episcopos vt Patres colere debent, Episcopi Monachos amplecti vt filiolos & susceptos suos. Placet mihi quam maxime media sententia Joannis Episcopi Constantinopolitani, qui Monachos in monasteriis suis modeste quiescentes laudabat, eisque necessaria sollicite procurabat. At si quando prodirent in publicum, ac per vrbem conspicerentur, conviciis eos insectabatur, & ad sua compellebat. Sozomenus libro 8. cap. 9. Duritiem Episcoporum in Abbates vno verbo compescuit Alexander III. cum in gratiam Cisterciensium constituit, vt si Episcopus cum humilitate ac devotione tertium conventus Abbatem noluerit benedicere, Abbati liceat proprios Monachos benedicere, & alia quæ ad officium pertinent exercere, *donec Episcopus duritiem recogitet*, & Abbatem benedicere acquiescat. Cap. *Statuimus* extra *De supplend. negligent. Prælat.*



CAPUT XIV.

Monachi infesti Episcopis. Ne Episcopi accusentur a Monachis.

MONACHIS non pepercere Episcopi, Episcopis quasi non pepercere Monachi. Dissidia & schismata inter vtrosque, quod pene effari pudet, semper extitere. Etiam ipsi Basilio Monachorum parenti & legum latori, graves & infensi fuere Monachi Cæsarienses. Locuples testis Athanasius epistola ad Palladium, qua significat se eis scripsisse, vt quasi filii obediant Patri, ἵν' ὡς τέκνα ὑπακούωσι πατρί. A Mo-

nachis contumeliis affectus Nazianzenus & ipse ex Monacho Episcopus, attestante ipso epist. 81. In Theophilum Alexandrinum Episcopum quot turbas commoverunt Ægyptii Monachi, Origenis errorum insani sectatores, Nicephorus Callistus lib. 13. cap. 10. Joanni Chrysostomo quam molesti fuere Monachi, vagantes & circumforanei. Idem Callistus lib. 13. cap. 9. Zozimus libro 5. Quid Monachi Cantuarienses quam male affecti fuere in suos Archiepiscopos, eo vsque vt Anselmo & Thomæ pro Ecclesiæ libertate tuenda exulantibus, non pepercerint. Joannes Saresberiensis epistola 227. *Monachi Cantuarienses hoc quasi hereditarium semper habent, vt Archiepiscopos suos oderint, & vt verbo faciam fidem, Anselmo, inquiunt, bis pro justitia exulanti nihil vmquam solatii contulerunt, contempserunt Radulphum, oderunt Guillermum, Theobaldo tetenderunt insidias, & ecce nunc Thomam gratis insatiabiliter persequuntur.* Inde ortæ variæ lites inter Monachos Cantuarienses & Archiepiscopos in curia Romana agitatæ, pro capella de Lamech: de quo agitur in cap. *Cum ex injuncto. de oper. nov. nunciat.* & cap. *Dilecti. de appellat.* De hujusmodi Monachorum in Episcopos inobsequio nimis offensi sunt religiosiores Ascetæ. Hieronymus ad Marcum Presbyterum: *Pudet*, inquit, *dicere: De cavernis cellularum damnamus orbem, in sacco & cinere volutati de Episcopis sententiam ferimus. Quid facit sub tunica pœnitentis regius animus? Catenæ, sordes & comæ non sunt diadematis signa, sed fletus.* Et Bernardus ipse Abbas Clarevallensis in Episcopos toto corpore & corde prostratus, in Cantic. sermon. 12. *Fratres, revereamur Episcopos, sed vereamur labores eorum. Si labores pensamus, non affectamus honores. Agnoscamus impares vires nostras, nec delectet molles & femineos humeros virorum supponere sarcinis, nec observemus eos, sed honoremus.* Monachorum vitium istud & labem animorum agnovere Pontifices: ac ne Episcopi paterent insidiis Monachorum, vetuere Episcopos accusari a Monachis. Hadrianus II. in Capitulis capite 31. *Placuit eorum accusandi Sacerdotes & testificandi in eos vocem obstruere, quos non humanis, sed divinis vocibus mortuos esse scimus*, &c. Can. *Placuit* 2. quæst. 7. Idem ante ca-

vit Dionysius Areopagita epistola 8. ad Demophilum Monachum : οὐ θεμιτὸν ἱερέα πρὸς τῶν ὑπὲρ σε λειτουργῶν, ἢ τῶν ὁμοταγῶν σοι θεραπευτῶν εὐθύνεσθαι κἂν ἀσεβεῖν, εἰς τὰ θεῖα δοκῇ, κἂν ἄλλο τι τῶν ἀπειρημένων ἐξελέγχοιτο δράσας. *Nefas est Sacerdotem a ministris, qui te superiores sunt, aut a tui Ordinis Monachis corrigi & reprehendi, sive aliquid impie in divina facere videatur, sive aliquid alìud eorum quæ vetant leges, fecisse arguatur.*



LIBER



ASCETICΩN

SIVE

ORIGINUM REI MONASTICÆ

LIBER QUARTUS.



CAPUT I.

Postulantium vocatio probanda antequam admittantur. Eis legatur regula.



XPOSITO ſtatu Monachorum nunc Ordo rerum exigit vt ſciamus quis ſit modus Probationis & Profeſſionis Monachorum, in Profeſſione quænam edantur vota ſolemnia, & quis ſit effectus Profeſſionis. Quoniam propoſitum Monachorum, quo fideles ſtudio melioris vitæ corpus & animam Deo offerunt, ſe ipſos abnegant, ſibi & omnibus renunciant, eſt valde arduum & periculoſum, & ſumma perfectionis Evangelicæ : non temere admittendi ſunt, qui ad hoc propoſitum accedunt. Sollicite & curioſe ſpectanda eſt

illorum vocatio, ne forte admittantur qui carent recto proposito, & a Deo vocati non sunt. Auctor sermon. ad fratres in eremo sermone 1. *Si quis autem de sæculo ad nostram Congregationem venire desiderat, primo præcipio vt probetur, an voluntas ex Deo sit: non enim debet esse violenta, non coacta, non mobilis, sed sempiterna, virilis, vtilis, constans, & omni spiritu caritatis plena atque perfecta. Tunc enim proponatur ei quomodo abneget voluntatem propriam, & sponte sequatur me: nec vero quod cogitet amplius, quid necesse ei fuerit.* Congruenter regula Benedicti capite 58. *Nouiter veniens quis ad conuersionem, non ei facilis tribuatur ingressus: sed, sicut ait Apostolus, probate spiritus si ex Deo sunt.* Per experimentum obedientiæ maxime probari potest vocatio accedentium ad Monasticen. Hoc argumento patuit vocatio Symeonis Stylitis, quæ nouitate suspecta erat: nimirum is monitus a Patribus eremi, vt nouum hoc vitæ genus dimitteret, & ad eremum transiret, is statim pariturus pedem extulit, vt e columna in qua stabat, se deponeret. Quo permotus nuncius, qui mandatum Patrum perferebat, annuit vt pergeret qua cœperat via, hæc verba effatus: ἴσχυε, καὶ ἀνδρίζου, ἡ στάσις σου παρὰ Θεοῦ ἐστιν. *Bono animo esto, & strenue rem gere, statio tua a Deo est*, vt narrant Euagrius lib. 1. cap. 13. & Nicephorus Callistus libro 14. cap. 51. Vocationis spectandæ causa, qui sese efferebant monasterio, non admittebantur in monasterium, priusquam per decem dies excubassent pro foribus monasterii, patientiæ periculum facturi. Cassianus de institut. Cœnobitar. cap. 3. *Igitur ambiens quis intra cœnobii recipi disciplinam, non ante prorsus admittitur, quam diebus decem, vel eo amplius, pro foribus excubans, judicium perseuerantiæ, ac desiderii sui, pariterque humilitatis ac patientiæ demonstrauerit.* Idem capite 36. ejusdem libri: *In hac quoque humilitate ac patientia, qua vt susciperis in monasterio, decem diebus perseueras, multis lacrymis implorasti: non solummodo persistas, verum etiam proficias atque succrescas.* Idem collat. 20. capite 1. de Abbate Pinufio e suo monasterio ad Tabennense clam emigrante: *Vbi tamen ne vllo habitus sui proderetur indicio, indutus veste sæculari, multis, vt illic moris est, diebus lacrymans pro foribus excubauit, atque ad omnium genua prouolutus, post eorum diuturna fastidia, tan-*

dem vt susciperetur obtinuit. Probatus patientia decem dierum ad ostium monasterii, nondum admittebatur in monasterium: sed dabatur ei locus in cella hospitum, & tradebatur magisterio senioris, qui habebat curam peregrinorum & hospitum, & post annum tradebatur alii seniori, qui decem junioribus instituendis præerat. Cassianus libro 4. de institut. Cœnob. capite 7. Pulsantibus, id est, Monachismum ambientibus, primam illam mansionem in cella hospitum statuit quoque Benedictus, sed pauciores per dies, & inde eos transtulit in cellam Novitiorum. Regul. prædict. cap. 58. *Ergo si veniens perseveraverit Pulsans, & illatas sibi injurias & difficultatem ingressus, post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare, & persistere petitioni suæ, annuatur ei ingreßus, & sit in cella hospitum paucis diebus: postea autem sit in cella Novitiorum, vbi meditetur & manducet & dormiat.* Inde Synodus Aquisgranensis anno Christi 817. canon. 34. *Vt Novitio non facilis in monasterium tribuatur ingreßus, & vt in cella hospitum probationis causa hospitibus serviat paucis diebus.* Ingressuris monasterium vocationis probandæ causa proponebatur via dura & aspera, qua itur ad Deum, semel atque iterum eis legebatur regula, antequam deducerentur in cellam Novitiorum. Benedictus Reg. capite 58. *Prædicentur ei omnia dura & aspera per quæ itur ad Deum*, &c. Adventantibus Novitiis ita durum & asperum sese habebat Bernardus Clarevallensis, vt eis proponeret foris dimittendum corpus quod de sæculo attulerant. Vit. Bernard. libro 1. capite 4. *Postmodum enim cum jam Clarevallis Abbas eßet ordinatus, adventantibus Novitiis & festinantibus ingredi, audire eum soliti sumus prædicantem, ac dicentem: Si ad ea quæ intus sunt festinatis, hic foris dimittite corpora quæ de sæculo attulistis.*



CAPUT II.

Quinam recipiendi in monasterium.

IN probanda vocatione expetentium vestem monasticam spectanda sunt multa: ætas, qualitas, fortuna, conditio,

ingenium, & mores illorum. In his primum ſpectanda eſt ætas. Seniores non recipiendi, quia ſunt indociles & indolatiles, diſciplinam & exercitationes ferre non valentes. Juniores eligendi, quia tenerior ætas facilius componitur ad diſciplinam, vti mollior cera impreſſum characterem facile recipit. Macarium jam ætate ſeniorem in Monachum vix recepit Pachomius Abbas, quaſi impatientem diſciplinæ. λοιπὸν, inquit, εἰς γῆρας ἐλάσας ἀσκεῖν οὐ πῶς δύνασαι· ἀδελφοί εἰσιν ἀπὸ νεότητος ἀσκήσαντες, καὶ τοῖς πόνοις συντραφέντες φέρουσι τὸν κάματον. *Non potes deinceps fieri Monachus, qui ſis tam provectus ætate, non potes te exercere: ſunt fratres qui ſe exercent a juventute, & laborem tolerant.* Paulum Simplicem ætate jam ſexagenarium, poſt tridui decubationem ad oſtium ejus cellulæ, fractus ejus patientia vix admiſit Antonius: ἑξήκοντα ἐτῶν γέρων ἄνθρωπος ὧδε μοναχὸς γενέσθαι οὐ δύνασαι. *Senex ſexagenarius non potes hic fieri Monachus.* De vtroque narrat Palladius Hiſtoriæ Lauſiacæ capite 20. & 28. Cum Pinufius Abbas clam relicto ſuo monaſterio aſſumpta ſæculari veſte, ad Tabennenſe monaſterium migraſſet non ſine multo deſpectu, tandem admiſſus propter ætatis ſenium. Caſſianus de inſtitut. Cœnob. libro 4. capite 30. Puerum ſe in Monachum admiſſum teſtatur Serapion Abbas apud Caſſianum collat. 2. cap. 11. *Cum adhuc eſſem puerulus*, inquit, *& cum Abbate Theone commanerem.* Serius, id eſt, ante annum 40. Sanctimoniales velari vetuit Synodus Agathenſis can. 19. quem Synodo Carthaginenſi falſo tribuit Gratianus. Can. *Sanctimonialis* 20. quæſt. 1. Et hæc fuit vetus diſciplina Eccleſiæ, forte propter levitatem ſexus, quæ ætatis maturitate purgatur, & propter laxiorem regulam, quæ etiam in provectiori ætate ferenda eſt. Ambroſius de Virginibus libro 3. *Aiunt etiam plerique maturioris ætatis virgines eſſe velandas; neque ego abnuo, ſacerdotalis eſſe cautionis debere, vt non temere puella veletur. Spectet plane, ſpectet ætatem Sacerdos, ſed fidei vel pudoris. Spectet maturitatem verecundiæ, examinet gravitatis canitiem, morum ſenectam, pudicitiæ annos, animos caſtitatis. . . Denique non virtutem ætatis appendicem dicimus, ſed virtutis ætatem.* Conjugati quoque non admittendi in monaſterium invita vxore, ne adulterio detur occaſio. Baſilius re-

gular. fusius disputatar. regul. 12. Can. *Agathosa* 27. quæst. 2. & tot tit. *De convers. Conjugat.* Nec probatur quod Theonas invita vxore abjecta, Monachum professus est: de quo Cassianus collatione 21. capite 9. Liberi vero Monachi fieri possunt, etiam invito patre, cujus in potestate sunt. L. *Ut non liceat.* L. *Deo nobis.* §. 1. C. *De Episc. & Cleric.* Novell. Iustin. 123. capite 41. In his quæ sunt Dei & religionis, non spectatur patria potestas: Deus venit in mundum, vt dividat liberos a parentibus. Matth. 10. *Non veni*, inquit, *pacem mittere in terram, sed gladium.* Gladius hic spiritualis est quo abscinduntur liberi a parentibus. Hieronymus ad Heliodorum: *Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine & scissis vestibus vbera quibus te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis avola: solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.* Augustinus in Psalm. 44. interpretans prædicta verba Matthæi: *Placet juveni alicui Deo servire, displicet Patri, divisi sunt adversus se: ille promittit terrenam hereditatem, ille amat cælestem: aliud iste pollicetur, aliud ille eligit: non sibi putet pater factam injuriam, Deus solus illi præfertur. Et tamen litigat cum filio volente servire Deo; sed fortior est ille gladius Spiritualis separans, quam copulans natura carnalis.* Et quod ex can. 5. Gangrensis Synodi si qui filii parentes, maxime fideles, deseruerint προφάσει θεοσεβείας, *prætextu divini cultus*, anathemate damnantur. Can. *Si qui filii* 30. distinct. statutum est specialiter propter liberos qui ab hæreticis seducti religionis obtentu recedebant a parentibus fidelibus, non sine religionis periculo. In monasterium nec recipiendi sunt servi sine consensu domini. L. *Servus.* C. *De Episc. & Cleric.* Novell. Iustin. 123. cap. 35. Concil. Chalced. can. 4. Can. *Qui vere* 16. quæst. 1. Can. *Si quis incognitus* 17. quæst. 2. Basilius regular. fusius disputatar. interr. 11. Onesimum Philemonis servum e fure & fugitivo ad fidem conversum domino remisit Paulus: de quo extat ipsius Apostoli epistola ad Philemonem, qua servum meliorem factum ei commendat. *Forsitan enim*, inquit, *ideo discessit ad horam a te, vt æternum illum reciperes.* Ubi Hieronymus: *Nonnumquam malum occasio fit bonorum, & hominum prava consilia*

Deus vertit ad rectum. Rei jam postulati criminis non admittuntur ad militiam. L. vltim. ff. *De re milit.* neque ad monasterium: & ob delictum ante ingressum religionis commissum, nihil vetat eos puniri a judice sæculari, juxta Constitutionem Sixti V. Covarruvias practicar. quæst. cap. 32. Jul. Clarus Prax. criminal. §. vltim. quæstione 6. num 43. Non desunt tamen qui metu mortis ob delictum secedentes in eremum, ad summæ sanctitatis apicem pervenere, quales memorantur Moses Abbas & Macarius, digni exemplo Mosis, qui a cæde Ægyptii recens secessit in montem Sina, ibique dignus est habitus visione Domini: de quo Sozomenus lib. 6. cap. 29. Palladius Histor. Lausiacæ cap. 17. Cassianus collat. 3. cap. 5. Latronem quendam Monachum effectum abjecto habitu captum scelerum pœnas dedisse narrat Moschus Limon. cap. 166. Latronem tamen post publicam confessionem scelerum in Monachum attonsum, & in fratrem receptum, probat Joannes Climacus scal. 4. Constitutione Mauritii militiæ vel ratiociniis publicis obligati arcebantur omnino a Clericatu & Monastice. Hanc ita temperavit Gregorius, vt obligati rationibus publicis non admittantur ad monasterium, priusquam ratiociniis publicis absoluti sint, neque milites, antequam per triennium in habitu sæculari probati sint. Testatur ipse libro 7: epistola 11. Can. *Legem* 53. distinct. Item obærati, puta debitores fisci vel privatorum, non sunt suscipiendi in monasterio, ne in monasterio latere videantur in fraudem fisci vel creditorum. Basilius regul. brevior. capite 94. Rodericus tom. 2. quæst. regul. quæst. 63. art. 6. & tom. 2. quæst. 10. art. 9. Laborantes etiam morbo sentico seu perpetuo vel contagioso, puta lepræ, epilepsi, non sunt suscipiendi: etsi professi fuerint, eorum Professio est nulla & irrita. Rodericus tom. 3. quæst. regular. quæst. 17. art. 9. Etiam Monachi alterius monasterii suscipi vetantur sine licentia Abbatis sui. Concil. Agathens. can. 58. Can. *Monachum* 20. quæst. 4. & regul. Benedicti cap. 71. Goffridus Abbas Vindocinensis libro 4. epistola 2. ad Pontium Abbatem Cluniacensem, de Petro Goscelini Monacho Vindocinensi, qui transierat ad Cluniacenses. *Quod si alicujus privilegii auctoritate Monachum de noto & regulari*

monasterio sine licentia sui Abbatis vobis retinere conceditur, hujus auctoritas privilegii contra sancti Benedicti regulam nititur. Alias non idem est de Monachis ac de Clericis: Monachos enim de quacumque diœcesi suscipi nihil vetat, etiam invito suo Episcopo, quia monasteria sunt loca pœnitentiæ, quæ patent omnibus converti studentibus. Augustinus epist. 15. ad Quintianum Episcopum. *Miror ergo prudentiam tuam, quod me admonueris, vt jubeam non recipi eos, qui ad nos a vobis ad monasterium veniunt, vt quod statutum est a nobis in Concilio, permaneret. Recense ergo Concilium, & omnia quæ ibi legeris commenda memoriæ: & ibi etiam invenies de solis Clericis fuisse statutum, non etiam de laicis, vt vndecumque venientes non recipiantur in monasterium, non quia monasterii facta mentio est, sed quia sic institutum est, vt Clericum alienum nemo suscipiat.* Spurii non arceantur a Monachatu. Cap. 1. extra *De filiis Presbyter.* quia Professio purgat labem natalium. Gloss. in cap. vlt. eodem tit. Chopin. 1. Monastic. tit. 3. num. 7. de quo plura suo loco. Denique ne a monasterio repellantur egeni, quod per famem & inopiam Deus ad se homines trahat, optimus mihi auctor est Hieronymus lib. 7. in Esaiam cap. 23. *Sæpe videmus in sæculo quosdam de alio proposito transire ad aliud, verbi gratia vt qui militiam male experti sunt, transeant ad negotiationem, rursumque causidicos bellatorum arma corripere: mutant industriam, vt mutent infelicitatem; & nihilominus dispensatione Dei, his quos salvare dignatur, omnia nitentibus evenire contraria, vt per inopiam ac miserias cogantur non in se, sed in creatore suo habere fiduciam.* Optandum est vt boni ingrediantur religionem, quo meliores fiant: mali non rejiciendi, sed diligentius probandi. Augustinus in Psalm. 99. *Nam quid dicturus est mihi quisquis talibus locis forte præest, imo servit fratribus in his quæ monasteria dicuntur: quid dicturus es? Cautus ero, nullum malum admittam. Quomodo nullum malum admittes? Nullum hominem malum, nullum fratrem malum intrantem admissurus sum, cum paucis bonis bene mihi erit. Vbi cognoscis quem forte vis excludere? Ni cognoscatur malus intus, probandus est. Quomodo ergo excludis intraturum, qui postea probandus est, & probari nisi intraverit, non potest?*

CAPUT III.

Professionis regularis tempus.

RELIGIONIS candidati ad Professionem admittendi non sunt, priusquam probentur, ne si admittas expertes disciplinæ, facile & cum rubore deficiant a proposito, vel non idonei reperti turpiter ejiciantur. Ad Olympicos ludos non admittebantur athletæ, nisi prius exercitati palæstra, & jurati se decem menses adimplesse *εἰς ἄσκησιν, in exercitationem*, vt tradit Pausanias in Eliac. 1. Quanto convenientius idem desideratur in agone spirituali, in quo non de inanis gloriæ compendio, sed de summa rerum, de salute ac de Christi regno certatur. Hac comparatione vsus Cassian. de instit. Cœnob. libr. 4. cap. 13. *Cumque nos nulla concupiscentiæ turpis respersos infamia examen certamini præsidentis invenerit, nec fuerimus ab eo vt servi carnis & ignobiles indignique Olympiacis vitiorum colluctationibus judicati, tunc poterimus contra coævos nostros, id est, concupiscentiam carnis & motus ac perturbationes animæ, inire certamen.* Et idem cap. 16. ejusd. lib. *Itaque ventris & gulæ concupiscentia hoc intuitu superata, nec servi carnis, nec infames vitiorum nota pronuntiati, velut in Olympiacis disciplinis judicabimur superiorum quoque certaminum digni esse conflictu.* Ingredientibus monasterium proponi omnia dura & aspera, regulam eis legi justis intervallis, semel atque iterum & tertium injuriis & conviciis eorum patientiam tentari, præcipit Regula Benedicti cap. 58. quod ex vsu Patrum Ægyptiorum translatum: sic enim Pinufium in Tabennensi monasterio post decem dierum excubationem pro foribus monasterii, lacrymis madentem, ad Patrum genua provolutum, post longa eorum fastidia tandem susceptum refert Cassianus collat. 20. cap. 1. His tamen modus adhibendus. Probandi tyrones, sed vt probentur, non statim supra modum onerandi, ne insueti oneris mole oppressi deficiant: nec rursus nimis eis indulgendum est,

est, ne mollioribus innutriti asperiora ferre non valeant. Isidor. Pelusiot. lib. 1. epist. 258. τοὺς τῶν μοναχῶν νεοπαγεῖς οὔτε καταφορτίζειν δεῖ τοῖς τοῦ κανόνος ζυγοῖς, ἵνα μὴ εὐθὺς ἐν προοιμίῳ ἀπείπωσιν, οὔτε ἀδαμάστους καὶ ἀπόνους ἐᾶν, ἵνα μὴ πρὸς ῥαθυμίαν ἐμπέσωσιν. *Monasticos tyrones nec regulæ jugo onerare oportet, ne statim in initio animo frangantur; nec rursus indomitos ac malorum expertes relinquere, ne in socordiam & ignaviam prolabantur.* Juniores non vt servi, sed vt filioli cum caritate tractandi. Basil. regular. fusius disputatar. regul. 15. ἀλλ' ἐκτρέφεσθαι μὲν αὐτὰ ἐν πάσῃ ἀγάπῃ ὡς κοινὰ τέκνα τῆς ἀδελφότητος. *Sed educandi illi quidem sunt cum omni caritate, non secus ac si communes totius fratrum collegii filii essent.* Eadem est fere sententia Gregorii lib. 5. epist. 49. Indict. 14. *Quisquis, inquit, divina inspiratione compunctus, relictis sæculi hujus actionibus ad Deum converti festinat, ita cum caritate suscipiendus est, & blandis per omnia consolationibus refovendus est, vt in ea quam elegit Deo adjuvante delectetur modis omnibus conversationem persistere.* Tyrones post decem dierum vel pauciorum excubationem ad ostium monasterii, & post justam mansionem in cella hospitum seu peregrinorum, probationis causa collocantur in cella Novitiorum, quæ erat distincta a claustro Professorum. Regul. Benedict. cap. 58. *Postea autem sit in cella Novitiorum, vbi meditetur & manducet & dormiat, & mox tunc ducatur in cellam Novitiorum.* In Cassinensi monasterio a Desiderio Abbate seorsim extructam cellam Novitiorum refert Leo Ostiensis Chronic. Cassinens. lib. 3. cap. 31. *Ab Occidentali parte claustri Novitiorum cellam decenter aptavit, in qua juxta institutum regulare meditari, quiescere atque comedere Novitii ipsi deberent.* Et cum Carlomanus frater Pipini ignotus Cassinense monasterium expetiisset, vt ibi in Monachum admitteretur, in cella Novitiorum cum socio locatus. De quo Regino 2. Chronic. ad ann. 746. *Spiritualis Pater ejus precibus annuens, præcepit eum in cella Novitiorum recipi vna cum suo collega, probari secundum quod regula jubet.* De Bernardo Clarevallensi postea Abbate memoratur jam annum eum exegisse in cella Novitiorum, cum inde exiens ignoraret, an domus ipsa (ea erat Cistercium) habet testudinem, quod solemus vocare doma seu

A a

fastigium: de quo in vita ipsius Bernardi lib. 1. cap. 4. *Iam quippe annum integrum exegerat in cella Novitiorum, cum exiens inde ignoraret, an haberet domus ipsa testudinem, quam solemus dicere celaturam.* Ejusd. vit. eod. lib. cap. 13. *In cellam Novitiorum probandum intromisit.* Et infra: *Vidit idem Stephanus, sicut confessus est, cum in cella Novitiorum adhuc demoraretur, Maurulum quendam puerum ab oratorio se extrahentem.* Novitiis seorsim diætam seu cœnaculum ponit Basil. regular. fusius disputatar. cap. 15. ἀφωρεῖσθαι δὲ καὶ οἴκους καὶ δίαιταν τοῖς τ' ἄρσεσι τῶν παίδων, καὶ ταῖς θηλείαις. *Seorsimque ipsis locus & diæta in qua habitent, assignari debet.* Novitii præter cellam seu diætam habebant etiam chorum proprium, & segregatum a choro Professorum. Cæsarius de Miraculis libro 4. cap. 54. *Cumque Novitius in choro Novitiorum staret, & clamores Monachorum in choro superiori super caput suum cantantium frequenter exciperet, tentari cœpit.* Novitiis Probationis & disciplinæ gratia imponitur Magister, vnus e senioribus, qui eos instituat regularibus in officiis. Regula Benedict. cap. 58. *Et senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum omnino curiose intendat, & sollicitus sit si vere Deum quærit, si sollicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria.* Imo & Novitiis adhuc in cella hospitum, quæ erat in vestibulo monasterii, stantibus, suus erat senior seu Magister. Cassian. de institut. Cœnobitar. lib. 4. cap. 7. *Cum igitur quis susceptus fuerit, non statim congregationi fratrum commisceri permittitur, sed deputatur seniori; qui seorsum haud longe a vestibulo monasterii commanens habet curam peregrinorum & advenientium deputatam.* Interim dum Novitii probantur, qua humilitate & devotione se habere debeant, ex his intelliges, quod seniori seu Magistro cogitationes malas statim notas facere debent, ne tentationibus frangantur. Regul. Bened. cap. 4. *Cogitationes malas cordi suo advenientes, mox ad Christum allidere, & seniori spirituali patefacere.* Quod a Patribus Ægyptiis haustum videtur. Cassian. de instit. Cœnob. lib. 4. cap. 9. *Consequenter instituuntur, nullas penitus cogitationes prurientes in corde perniciosa confusione celare, sed confestim, ut exortæ fuerint, eas suo patefacere seniori.* Quod & repetit idem collat. 2. cap. 10. Et iisdem sine Præpositi permissu, ne quidem na-

turalis necessitatis causa, pedem efferre licet. Cassian. de instit. Cœnob. lib. 4. cap. 10. *Post hæc tanta observantia obedientiæ regula custoditur, vt iuniores absque Præpositi sui scientia vel permissu, non solum non audeant cella progredi, sed ne ipsi quidem communi ac naturali necessitati satisfacere sua auctoritate præsumant.* Initium Probationis Novitiorum confessio omnium peccatorum, qua eluantur omnes labes vitæ anteactæ. Ita Cæsarius de Miraculis lib. 3. cap. 1. *Necessarium est scire ista Novitiis maxime, qui mox post conversionem suam omnia peccata quæ commiserunt, tenentur Abbati suo confiteri.* Dum probantur Novitii, debent stare in timore, & adversus tentationes colluctari. Bernard. in Cantica sermon. 33. *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem*, &c. Olim Novitii probabantur in veste sæculari, nec vestem mutabant ante Professionem. Regul. Benedict. cap. 58. *Suscipiendus frater in oratorio exuatur rebus propriis, quibus vestitus est, & induatur rebus monasterii.* Synod. Aquisgranens. ann. Christi 817. can. 34. *Ipse vero nec tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedientiam promittat.* Et Synod. Romana apud Gregor. lib. 4. epist. 44. Indict. 13. *Quisquis ex iuris ecclesiastici servitute ad Dei servitium converti desiderat, probetur prius in laico habitu constitutus.* Idem fuit ritus apud Patres Ægyptios. Cassian. de instit. Cœnob. lib. 4. cap. 5. *Susceptus in concilio fratrum productus in medium exuatur propriis, ac per manus Abbatis induatur monasterii vestimentis.* Hodie ingredientes monasterium in ipso Probationis initio vestem mutant, & regularem suscipiunt, ne in pari professione dispar sit habitus. Concil. Trident. sess. 25. *de Regular.* cap. 15. Olim etiam Novitii non admittebantur ad Professionem ante triennium. Novell. Iustin. 5. cap. 2. & Novell. 123. cap. 35. Synod. VI. in Trull. can. 41. Hodie Probatio est vnius anni, ita vt Professio ante annum non valeat. Cap. *Ad Apostolicam. de Regular.* cap. *Non solum.* cap. *Constitutionem* eod. tit. in 6. Conc. Trident. sess. 25. *de Regular.* cap. 16. de quo plura infra dicemus.





CAPUT IV.

Novitii dicti Pulsantes, Incipientes, ἀρχάριοι, εἰσαγόμενοι. An pro religiosis habeantur.

NOVITII donec profiteantur, proprie Monachi vel religiosi non sunt, quia Monachum facit Professio. Can. *Monachum* 20. imo inter laicos censentur: quam ob causam dicuntur Novitii, vt distinguantur a Professis, exemplo servorum, quos inter Novitii dicuntur qui nondum annum servierunt. L. vlt. §. *Quotiens. ff. de publican.* Necnon iidem ejusdem distinctionis causa, dicuntur Pulsantes, quasi stantes & pulsantes ad ostium, nondum ingressi monasterium. Regula Benedicti, quæ mihi est vice legis Apostolicæ, cap. 58. *Ergo si veniens perseveravit pulsans, annuatur ei ingressus, & sit in cella hospitum paucis diebus.* Et in vita sancti Walerici apud Surium 1. Aprilis. *Perspecta itaque tanta ejus gratia, beatus Pater Columbanus jussit eum inter probatos recipi Monachos, quem alii tanquam Novitium inter Pulsantes statuendum censuerant.* Unde locus Probationis, vel saltem in quo ingredientes monasterium primitias probationis experiuntur, vocatur Pulsatorium. Capitulare Aquisgranens. *Ut ad monasteria venientes secundum regularem ordinem primò a Pulsatorio probentur, & sic recipiantur.* Eadem analogia iidem promiscue Incipientes vel Novitii dicti. Cassian. collat. 20. cap. 1. *Ac furtim ascendens navem, ad Palæstinam Syriæ provinciam transmeavit, ubi velut Incipiens atque Novitius in illo, in quo nos degebamus, monasterii receptus habitaculo, in nostra cella ab Abbate præceptus est commanere.* Et quod idem significat Græcis ἀρχάριοι. Dorotheus doctrin. 4. οὗτος ἀκμὴν ἀρχάριός ἐστιν. *Hic adhuc Novitius & Incipiens est.* Joannes Climacus scal. 4: καὶ ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἀρχαρίων κατατάττει χώρᾳ. *Et in novissimorum tyronum locum redegit.* Hesychius: εἰσαγωγικούς, νεαρούς, ἀρχαρίους, *introductos, juniores, incipientes.* Euchologium Græcorum: ἀκολουθία εἰς ἀρχάριον ῥασοφοροῦντα.

Ordo instituendi Incipientem rasam ferentem. ῥασοφόρειον id erat genus vestis peculiare, quo vtebantur Novitii, a quo Græcis dicti ῥασόφοροι. εἰσαγωγικοὺς voca etiam Climac. grad. 20. τοῖς εἰσαγωγικοῖς πρῶτον ἐν τῷ πολέμῳ ὑποσέρχεται. *Tyronibus primum movet bellum.* Eosdem νεοπαγεῖς, Neophytos tyrones vocat Pelusiota lib. 1. epist. 258. τοὺς τῶν μοναχῶν νεοπαγεῖς. Quem æmulatus Joannes Climacus grad. 4. ἐγὼ ἐκεῖσε παρὼν τῶν τινῶν τῶν νεοπαγῶν πίστιν. *Admiratus ego præsens ibi quorumdam tyronum fidem.* Inde beneficium Novitii non vacat ante Professionem: & si forte id dimiserit interim, & postea ante Professionem egressus sit monasterio, datur ei regressus ad beneficium. Can. *Gonsaldus* 17. quæst. 2. Cap. *Beneficium. de Regular.* in 6. Cap. *Ex transmissa. de renunciat.* Et vt consulatur Novitio, non debet is renunciare beneficio sine consensu Superioris, nec priusquam altero mense ante Professionem. Concil. Trident. sess. 25. *de Regular.* cap. 16. Flamin. Paris. *de resignat. benefic.* lib. 3. quæst. 13. Eadem ratione iidem non habent vocem in Capitulo Cap. vlt. extr. *de stat. Monach.* Clem. *Ut ii qui. de ætat. & qualit. & ordin. præfic.* Et ante Professionem de bonis suis disponere possunt, & si disponant, habent suos heredes. Gloss. in cap. 2. de *Regular.* in 6. Conc. Trident. sess. 25. *de Regular.* cap. 16. Capitulare Aquisgranens. can. 34. *Res vero quas habet,* (Novitius) *parentibus suis commendet: expleto autem Probationis suæ anno, secundum quod regula præcipit inde faciet.* Novitii tamen in aliis pro religiosis habentur, & gaudent jure & privilegiis regularium: puta gaudent privilegio fori, nec in civilibus vel criminalibus causis possunt conveniri coram judice sæculari. Et siquis eos percusserit, incidit in excommunicationem latæ sententiæ, id est, can. *Si quis suadente.* Cap. *Religioso.* §. vlt. *de sentent. excommunic.* in 6. Et Novitio vacans beneficium conferri non potest. Gloss. in d. cap. *Beneficium.* Nec is vtitur jure retractus gentilitii. Quæ omnia fuse persequitur Tiraquell. de retract. gentil. §. 1. gloss. 8. num. 21. & seqq. Tamburinus de jur. Abbat. tom. 3. disp. 6. quæst. 27. & 28.





CAPUT V.

Ne quid exigatur pro ingressu monasterii. Ne plures Monachi recipiantur, quam res monasterii ferre possunt.

QUALITER Novitii recipiantur, jam observatum est: nunc an pro receptione illorum pecunia exigi possit, videamus. Sicut ordinatio Clericorum, ita & receptio Monachorum, quæ est genus ordinationis, debet esse gratuita. Ex Conciliis Lateranensi & Turonensi (vtrumque est habitum sub Alexandro III.) districte vetatur ne quid a Novitiis exigatur pro ingressu monasterii: alioquin simonia contrahitur. Cap. *Monachi. de stat. Monach.* cap. *Non satis.* cap. *Veniens. de simonia.* Idem ante statuit Synod. Melfitana can. 12. Can. *Nullus Abbas* 1. quæst. 2. & Synod. VII. quæ est Nicæn. II. can. 19. & Capitulare Aquisgranens. can. 75. Etiam pro receptione Monialium ne quid exigeretur prætextu paupertatis, vetuit Concil. generale Lateranense habitum sub Innocent. III. Cap. *Quoniam* extr. *de simon.* Sed si quid vltro offeratur sine pacto, nihil vetat accipi. Cap. *Tua nos* eod. tit. Regul. Benedict. cap. 58. Goffrid. Vindoc. lib. 4. epist. 49. *Nihil tamen pro faciendis Monachis quærimus: sed si quid oblatum fuerit, quia illud regula suscipi jubet, suscipimus.* Imo quod vetitum fuit quidpiam exigi pro receptione Monialium, abrogatum est constitutione Martini V. vt consulatur egestati Monialium, quæ honeste paupertatem ferre non valent. Gloss. in Pragmatic. tit. *De Annat.* §. 1. *vers. labore.* De his Guid. Papa quæst. 80. & ibi Ferret. & Capell. Tolos. decis. 311. Certe veterum Patrum sententia fuit, pro his qui suscipiendi sunt in monasterio, quicquam accipiendum non esse, ne de his quæ obtulerint, intumescant, vel fratres qui vacui & inanes admissi sunt, confundantur: quod vitandum esse monuit Apostolus 1. Corinth. 11. de iis qui in Ecclesia epulas inferrent: *Confunditis eos qui non habent.* Basilius regul. brevior. capite 304. Cassianus de institut. Cœnob. libro 4.

cap. 3. & 4. Quis vero modus adhibendus sit in numero Monachorum: non plures scilicet recipiendi sunt, quam quot commode ali possint de facultatibus monasterii. Concilium Arelatens. III. can. 8. Concilium Turonens. III. can. 21. Rhemens. II. canone 27. Cap. 1. extr. *de institut.* L. 33. C. Th. *De Episc. & Cleric.*

CAPUT VI.

Professionis solemnia. Alia expressa, alia tacita.

PROBATIONEM rite curriculo vnius anni emensam sequitur Professio. Professio est actus legitimus & solemnis, quô Novitius post impletam annalem Probationem, solemni voto renunciat sæculo, & profitetur religionem. Chrysostomus in Genes. Homil. 21. *μὴ γὰρ ἀπεταξάμην, μὴ γὰρ μόναχος εἰμι. Numquid renunciavi sæculo? numquid Monachus sum?* Et in eandem sententiam Augustinus de verb. Dom. sermon. 19. *Numquid Monachum sum professus aut Clericum?* Hic actus dicitur simpliciter Professio, quia est testatio solemnium votorum, quæ in Professione emittuntur. Cassian. de institut. Cœnob. lib. 7. cap. 16. *Aut si Professionem Monachi re atque opere cupiant experiri.* Idem collat. 1. capite 20. *Quo genere sunt illi quoque decepti, qui post Professionem Monachi, nitore sermonis & quibusdam sunt Philosophorum dogmatibus illecti.* Eadem appellatur & propositum, quia est propositum religiosæ mentis Deo se dicantis. Possidonius in prolog. vitæ Augustini: *Memor propositi mei.* Et Augustinus ipse Retractat. lib. 2. cap. 21. *Inter aliquot inferioris propositi, sed tamen studio ferventes.* Unde hæc duo quasi synonyma conjungit Cassian. collat. 17. cap. 29. *Sine jactura Professionis ac propositi nostri.* Abbatis est recipere Professionem Monachorum. Cap. *Porrectum.* cap. *Ad Apostolicam. de Regular.* can. *Nullam* 18. quæst. 2. Joannes Moschus in Limonar. cap. 143. *ταῦτα ἀκούσας ὁ ἀββᾶς ἐδέξατο αὐτὸν ἔνδον τοῦ μοναστηρίου, καὶ ἀποκείρας δέδωκεν αὐτῷ τὸ ἅγιον σχῆμα. Hæc audiens Abbas*

suscepit eum intra monasterium, tondensque illum tradidit ei religiosum habitum. Indignante Polyeneto Patriarcha C P. quod Romanus Augustus Joannem quemdam ex Monacho Clericum inter cubicularios admisisset, negavit Imperator eum rite professum esse: ἢ εὐχὴν παρά τινος τῶν ἱερέων λαβεῖν. *Ab ullo Sacerdote*, id est, Abbate Presbytero, *benedictionem suscepisse*. Cedren. in Romano. Aliquando tamen de consuetudine receptio Professionis Monachorum pertinet ad Abbatem & Monachos. Cap. ult. & ibi Gloss. *de Regular.* in 6. Oldrad. consil. 97. Boer. decis. 260. Et hæc intelligenda sunt de Abbate regulari: Abbatis enim commendatarii nullæ sunt partes in receptione Professionis Monachorum, quia non habet jurisdictionem spiritualem, sed tantum administrationem, nisi sit Cardinalis: quo casu Abbatis regularis jure utitur. Chopinus Monastic. libro 1. tit. 2. Idem de Doman. lib. 3. tit. 28. Professio fit Deò, Abbas est testis Professionis, non dictator seu stipulator. Bernardus epist. 7. ad Adam Monachum. *Item notum est solemniter ac regulariter profiteri quemque in præsentia Abbatis. In præsentia ergo tantum, non etiam ad nutum ipsius fit cujusque Professio: testis proinde adhibetur Abbas, non dictator Professionis.* Idem epist. 108. ad Thomam de S. Audomaro: *Testis accitus sum, & non dominus voti.* Professio fit publice in Ecclesia ante altare. Profitens prius interrogatur ab Abbate, an renunciet sæculo: professus se renunciare, fusa benedictione tondetur, & detracta veste sæculari induitur veste monastica, & sacræ communionis fit particeps. Dionysius Areopagita de Ecclesiastic. Hierarch. cap. 6. ὁ μὲν ἱερεὺς ἕστηκεν ἐπὶ πρόσθεν τοῦ θείου θυσιαστηρίου, τὴν μοναχικὴν ἐπίκλησιν ἱερολογῶν. ὁ δὲ τελούμενος ὄπισθεν τοῦ ἱερέως ἕστηκεν, οὐκ ἄμφω τὼ πόδε, οὐκ ἕνα τῶν ποδῶν, οὐκ ἐπὶ κεφαλῆς ἔχων τὰ θεοπαράδοτα λόγια, μόνον δὲ τῷ ἱερεῖ παρεστὼς ἱερολογοῦντι τὴν ἐπ' αὐτῷ μυστικὴν ἐπίκλησιν. τελέσας δὲ αὐτὴν ὁ ἱερεὺς ἐπὶ τὸν τελούμενον ἐλθών, ἐπερωτᾷ πρῶτον αὐτόν, εἰ πάσαις ἀποτάττεται ταῖς διαιρεταῖς, οὐ μόνον ζωαῖς, ἀλλὰ καὶ φαντασίαις. εἶτα τὴν τελειοτάτην αὐτῷ ζωὴν ὑφηγεῖται, μαρτυρούμενος ὅτι χρὴ τῆς μέσης αὐτὸν ὑπερανεστηκέναι. ταῦτα δὲ πάντα τοῦ τελουμένου προσεχῶς ὁμολογήσαντος, τῷ σταυροειδεῖ τύπῳ σφραγισάμενος αὐτὸν ὁ ἱερεύς, ἀποκείρει τὴν τριπλῆν τῆς θείας μακαριότητος ἐπιβοήσας ὑπόστασιν,

ὑπόστασιν, καὶ τὴν ἐσθῆτα πᾶσαν ἀπαμφιέσας, καὶ μετὰ τῶν ἄλλων ἱερῶν ἀνδρῶν ὅσοι πάρεισιν, ἀσπασάμενος αὐτὸν κοινωνὸν ἀποτελεῖ τῶν θεαρχικῶν μυστηρίων. *Sacerdos quidem ſtat ante divinum altare, precationem quæ Monachos attingit, recitans ac pronuncians: is autem qui conſecratur & initiatur, ſtat poſt Sacerdotem, nec vtrumque genu flectit, nec alterum, nec caput habet ſuppoſitum a Deo traditis Evangeliis; ſed tantum præſto eſt Sacerdoti, qui myſticam precationem pro ipſo recitat. Sacerdos vero ea perfecta cum ad eum qui initiatur, venit, illum rogat primum, num remittat nuncium, non ſolum dividuis diſtinctiſque vitiis, verum etiam imaginationibus; deinde perfectiſſimam ei vitam exponit, hoc pro teſtimonio dicens, eum mediam vitam ſuperare ac tranſilire oportere. Quæ vbi omnia is qui initiatur, continenter profeſſus eſt ſe eſſe facturum, Sacerdos ſigno crucis eum conſignatum tondet, appellans tres perſonas divinæ beatitudinis, omnique veſte detracta eum alia induit, & cum aliis ſanctis viris qui adſunt, cum eum ſalutavit, participem facit divinorum myſteriorum.* Ritus ſolemnes Profeſſionis hic vnus omnes fere collegit hoc loco: alios alii ſparſim tradidere. Ritum interrogationis Baſilius 2. ad Amphiloch. can. 19. ἡγοῦμαι προηγεῖσθαι προσήκειν, ἐρωτᾶσθαι αὐτούς, καὶ λαμβάνεσθαι τὴν παρ' αὐτῶν ὁμολογίαν ἐναργῆ. *Exiſtimo præcedere oportere, vt ipſi interrogentur, & evidens ipſorum accipiatur Profeſſio.* Ritum benedictionis, ſolemnitatem numeri teſtium Ivo Carnotenſ. epiſtola 41. *Quod vero poſtea multiplicatis Monachorum Congregationibus, Profeſſiones ab eis exactæ ſunt, & benedictiones ſuper eos datæ, quadam cautela factum eſt, vt monaſticus Ordo quanto firmius in conſpectu Dei & hominum & ſolemnius ligaretur, tanto robuſtius & devotius ab ipſis ſervaretur; & ſi qui vellent ab hoc propoſito recedere, teſtimoniis pluribus convincerentur, & tamquam jurati in Chriſti Sacramenta tyrones ad propoſitum ſuum reverti cogerentur.* Solemnem confeſſionem Profeſſioni præviam non tacuit Joannes Climacus ſcal. 4. ἐξομολογησάμενον τοῦτον ἐπιτρέψας ὁ θεῖος ἀποκαρθῆναι, καὶ τοῖς ἀδελφοῖς συγκαταριθμηθῆναι. *Confeſſum ſtatim jubet in Monachum attonderi, & Fratribus cooptari.* Quandoque Profeſſio & raſura Monachorum fiebat in Capitulo. Cæſarius de Miraculis lib. 4. cap. 51. *Novitius quidam cum in Hemmenrode ſatis tranquille annum peregiſſet Probatio-*

nis, & voluntate ſtabilitatis expreſſa in Capitulo radendus eſſet in Monachum. In Profeſſione Profitenti induitur cucılla, quæ eſt veſtis talaris, cum caputio. Rufinus de vit. Patrum lib. 1. cap. 9. *Inter quos acceſſit ad eum adoleſcens quidam, cupiens ejus eſſe diſcipulus, cui ille cum habitum Monachorum, hoc eſt, lobetam & cucullam ac melotem, quæ eſt caprina pellis, impoſuiſſet, docere eum de cæteris Monachorum inſtitutionibus cœpit.* Et Cæſarius de Miraculis lib. 1. cap. 3. *Ecce tali intentione legit Profeſſionem, promiſit obedientiam, induit cucullam.* In Profeſſione mutatur nomen, quaſi ea novi hominis natalis ſit & regeneratio. Balſam. in can. 5. Synod. Conſtantinopolitan. I. & II. *τινῶν γὰρ εἰσελθόντων εἰς μοναστήρια, καὶ ῥασοφορησάντων, ἴσως καὶ μετὰ τρισαγίου ἐν ναῷ, καὶ μετονομασθέντων, καὶ ἁπλῶς κατὰ μοναχοὺς ἀναστρεφομένων. Cum enim aliqui monaſteria ingreſſi eſſent, & raſa induti, & cum in Triſagio in templo & nomen mutaviſſent, &, ut ſemel dicam, inſtar Monachorum & intra & extra verſarentur.* Nicephorus Gregor. lib. 9. de Andronico ſeniore. *ἄκοντος ἑκόντος τήν τε κόμην κείρουσι ταύτης, καὶ τὸ μοναχικὸν σχῆμα περιτιθέασι, καὶ ἐς Ἀντώνιον τὸ ὄνομα μεταφέρουσι. Volentem nolentem tondent, & cucullo induunt, atque Antonium nominant.* Leo Oſtienſis in Chronic. Caſſinenſ. lib. 3. cap. 4. de Gregorio Abbate. *Is Deſiderium multa hilaritate ſuſcipiens, quia cunctis deſiderabilis erat; tunc primum mutato ejus nomine, Deſiderium appellari juſſit, nam uſque ad id tempus Dauferius vocabatur.* Profeſſio alia eſt expreſſa, alia tacita. Expreſſa eſt quæ fit ſolemniter in ſcriptis adhibita ſubſcriptione vel ſigno Profitentis, poſt probationem per annum. Concilium Tolet. X. can. 4. & 5. Can. *Vidua* 20. quæſt. 1. can. *Omnes feminæ* 27. quæſt. 1. Profeſſio expreſſa requirit ſcripturam & teſtes, nec probatur niſi per litteras, non per teſtes. Can. *Legum* 2. quæſt. 1. Gloſſ. in cap. 1. *de cenſib.* in 6. quod Conſtitutione Moliſnenſi artic. 55. ſancitum eſt. Profeſſio tacita eſt quæ fit per geſtationem habitus monaſtici vltra annum, vbi non eſt diſtinctus habitus Profeſſorum & Novitiorum. Cap. *Ex parte. de Regular.* cap. 1. eod. tit. in 6. Clem. *Eos qui* eod. tit. Cap. vn. *de vot. & vot. redempt.* Hoc refert inter Profeſſionem expreſſam & tacitam, quod prioratus vel adminiſtratio regu-

laris non poteſt conferri niſi expreſſe Profeſſis. Cap. *Nullus.* cap. *Indemnitatibus. de elect.* in 6. Clem. *Ne in agro.* §. *Caeterum. de ſtat. Monachor.* Chopinus 1. Monaſtic. tit. 3. numero 4. Alias Profeſſio tacita æque obligat religioni ac expreſſa. Goffridus Windocinenſis lib. 4. epiſt. 28. *Igitur ſi conſuetudinaria Profeſſio, quæ fit viſibiliter, & benedictio illum, ſicut dicitis, non tenet ligatum, propoſita devotio religionis, in qua adhuc perſeverat, mundo amplius non patitur eſſe ſolutum, præſertim cum illam Profeſſionem ſua voluntate jam feciſſet, & ſuſcepiſſet benedictionem, ſi per nos ei dilatum non extitiſſet.*



CAPUT VII.

De Profeſſione ſingularia quædam. Profeſſio repetita.

OLIM Profeſſio non fiebat ante triennium. Nov. Juſtin. 5. & nov. 123. cap. 35. auth. *Verum.* C. *De Epiſcopis & Clericis.* Synod. Conſtantinopolit. I. & II. can. 5. apud Balſamon. Quod petitum eſt ex regula Pachomii, de qua Sozomen. lib. 3. cap. 13. τὸν δὲ συνοικεῖν αὐτοῖς βουλόμενον, προσέταξεν ἐπὶ τριετίαν τὰ χαλεπώτερα τῶν ἔργων πονεῖν. *Siquis cum ipſis habitare cuperet, ut primo omnium ad triennium gravioribus laboribus exerceretur, & ita eorum convictus particeps fieret.* Et Pallad. hiſt. Lauſiac. cap. 38. τὸν μὲν τοι εἰσελθόντα εἰσάπαξ συμμεῖναι αὐτοῖς. ἐπὶ τριετίαν εἰς ἀγῶνα ἀδύτων αὐτὸν οὐ δέξῃ, ἀλλ᾽ ἐργατικώτερα ἔργα ποιήσας, οὕτως εἰς τὸ στάδιον ἐμβαινέται μετὰ τὴν τριετίαν. *Semel ingredientem, nec valentem cum eis ad triennium ſuſtinere certamen, non admittes. Sed cum opera fecerit difficiliora, ſic prodeat in ſtudium poſt triennium.* Imo & non ante quadriennium ſc. extra Clauſtrum, & triennium in Clauſtro. Synod. VI. in Trull. can. 41. Hodie Profeſſio fit poſt annum Probationis. Profeſſio ante impletum annum Probationis eſt nulla & irrita. Cap. *Porrectum.* cap. *Ad Apoſtolicam. de Regular.* cap. *Non ſolum* eod. tit. in 6. Concil. Trident. ſeſſ. 25. *de Regular.* cap. 15. Vitæ D. Bernardi lib. 4. cap. 1. *Nec longe aberat dies, qua poſt annuam ex*

more Probationem, nouum indueret hominem, si non prius hominem exuisset. Iure veteri Professio ante pubertatem, emissa non valet. Can. *Illud* 20. quæst. 1. can. *Pueri* 22. quæst. 5. Concilium Moguntin. can. 23. cap. 1. *de Regularibus.* cap. *Ad nostrum.* cap. *Significatum.* cap. *Virum* eod. tit. Imo & ex Constitutione Gregorii I. Professio non valebat ante plenam pubertatem, id est, ante 18. annum, in monasteriis quæ erant in insulis maris, propter cæli & soli asperitatem. Can. *Quia autem* 20. quæst. 1. cap. *Quia in insulis. de Regularibus.* Hodie in personis vtriusque sexus Professio nulla est ante impletum 16. annum. Concilium Tridentin. sess. 25. *de Regularibus* cap. 15. Item non valet Professio, nisi facta sit in vna ex religionibus approbatis. Cap. vnic. *de vot. & vot. redempt.* Hinc Rubrica de regular. & transeuntibus ad religionem est accipienda de transeuntibus ad vnam ex religionibus approbatis. Professio debet esset libera: per vim & metum extorta, nullius est momenti. Cap. *Perlatum. de his quæ vi metusve causa.* Hinc Abbas Cassinensis in Synodo apud Cyperanum Leonis Ostiensis lib. 4. cap. 1. *Non vult,* inquit, *Deus coacta servitia: vnde si contra voluntatem monasterium arripuistis, institutum vestrum erit, vel relinquere illud, vel tenere.* Et instante Polyeneto P. CP. apud Constantinum Imperatorem, vt Joannem quendam ex Monacho Clericum Palatinum domo arceret, non annuit Imperator, causatus eum non rite & vere professum, sed propositum simulasse, *διὰ τὸν τοῦ βασιλέως φόβον, metu Imperatoris,* refert Cedren. pagina 529. Professio igitur per vim & metum extorta est nulla; sed superveniente consensu convalescit. Cap. *Significatum.* cap. *Cum virum. de Regular.* nempe olim silentio anni & diei. Can. *Puella* 20. quæst. 1. cap. *Siquis. de Regular.* vel silentio quinquennii. Concilium Tridentin. sess. 25. *de Regular.* cap. 19. Si enim Professus proclamare potuit, cur tamdiu tacuit? Cap. 1. *de frigid. & malefic.* cap. vlt. *Qui Cleric. vel vovent. matrim. contrah. poss.* Item Professio facta ab Episcopo sine licentia summi Pontificis non valet, cum non possit dimittere sponsam, id est, Ecclesiam, sine licentia summi Pontificis. Cap. *Nisi cum pridem.* cap. *Post translationem* extr. *de renunciat.* Tamburinus tom. 3. de jur.

Abbat. disputat. 6. quæst. 16. Inde memoratur Gaufridus Silvanectensis Episcopus cessisse episcopatu impetrata licentia summi Pontificis, & Monachum professum in cœnobio Caroli loci Cisterciensis Ordinis. Rigord. in Philippo 4. anno 1213. *Gaufridus Silvanectensis Episcopus sentiens se tam ætate quam corpulentia ponderosa insufficientem oneri quod jam per triginta annos portaverat, impetrata a summo Pontifice, sicut in jure cautum est, licentia, renunciavit episcopatui, & transtulit se ad Monachos Karoli loci Cisterciensis Ordinis.* Similiter non valet Professio facta a servo sine consensu domini, reclamante domino intra biennium. Can. *Siquis incognitus* 17. quæst. 2. Nulliter Professus potest reclamare contra Professionem intra quinquennium; vltra non auditur, nisi vis & metus & impedimentum reclamandi duret vltra quinquennium. Reclamans hæc tria observare debet. Primum, vt reclamet intra quinquennium, non durante impedimento. Secundum, ne habitum ante reclamationem deponat. Tertium, vt causas nullitatis suæ Professionis proponat coram Ordinario & suo Superiore. Concilium Tridentin. sess. 25. *de Regular.* cap. 19. Tamburinus de jure Abbatum tom. 3. disputat. 6. quæst. 25. Roderic. quæst. regular. tom. 3. quæst. 18. articul. 16. & 17. Nullitas Professionis disceptanda est apud Ordinarium vna & Superiorem regularem, quia ejus est potissimum scire an justa sit causa reclamandi contra Professionem. Hoc jure Archiepiscopo Consentino conquerente apud Urbanum II. in Synodo habita apud Cyperanum, se sede sua pulsum per Rogerium Siciliæ Regem, & invitum Monachum tonsum, Pontifex rem judicandam rejecit ad Abbatem Cassinensem tamquam proprium judicem rei. Leo Ostiensis Chronic. Cassinens. lib. 4. cap. 51. *Ad hæc Papa, Non, inquit, hoc attinet ad me; hujusmodi quippe cognoscere & vindicari, Abbati Cassinensi prædecessores mei sua auctoritate contulerunt: ideoque Cassinensis Abbas super hac re respondeat.* Nulliter Professus intra quinquennium potest reclamare contra Professionem apud Ordinarium & Superiorem, post quinquennium non auditur; non prohibetur tamen propter restitutionem adversus vota a summo Pontifice post quinquennium, impetrato in hanc rem rescripto Pontificio: sed post quinquennium non licet reclamare apud Or-

dinarium & Superiorem jure ordinario. Et ita judicavit Oliva lib. 1. cap. 5. Non omittendum hoc loco quod post quinquennium restitutus adversus vota, non restituitur vt succedat bonis paternis vel maternis, vel vt repetat beneficium, cui semel renunciavit, vel vt revocet alienata medio tempore, quia restitutio non retrograditur in præjudicium tertii. Flamin. Paris. *De resignat. benefic.* lib. 3. quæst. 13. num. vlt. Oliva lib. 5. cap. 5. Professio est actus legitimus & solemnis, qui non recipit conditionem. L. *Actus legitimi de Rl.* Puta Professio non potest ita fieri, vt proprium quis retineat: quia illud est contra substantiam voti, & sic indispensabile, etiam per summum Pontificem. Pontifex quidem de plenitudine potestatis potest quempiam absolvere a Monachatu, & de Monacho facere non Monachum: sed stante Professione non potest cum eo dispensare, vt proprium retineat. Cap. *Cum ad monasterium* in fin. & ibi Gloss. extr. *de stat. Monach.* Rebuff. *de regia ad Prælat. nominat.* §. *Monasteriis*, in verb. *religiosis* in Concordat. Chopinus Monastic. lib. 1. cap. 3. num. 8. Staphil. *de litteris gratiæ.* tit. *Religios. Profess.* num. 12. Barbos. Juris Ecclesiastic. lib. 1. cap. 2. num. 131. Etsi Professio sit vice baptismi qui iterari non debet, cap. vlt. extr. *de baptism.* tamen non est novum nec inutile Professionem repeti, vt firmius servetur repetitum propositum. Virginem semel in Basilica Petri consecratam, rursus in monasterio Betlheemitico Deo dicatam narrat Hieronymus in Sabinianum Diaconum, *qui virginem Deo sacram ad stuprum sollicitaverat post Apostoli Petri Basilicam, in qua Christi flammeo consecrata est post crucis & resurrectionis Dominicæ Sacramenta, in quibus rursum in monasterio victuram spoponderat.* Primum Professio fiebat ante altare, tum repetebatur ante crucem cellæ, in ingressu ipsius cellæ. Petrus Damian. lib. 6. epist. 13. *Recordare, venerabilis Pater, quia te præsente Frater ille, & prius ante sanctum altare Ecclesiæ, & postmodum ante crucem cellulæ, sub excommunicationis se denotavit elogium, si nostri prioratus obedientiam ex industria vlterius violaret.* Laudandi Patres Societatis JESU, qui ex regula iterum in anno, in festis Resurrectionis Dominicæ & Nativitatis, vota sua, qualiacumque sint, repetunt.

Quo mirum in modum fovetur vigor & genius religionis, recenti ſemper in animis votorum & promiſſionum memoria. Nec diſpari forte conſilio, licet impari gratia, in myſteriis gentilium ſolemnia initiationis ſæpius repetebat Sacerdos iis qui initiabantur. Dio Chryſoſt. orat. 17. ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς μυστηρίοις ὁ ἱεροφάντης οὐχ ἅπαξ προαγορεύει τοῖς μυουμένοις ἕκαστον ὧν χρὴ, τὸν αὐτὸν τρόπον, καὶ τοὺς ὑπὲρ τῶν συμφερόντων λόγους, ὥσπερ ἀπόῤῥησιν ἱερὰν λυσιτελεῖ πολλάκις, μᾶλλον δὲ ἀεὶ λέγεσθαι. *Quemadmodum enim in myſteriis Sacerdos non ſemel tantum prædicat iis qui initiantur, vnumquodque eorum quæ oportet, eo modo & ſermones de vtilibus rebus, tanquam ſacram prædicationem conducit frequenter, imo ſemper haberi.* Eodem conſilio in rebus politicis ſacramentum in nomen Principis quot annis inſtaurari ſuadebat Meſſala. Tacit. 1. Annal. *Addebat Meſſala Valerius renovandum per annos ſacramentum in nomen Tyberii.* Eodem ingenio Mediolanenſibus in ordinem redactis a Friderico Ænobarbo lex dicta, vt præſtaretur quoquo quinquennio jusjurandum ſolemne de pace ſervanda. Gunter. Ligurin. lib. 8.

Ac ne forte ſacra veniant oblivia pacis,
Singula juratam renovent quinquennia formam.

Nec omittendum quod vt Profeſſio firmior eſſet jurejurando ſancita, de Profeſſione Carolomanni teſtatur Anaſtaſ. in Zachar. *Et poſt aliquantum temporis ad beati Benedicti, quod in Aquinenſium finibus ſitum eſt, profectus eſt monaſterium, in quo & ſuam finiri vitam jure profeſſus eſt jurando.* Unde Profeſſionem monaſticæ religionis ſacramentum vocat Goffridus Vindocinenſ. lib. 2. epiſt. 30. *Cariſſime Pater & Domine, per primæ regenerationis, & per monaſticæ religionis ſacramentum, veterem exuiſſe hominem, & induiſſe novum me profiteor.* Optime quia Profeſſio regularis eſt jurata, & Profeſſio ſolemnis habet vim ſacramenti.



CAPUT VIII.

Merita & effectus Professionis regularis.

EXPOSITIS solemnibus monasticæ Professionis, subit disquirere quænam sit gratia, quis effectus Professionis. Varia sunt charismata, varii effectus Professionis. I. Professionis præcipua & singularis gratia est, quod benedictio Professionis confert Spiritum sanctum, quasi ordinationis vice testata miraculis. Cæsarius de Miracul. libro 1. cap. 3. *Noverunt multi Henricum Conversum de claustro Hemmenrode, Magistrum in grangia, quæ vocatur Hart, qui testatus est Spiritum sanctum in specie columbæ super caput cujusdam Novitii descendisse, cum in Monachum benediceretur ab Abbate.* II. Professio religiosa habet vim & gratiam baptismi, & secundum baptisma vocatur. Hieronymus ad Paulam de obitu Blesillæ: *Cum propitio Christo ante quatuor fere menses secundo quodammodo se propositi baptismo laverit, & ita deinceps vixerit, vt calcato mundo semper monasterium cogitaverit, non vereris, ne tibi Salvator dicat: Irasceris, Paula, quia filia tua, facta est filia mea.* Idem ad Demetriadem: *Nonne quia sæculum reliquisti, & secundo post baptismum gradu inisti pactum cum adversario tuo, dicens ei: Renuncio tibi, diabole, & sæculo tuo, serva fœdus quod pepigisti.* Et Bernardus de præcept. & dispensat. sub finem: *Audire*, inquit, *& hoc vultis a me, vnde inter cætera pœnitentiæ instituta, monasterialis disciplina meruerit hanc prærogativam, vt secundum baptisma nuncupetur: arbitror, ob perfectam mundi abrenunciationem*, &c. III. Professio monastica solvit alia omnia vota, ita vt in votum religionis alia omnia vota transfundantur. Cap. *Scripturæ* extra *De vot. & vot. redempt.* Divus Thomas 22. quæst. 88. artic. 12. add. 1. Anselmus libro 3. epistola 33. ad Richardum Monachum: *Audivi, frater mi, quia antequam Monachus fieres, in ægritudine venisti, te iturum ad sanctum Ægidium: & idcirco modo timidus & nimis sollicitus es de voto illo solvendo, ita vt quiescere non possit cor tuum, nisi ad sanctum Ægidium iveris:*

de

de qua re non debet, &c. Et infra: *Certus enim esse debes, quia cum te ipsum Deo totum vovisti, & reddidisti per monachicam Professionem, solvisti omnia vota minora quarumlibet actionum, quæ prius sine jurejurando & fidei allegatione promisisti.* Idem libro 3. epistola 154. *De voto Monachi, de quo nostrum vultis audire consilium, qui antequam ad nostrum Ordinem veniret, vovit se numquam amplius vinum bibiturum: hoc mihi videtur esse faciendum, quod fit a majoribus nostri Ordinis, & maxime apud Cluniacum, videlicet ut hujusmodi vota, quæ fiunt sine promissione fidei & sacramento, in voto monachichi Ordinis, in quo homo quicquid ad se pertinet & se ipsum totum Deo offert, judicentur esse completa, & sit in dispositione Prælati, vel ea servare rationabiliter, vel mutare.* Et Cæsarius de Miraculis libro 1. capite 6. *Habet Ordo Cistercienſis a Sede sibi Apostolica indultum, ut cruce signatus, vel voto cujuslibet alterius peregrinationis obligatus, si transire voluerit ad Ordinem, Deo & facie Ecclesiæ sit absolutus.* IV. Professio etiam solvit irregularitatem, quæ oritur ex defectu natalium, non in totum, sed quoad Ordines, & quoad minora beneficia, non quoad dignitates & Prælaturas regulares obtinendas. Ex Concilio Pictaviensi capite 1. *De filiis Presbyterorum*, & ex Concilio Claromontensi habito sub Urbano II. apud Matthæum Parisiens. ad ann. 1195. & ex Constitutione Urbani II. quæ est in can. *Presbyterorum*. Can. *Nisi* 56. distinct. Ratio canonum est, quia Professio propter meritum actus quo quis se Deo offert, detergit omnem humanam maculam. Novell. 5. *De Monachis* in princip. Chopin. Monastic. libro 2. tit. 3. num. 7. V. Effectus Professionis est, quod Professi pro mortuis habentur: institutum vitæ monasticæ est mortis genus. Eugenius IV. *Monachus sedeat solitarius & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit.* Can. *Placuit* 16. quæstione 1. Balsamo in can. 41. Synod. VI. in Trull. *μέγα τι καὶ τολμηρὸν ἐστι καταμόνας ἡσυχάσαι τινὰ, καὶ ἐν βραχυτάτῳ οἰκίσκῳ ἐγκλεῖσαι ἑαυτὸν ὡς τεθνεῶτα παρ' ὅλον τὸν τῆς οἰκείας ζωῆς χρόνον. Magna quædam res est & incœptum valde audax, separatim & in solitudine quiescere, ac silentium agere, seipsumque in exigua domuncula tamquam toto vitæ suæ tempore mortuum includere.* Joannes Climacus Scal. Paradis. grad. 27. *ὑπομενητικὸς ἀνὴρ*

πρὸ μνήματος τέθνηκε, μνῆμα ἑαυτῷ τὴν κέλλαν ποιησάμενος. *Vir patiens ante mortem est mortuus, qui cellam suam in sepulcrum vertit.* Hinc & Monachismum νεκροποιὸν διαγωγὴν, *mortificantem vitæ rationem*, appellat idem Balsamo in canone 6. Synod. Constantinopolitan. I. & II. Cassianus collat. 24. capite 9. *Abbas Apollo, Ignoras ergo, ait, me quoque ante annos viginti huic mundo fuisse defunctum, nullaque jam posse de hujus cellæ sepulcro, quæ ad præsentis vitæ pertineant statum, tibi solatia conferre.* Hinc Monachi judicio neque convenire, neque conveniri possunt. Can. *Nullus* 2. quæst. 1. Non possunt Clericum accusare, vel adversus eum testificari, quia vocem habent funestam. Can. *Placuit* eadem causa & quæst. can. *Canonica* 3. quæst. 5. Chopin. de S. Polit. libro 3. cap. 1. num. 17. Capell. Tolos. quæst. 20. Iidem non possunt pro aliis postulare in foro. Cap. 2. *De postuland.* Vita D. Gosuini libro 3. capite 36. *Alienæ causæ numquam voluit proloquutor fieri, sed magis elegit humilis Monachus appellari, quam causidicus curialis.* Non possunt parochialia seu curam animarum exercere, prædicare verbum Dei, sine licentia Episcopi. Can. *Placuit.* can. *Interdicimus.* can. *Juxta.* can. *Adjicimus* 16. quæstione 1. Monachus non docentis, sed lugentis habet officium. Hieronymus ad Riparium: *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium, qui vel se vel mundum lugeat.* Can. *Monachus* 16. quæst. 1. Chrysostomus 1. ad Timoth. Homil. 14. ὄντως οἰκεία πένθους τὰ μοναστήρια. *Vere domus luctus monasteria sunt.* Bernardus in cantic. sermon. 64. *Et scimus Monachi officium esse non docere, sed lugere. Ex his nempe claret & certum est, quod publice prædicare, nec Monacho convenit, nec Novitio expedit, nec non misso licet.* Inde semel Professi non possunt testari de rebus suis. Ex Novell. Justin. 5. cap. 5. & Novell. 123. cap. 38. & 48. Novell. Leon. 5. L. 5. C. Theodos. *De bon. Cleric. & Monach.* & Constitutione Gregorii I. Can. *Quia ingredientibus* 19. quæst. 3. idque ne quidem ex dispensatione Summi Pontificis. Cap. *Cum ad Monasterium* in fin. *De statu Monach.* Et si dispensetur, ab executione dispensationis licet appellare, tanquam ab abusu. Durantus quæst. 13. Brodeus in Loetium in litt. C. num. 8. & litt. R. num. 41. Explosis Constitutionibus Gregorii, ex

quibus licebat Pontifici dispensare cum Monachis, vt testarentur: de quo Gregorius libro 9. epistola 22. Indictione 4. & idem libro 11. epist. 5. Indict. 4. Ante Justinianum Monachos jus testandi habuisse aperte insinuat Lex *Si quis Presbyter.* C. *De Episc. & Cleric.* Si Monachus intestatus decesserit, non existentibus liberis, nec parentibus vel cognatis, bona ejus acquiruntur monasterio. Cui congruit Novell. 123. cap. 38. vnde desumpta est authen. *Si qua mulier.* C. *De SS. Eccles.* Leges Wisigoth. libro 4. tit. 2. num. 12. Juxta hujus temporis vsum memoratur testamentum Antonii magni, quo tritam melotem & pallium Athanasio, a quo novum acceperat, Serapioni Episcopo alteram melotem, fratribus cilicium reliquit, teste ipso Athanasio in ejus vita in fine, & Hieronymo. Monachos si non testarentur, suos heredes habere maluit Augustinus epistola 19. in 2. Appendic. *Nam quum quisque ad monasterium convertitur, si veraci corde convertitur, illud non cogitat, maxime admonitus quantum malum sit: vsque adeo autem eodem jure Presbyteri Honorati est illud vnde agitur, vt non solum alibi ordinatus, sed adhuc in Tagastensi monasterio constitutus, si re sua non vendita, vel per manifestam donationem in quempiam translata moreretur, nonnisi heredes ejus in eam succederent, sicut Frater Æmilianus in illos triginta solidos fratri Privato successit.* Hodie semel Professi testari non possunt, & si ante Professionem intestati decedant, habent suos heredes, nec eis succedit monasterium. Nec enim in Gallia servatur authen. *Ingressi.* C. *De SS. Eccles.* ex qua ingressi monasterium ipso ingressu se suaque dedicant Deo, nec de his testantur, vtpote nec domini rerum. Monachus etiam Professus quasi mortuus non potest esse executor testamenti. Cap. *Religiosus. de testament.* in 6. Clementina vnic. eodem tit. Concilium Tridentinum sess. 22. *De reformat.* capite 8. Rodericus quæst. regular. tom. 3. quæst. 70. art. 1. Eadem ratione Monachus tutoris vel curatoris officio fungi non potest. Novell. 123. cap. 5. authent. *Presbyteros.* C. *De Episc. & Cleric.* d. cap. *Religiosus. de testament.* in 6. Nam Monachi non possunt fungi officio judicis sæcularis. Cap. *Sed nec. ne Cleric. vel Monachi sæcul. negot. se immisc.* Can. *De præsentium* 16. quæstione 1. Notatur Justinianus II. quod

Monachum quendam Theodotum nomine Logothetam creasset. Paulus Diaconus libro 22. *Similiter & in generalis Logothesii rebus constituit Monachum quendam Theodotum nomine, qui primo inclusus fuerat in Thracensibus Augusti partibus, sed & in ipsum sævissimum existentem*, &c. Iidem arcentur prorsus a Republica, etiam ab officiis palatinis. Indignante Polyeneto Patriarcha Constantinopolitano, quod Romanus Imperat. Joannem quendam ex Monacho Clericum suos inter cubicularios recepisset, hoc pacto se excusavit, quod per vim & metum Professum diceret, ex Cedreno. Non prohibetur tamen Monachus vel Canonicus regularis esse Vicarius Episcopi. Gloss. in d. can. *De præsentium*. & in cap. *Statutum. de rescript.* in 6. Joannes Andreas in cap. vltim. *De Cleric. ægrot. vel debilit.* demptis Mendicantibus. Clement. *Ut Professores. de regular.* Concilium Tridentin. sess. 25. *De reformat.* cap. 4. Rebuff. in Prax. part. 1. in form. Vicariat. num. 30. 32. Guid. Pap. quæst. 212. Marcus quæstione 1285. part. 1. ne Monachi desint Ecclesiæ, si forte eorum ope & consilio egeat. VI. Professionis effectus est, quod si Monachus Professus eligatur in Episcopum, ordinatione non desinit esse Monachus, neque solvitur votis religionis, sed absolvitur a jurisdictione Abbatis, & jugo regulæ, & quicquid postea acquirit, acquirit monasterio. Can. *De Monachis* 16. quæst. 1. can. *Statutum* 18. quæst. 1. cap. *Cum olim. de privileg.* Monachus Episcopus vel Cardinalis creatus vestem mutare non potest. Synod. Constantinopolit. VIII. act. 10. capite 27. Can. *Sanctimonialis.* & ibi Gloss. 23. distinct. cap. *Clerici* extra *De vit. & honest. Cleric.* Matthæum ex Monacho Cluniacensi Cardinalem, & Albanensem Episcopum, quod exemplo Martini nihil de Monacho mutasset, laudat Petrus Cluniacensis de Miraculis libro 2. capite 14. *Provectus ergo ad sublimem Pontificalis ordinis gradum, & super Ecclesiæ candelabrum ad lucendum omnibus, qui in domo Dei erant, magnifice exaltatus, nihil de Monacho quorumdam more dimisit, sed sicut de magno Martino legitur, eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas mansit.* De his Boer. decis. 158. Chopin. de sacr. Polit. libro 2. tit. 8. num. 11. Idem libro 1. Monastic. titulo 3. num. 7. Loetius in litt. E.

num. 4. VII. Professionis effectus est, quod parentibus non licet liberos quasi ingratos exheredare ob eam causam, quod monasterium ingressi sint. L. *Ut non liceat*. L. *Deo nobis*. §. 1. C. *De Episc. & Cleric.* Novell. 123. cap. 41. Can. *Non liceat* 19. quæst. 3. quod statutum est, quia parentes solebant exheredare liberos odio Monachismi: de quo dolet Salvianus libro 3. ad Eccles. *Denique si qui a parentibus filii offeruntur Deo, omnibus filiis postponuntur oblati, indigni judicantur hereditate, qui digni fuerant consecratione, ac per hoc una tantum re parentibus viles fiunt, quia cœperunt Deo esse pretiosi*, &c. VIII. Professionis effectus est, quod Professio monastica æquatur matrimonio, & conditio nuptiarum impletur per Professionem: puta si legetur puellæ sub conditione nuptiarum, legatum debetur puellæ, si monasterium ingrediatur. Novell. Justinian. 123. capite 37. authent. *Nisi rogati*. C. ad Trebell. IX. Professionis effectus est, quod monasterium est loco filii, puta si cui fideicommissum relictum sub conditione liberorum, & monasterium ingrediatur, fideicommissum debetur. Novell. 123. cap. 3. d. authent. *Nisi rogati*. & L. *Sancimus*. §. *Item illud statuimus*. C. *De Episc. & Cleric.* X. Professionis effectus, quod si sponsalia solvantur ingressu monasterii, sponsus sine ullo damno arrhas recipit, nec sponsa tenetur in duplum, sed hoc dumtaxat restituit, quod accepit: nam & nuptiis solutis per Monachismum, unusquisque res suas recipit pro dote vel ante nuptias donatione traditas, & hoc tantum lucri consequitur, quod debetur a lege vel ex pacto in casum mortis. d. L. *Deo nobis*. An Professio monastica inducat capitis minutionem negat Cujacius in d. Novell. 5. contra Accursium, optima ratione, quia nec civitatem, nec libertatem, nec familiam adimit. *Non omnis*, inquit, *status mutatio, capitis minutio est; manumissio non est capitis minutio*. L. 3. ff. *De capit. minut.* Senatu motio non est capitis minutio. L. 3. *De Senator.* L. pen. *de extraord. cognit.* Monachismus non est capitis minutio: nam & jus legitimarum hereditatum Monachi habuere. L. ultim. §. *Hoc etiam*. C. *De Episc. & Cleric.* & ante d. Novell. 5. habuere bona propria, & testamenti factionem. L. *Generali*. C. *De SS. Eccles.* Nec testa-

mentum irritum fit Monachiſmo, quod tamen irritum fit capitis minutione vel minima. Quod probatur d. Novell. 5. & Novell. 76.



CAPUT IX.

Monachum facit aut propria Profeſſio, aut paterna devotio ſeu oblatio. Ritus oblationis liberorum manu involuta palla altaris.

MONACHUM facit aut propria Profeſsio, aut paterna devotio, id eſt, oblatio. Concilium Toletanum IV. can. 48. Can. *Monachum* 20. quæſt. 1. & Concil. Wormat. can. 23. Cap. *Cum virum. de Regular.* Solebant parentes liberos impuberes offerre Deo, vt fierent Monachi, adhibitis pluribus teſtibus, vt tolleretur occaſio maledicti, id eſt, calumniæ. Concilium Aquiſgranenſe can. 36. quem perperam laudat Gratianus ex nona Synodo. Can. *Non oportet* 20. quæſtione 2. Hujus inſtituti auctorem habemus Baſilium, qui regular. fuſius diſputatar. interrog. 15. pueros in monaſteria admittit, ἀπὸ πρώτης ἡλικίας, *ab ipſa prima ætate*, ita vt parente deſtituti, ſolo admittentis arbitrio: qui vero Patrem haberent, ab ipſo oblati coram multis teſtibus accederent. Solemnis fuit hujuſmodi oblatio liberorum: moris fuit a parentibus liberos offerri ad altare, manu involuta palla altaris. Regula Benedicti cap. 59. *Si quis forte de nobilibus offert filium ſuum Deo in monaſterio, ſi ipſe puer in minoritate eſt, parentes ejus faciant petitionem, & manum pueri involvant in palla altaris, & ſic eum offerant.* Hoc argumento probabat Lamberti pater, Profeſsionem filii nullam eſſe, quod abſque patris oblatione & Abbatis benedictione effectus eſſet Monachus, vt refertur in can. *Præſens* 20. quæſt. 3. qui eſt Nicolai I. ad Epiſcopos Galliæ: *Neque ego pater pallio altaris indutum illum obtuli.* Eodem argumento Profeſsionem Roberti Nepotis apud Cluniacenſes, quod petitio pro eo non fuiſſet facta a parentibus, nec oblatus fuiſſet manu involuta

palla altaris, nullam & irritam esse probabat Bernardus epistola 1. *Videant & judicent quid potius stare debuerit, an votum patris de filio, an filii de se ipso, præsertim cum filius aliquid majus devoverit. Videat & famulus tuus Legislator noster Benedictus, quid regularius fuerit, utrum quod factum est de infantulo, nesciente ipso, aut quod ipse per se postmodum prudens & sciens fecit, cum jam ætatem haberet, ut de se loqueretur, quamquam dubium non sit promissum illum fuisse, non donatum: nec enim petitio, quam regula præcipit, pro eo facta fuit a parentibus, nec manus illius cum ipsa petitione involuta palla altaris, ut sic offerretur coram testibus.* Pari ritu traditio sponsæ fiebat apud altare, manu obvoluta palla altaris, id est, pallio quo obtegitur altare. Ejus rei singularis est locus in vita sancti Aichadri apud Surium 15. Septembr. *Tum herus apprehensa mulieris dextera, manu pallio obvoluta, ut habet mos nuptiarum, coram adstantibus conservis, conjuge & prole, hilari vultu collocavit eam illi in matrimonium.* Nec sine traditione alicujus prædii quasi pro dote a parentibus fiebat oblatio liberorum. Leo Ostiensis Chronic. Cassinensis libro 1. capite 16. *Quidam etiam vir dives Waco nomine Beneventanus in expeditione constitutus, obtulit monasterio filium suum nomine Wachipertum cum xx. possessionibus suis variis in locis constitutis.* Ekkeard Junior de casibus monaster. sancti Galli capite 10. de Burkardo ingenito: *Pater illum tandem nutricis sinu abductum, Gallo ut cum matre voverat, super aram ipsius ponens, cum terris in Hoesten & decimis multum matrem plorans initiaverat.* Hoc jure Cluniacenses dicebant Robertum oblatum monasterio, & prædium pro illo traditum. Bernard. prædict. epistola 1. *Ostenditur deinde terra quæ cum illo & pro illo dicitur data fuisse: sed si cum terra eum receperunt, cur non & cum terra eum retinuerunt?* Solebant pueri offerri monasterio a parentibus in Ordine beati Benedicti, & inde multis sæculis profecit sanctissimus Ordo, magistra rerum experientia docente in ista tenella ætate facilius pueros imbui disciplina, quam provectiores ætate. Concilium Aquisgranense can. 45. *Ut schola in monasterio non habeatur, nisi eorum qui oblati sunt.* Cæsarius de Miracul. libro 6. capite 37. *In diœcesi Treverensi monasterium quoddam Sanctimonialium*

ſitum eſt, Lutere vocabulo: in hoc ex quadam antiqua conſuetudine nulla recipitur puella, niſi ſeptennis ſit vel infra, ad conſervationem ſimplicitatis. Et Thomas Cantipratenſis Apum, libro 1. capite 17. *In monaſterio nigri Ordinis puer quidam nobilis a parentibus traditus eſt, diſciplinis regularibus educandus.* Idem libro 2. capite 36. *Antiquiſſimo more ſervatum eſt in Ordine ſancti Benedicti, a cunabulis fere pueros indui, & ſic eoſdem ibidem per vitæ innocentiam educari: quod contra tamen ſæpius actum audivimus, nec approbamus per omnia puerum rationis expertem vovere quod neſcit, ſed potius adultum quemlibet, qui poſſit diſcretive reprobare quod diſplicet, & electione digna approbare quod placet.* Licebat parentibus liberos offerre monaſterio vſque ad pubertatem, non vltra. Concilium Toletanum X. can. 6. Can. *Si in qualibet* 20. quæſt. 2. Nec a jure vſuque veterum aliena eſt hujuſmodi devotio parentum. Jure civili pater poteſt vovere liberos, & filiusfamilias ſine auctoritate patris voto non obligatur. L. 2. §. 1. ff. *De pollicitat.* Et hoc de jure veteri Pontificio ductum, cujus ſcientiſſimus Virgil. lib. 11.

Ipſe pater famulam voveo.



CAPUT X.

Conſecratio Virginum.

SERIUS admiſſa eſt Profeſſio Virginum quam virorum propter fragilitatem & levitatem ſexus, quæ ſenioris ætatis probationem deſiderat. Primum Sanctimoniales ante annum 40. non velari placuit. Can. *Sanctimoniales* 20. quæſtione 1. quem Gratianus laudat ex Concilio Carthaginenſi can. 41. Labente diſciplina eo perventum eſt, vt virgines conſecrarentur poſt 25. annum. Concilium Carthaginenſe III. can. 4. Can. *Placuit* eadem cauſ. & quæſt. Concilium Agathenſe canon. 19. Turonenſe III. can. 28. Synodus VI. in Trullo canon. 6. Imo non ante 60. annum. Anaſtaſius in Leone I. *Hic conſtituit vt Monacha non acciperet velaminis capitis*

capitis benedictionem, nisi probata fuerit in virginitate sexaginta annorum. Ad Episcopum pertinet consecratio, id est, benedictio puellarum: hæc ita propria est Episcoporum, vt vetetur Presbyteris. Concilium Carthaginense II. can. 3. Can. *Si jubet* 26. quæstione 6. Can. *Perlectis vers. ad Episcopum* 25. distinct. Hieronymus ad Demetriadem: *Scio quod ad imprecationem Pontificis flammeum virginale sanctum operuit caput.* Hinc Felicem Episcopum, vnum e Donatistis, qui virginem cui mitellam, id est, velum, imposuerat, stupravit, increpat Optatus Milevitanus libro 2. *Supra memoratus Felix inter crimina sua & facinora nephanda ab eo comprehensa puella, cui mitram ipse imposuerat, a qua paulo ante Pater vocabatur, nepharie incestare minime dubitavit.* Consecratio virginum non modo vetita est Presbyteris, verum etiam Chorepiscopis. Can. *Quamvis.* can. *Chorepiscopi* 68. distinct. Presbyter inconsulto virgines consecrare non potest. Concilium Carthaginense III. can. 86. Can. *Presbyter* 26. quæstione 6. Sed non prohibetur Presbyter virgines consecrare de licentia Episcopi: vnde Concilio Parisiensi can. 41. gravius redarguuntur Presbyteri, quod virgines consecrassent. Consecrationem virginum Episcopo reservatam, sed tamen si vsurpetur a Presbyteris, forte sine licentia Episcoporum, non iterari ab Episcopis ait Ivo Carnotensis epistola 41. *Unde nec consecratio virginum, quæ ex auctoritate Apostolica Episcoporum privilegio reservatur, si aliquando a Presbyteris vsurpetur, propter sacramentum Christi & Ecclesiæ quod ibi continetur, nullatenus ab Episcopis iteratur.* Abbatissa vetatur puellam aut viduam velare. Can. *Statuimus* 20. quæst. vnde desumptus est can. 43. Concilii Parisiensis, licet vsu aliud receptum scribat Marcus decis. 959. quem vsum damnavit Innocentius III. in cap. *Nova quædam. de pœnitent. Nova quædam*, inquit, *nostris sunt auribus intimata, quod Abbatissæ Moniales proprias benedicunt*, &c. Virgo cum offertur Episcopo ad consecrationem, debet præsentari in veste religiosa, non sæculari. Concilium Carthaginense IV. can. 11. Can. *Sanctimonialis* 23. distinct. Solebat offerri Episcopo, & recipi manu involuta palla altaris. Ordo Romanus: *Virginem Episcopo parentes cum oblatione offerant, & ille involu-*

tam manum ejus in palla altaris recipiat. Professio puellarum & viduarum æque ac virorum debet fieri solemniter in scriptis, adhibita subscriptione Profitentis, apud Sacerdotem vel Ministrum, id est, Presbyterum vices agentem Episcopi. Concilium Toletanum X. canone 4. Can. *Vidua* 20. quæst. Concilium Parisiense can. 40. Pro solemni consecratione virginum certi dies erant constituti, vti pro ordinatione Clericorum. Can. *Devotis.* can. *Virgines* 20. quæstione 1. Professionis virginum & viduarum hoc discrimen est, quod virgines consecrantur, id est, benedicuntur: viduæ tantum velamen & nigram vestem assumunt. Can. *Devotis.* can. *Vidua* 20. quæstione 1. Regino 2. Chronic. *Eodem anno Berengarius quondam Italiæ Rex exul moritur, & in Babengerg regio more sepelitur, cujus vidua Willa, antequam sepeliretur, sibi velum sanctimoniale assumpsit.* Virgines & viduas cum velantur, tonderi moris fuit. Hieronymus in Sabinianum Diaconum: *Moris est in Ægypti & Syriæ monasteriis, vt tam virgo quam vidua, quæ se Deo voverint, & sæculo renunciantes omnes delicias sæculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum, non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter & velato.* Inde virgines tonsas & cucullatas depingit Palladius Historiæ Lausiacæ capite 41. τῶν οὖν ἄλλων παρθένων τὸ σχῆμα ἦν κεκαρμένων, ἐχουσῶν κουκούλλια ἐπὶ τῶν κεφαλῶν.





CAPUT XI.

In Professione tria vota solemnia, obedientiæ, paupertatis, castitatis: his adde quartum, stabilitatis.

IN Professione emittuntur tria vota solemnia, obedientiæ, paupertatis & castitatis, quibus in Ordine Benedictino quartum additur, stabilitatis, juxta regulam beati Benedicti. Nec recens est hujusmodi institutum, vt volunt Lutherus, Calvinus & alii asceticæ continentiæ oppugnatores. Prioribus sæculis ex quo Monachi coiere in collegia, quæ cœnobia dicta sunt, in vsu fuit votorum solemnitas, quorum observantia laudi fuit, & transgressio vituperationi & opprobrio. Basilius epistola ad Monachum lapsum: ὅρα οὖν μήποτε συνθήκας βουλόμενος τινὰς φυλάττειν, παραβῇς τὰς πρὸς τὸν Θεὸν συνθήκας, ἃς ὡμολογήσας ἐπὶ πολλῶν μαρτύρων. *Vide igitur nè forte dum vis, quæ quibusdam pactus es custodire, transgrediare pacta a te inita cum Deo, quæ professus es coram multis testibus.* Augustinus in Psalm. 75. in illud: *Vovete & reddite. Nemo ergo positus in monasterio frater dicat: Recedo de monasterio. neque enim soli qui sunt in monasterio, perventuri sunt ad regnum cælorum, & illi qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respondetur illi: Sed illi non voverunt, tu vovisti.* Inde Professionis nomen tritum apud Cassianum, quam Græci ὁμολογίαν, συνθήκην. In Professione Benedictus exigit tantum votum obedientiæ, stabilitatis & conversionis morum. Regula capite 58. *Suscipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua & conversione morum suorum & obedientia coram Deo & Sanctis ejus.* In Professione Benedictina nulla fit mentio paupertatis & castitatis, quia conversio morum & obedientiæ promissio cætera complectitur. Nulla sperari potest conversio morum, inanis & lusoria est obedientia, nisi colatur paupertas & castimonia, quæ obedientiæ præcipui fructus sunt. Obedientia est primaria virtus Monachorum. Sul-

pitius Severus Dialog. 1. de virtut. Monachor. *Præcipua ibi virtus & prima est obedientia, neque aliter adveniens ad monasterium Abbatis suscipitur, quam qui tentatus prius fuerit & probatus, nullum unquam recusaturus quamlibet arduum ac difficile indignumque toleratu Abbatis imperium.* Obedientia est supplementum virtutum omnium, in tantum vt suppleat orationis vigorem. Gregorius Nyssenus de scopo Christi πρὸς ἀσκητάς. εἰ δέ τινες μήπω τὸν τῆς ἄκρας εὐχῆς τόνον ἔχοντες, μηδὲ τὴν ὀφειλομένην τῷ πράγματι σπουδήν τε καὶ δύναμιν ἀπολιμπάνονται ταύτης τῆς ἀρετῆς, ἐν τοῖς ἄλλοις πληρούτωσαν τὴν ὑπακοήν, κατὰ δύναμιν διακονοῦντες, προθύμως ἐργαζόμενοι. *Quod si quidam qui nondum perfecta orationis vigorem tenent, neque debitum huic negotio studium & vim obtinent, privati sunt hac virtute: in cæteris compleant obedientiam, pro viribus ministrantes, alacriter operantes.* Denique votum obedientiæ est caput Professionis, quia est abnegatio sui ipsius, & renunciatio voluntati, qua homines sumus. Anselmus lib. 3. epistola 7. *Cum enim professus sum Monachum, abnegavi me ipsum mihi; vt deinceps meus non essem, id est, non viverem secundum propriam voluntatem, sed secundum obedientiam. Vera autem obedientia aut est Deo, aut Ecclesiæ Dei, & post Deum maxime Prælatis.* Et juxta eandem sententiam, præceptum obedientiæ est prima lex vitæ cœnobiticæ. Hieronymus ad Eustochium: *Prima Cœnobitarum confœderatio, obedire majoribus.* Obedientiam imprimis coluere veteres Monachi tanquam disciplinæ regularis vinculum. Cassianus collat. 18. capite 7. *Ita se cœnobiorum Præpositis subdiderunt, vt ne sui quidem ipsius fateantur esse se dominos.* Idem collatione 24. capite vltim. de obedientia: *Quam virtutem illi specialiter exercent, qui in cœnobiis commorantes senioris reguntur imperio, qui nihil omnino arbitrio suo agunt; sed voluntas eorum ex voluntate pendet Abbatis.* Plura Basilius Constitut. capite 22. Quonam studio exculta fuerit obedientia a Monachis, disces variis exemplis. Pior vnus e Patribus Ægyptiis voverat Deo se neminem ex suis aliquando conspecturum quinquaginta post annos, litteris Episcopi in patriam accitus vt a sorore sua videretur, vt mandatis pareret, eo profectus est: de quo Sozomenus libro 6. capite 29. οὐκ ἔχων ἀντειπεῖν· οὐ γὰρ

θέμις Αἰγυπτίοις μοναχοῖς, οἶμαι, δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις ἀπειθεῖν τοῖς ἐπιτασσομένοις. Non habens contradicere : nam nefas erat Monachis Ægypti ; credo, item aliis imperatis resistere. Per obedientiam probata est singularis vocatio Symeonis Stylitis, qui jussus ab Episcopis per nuntium, vt e columna descenderet, illico paruit, & pedem extulit, vt e columna se deponeret: quod miratus nuntius, ex mandato jussit vt in quo cœperat vivendi proposito, perseveraret. Evagrius libro 1. cap. 13. Pauli simplicis obedientiam in lusoriis ac fere puerilibus ludis probavit Antonius, jusso eo totum diem aquam haurire de puteo, & haustam mox in terram effundere, tum sportellas contextas resolvere: quibus artibus informatum ad summam perfectionem pervenisse memorant Rufinus de vit. Patr. libro 1. capite 30. Palladius Historiæ Lausiacæ capite 28. Marcus vnus e fratribus, quod est singulare obedientiæ exemplum, ab Abbate Sylvano e cella evocatus, statim se rapuit media littera quam exarabat imperfecta relicta. Rufinus de vit. Patr. libro 2. capite 141. Pelag. 14. cap. 5. celebratur de Abbate Joanne, quod propter obedientiæ virtutem ad prophetiæ gratiam sublimatus sic vniverso perclaruit orbi, vt etiam Principibus sæculi hujus merito redderetur illustris, & ab his consuleretur de vario rerum eventu. Cassianus de institutione Cœnobitar. libro 4. capite 23. De beato Mauro narratur, quod ad Abbatis imperium super aquas ambulavit. Gregorius 2. Dialogor. capite 7. Inobedientiæ pœnis commendatur etiam obedientiæ meritum. A dæmone arreptus Moses Monachus ob duriorem sermonem habitum contra Macarium Abbatem. Cassianus collat. 7. cap. 27.





CAPUT XII.

Votum paupertatis, unum e tribus votis religionis.

UNUM e tribus substantialibus votis religionis est votum paupertatis, quod proponitur his, qui ad Evangelicam perfectionem aspirant, audito consilio Domini: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me*, Matth. 19. Paupertas enim voluntaria est apex perfectionis Evangelicæ. Hieronymus adversus Pelag. libro 1. *Nec mihi Abraham & cæteros quos in Veteri Testamento divites legimus, exemplo proponas, qui divites ingressi sunt regna cælorum: cum ipsis divitiis ad bona utentes opera, divites esse desierint, imo cum non sibi, sed aliis divites fuerint, & dispensatores magis Dei, quam divites appellandi sunt. Sed nobis Evangelica perfectio requirenda est, in qua præcipitur: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Gregorius Moral. libro 26. capite 25. *Speciali namque jussione paucis perfectioribus & non generaliter omnibus dicitur hoc, quod adolescens dives audivit: Vade & vende omnia quæ habes, &c. Si enim sub hoc præcepto cunctos jussio generalis astringeret, culpa profecto esset aliquid nos de hoc mundo possidere.* In Professione fit votum paupertatis, id est, abdicatio proprietatis rerum omnium. Cap. *Cum ad monasterium* extra *De statu Monach.* Monachus nihil potest habere proprium propter voti religionem. Cassianus collatione 18. capite 7. *Illi hoc omnibus expetunt votis, ut ἀκτημοσύνην, id est, nuditatem omnium rerum paupertatemque possideant.* Idem collat. 19. capite 9. *Quia nec Anachoreta ἀκτημοσύνην, id est, contemptum ac privationem materialium rerum, nec Cœnobita theoricam ad integram potest assequi puritatem.* Idemque collatione 21. capite 9. *Confestim omni mundana facultate nudatus, ad monasterium pervolavit.* Augustinus in Psalm. 25. *Alius*, inquit, *vovet relinquere omnia, & ire in communem vitam, in societatem Sanctorum, magnum votum vovit.* Idem de

Civitate Dei libro 17. capite 14. *Dixerunt, inquit, potentes illi: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Hoc votum potentissimi voverant. Sed unde hoc eis, nisi ab illo, de quo hic continuo dictum est: Dans votum voventi.* Idem libro 1. de moribus Eccles. Catholic. capite 31. *Nemo quicquam possidet proprium, nemo quicquam onerosus est.* Idem libro de hæresib. ad Quod vult Deum: *Apostolici qui se isto nomine arrogantissime velaverunt, eo quod in suam communionem non reciperent utentes conjugibus, & res proprias possidentes, quales habet Catholica Ecclesia, & Monachos & Clericos plurimos.* Et hoc inprimis vetat regula Benedicti capite 33. *Ne quis aliquis habeat proprium.* Monachus, inquam, nihil debet habere proprium, ne vestem quidem vel viliora quæ sunt in usu familiari, puta sportellas, id est, parvulas sportas, seu vasa viminea inferendis cibariis, vel cistellas, id est, parvulas cistas seu arculas, nec clavem vel annulum, quo obsignarentur velut propria & peculiaria, quæ usus causa comparata erant. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 4. capite 13. *Nulli cistellam, nulli peculiarem sportellam licet possidere, ne tale aliquid quod velut proprium retinens suo debeat communire signaculo: quos ita novimus omni ex parte nudos existere, ut præter colobium, mafortem, caligas, melotem ac psiathium, nihil amplius habeant,* &c. Idem ejusdem libri capite 15. *Ad hæc nos miserabiles quid dicemus, qui in cœnobiis commorantes, ac sub Abbatis cura & solitudine constituti, peculiares circumferimus claves, omnique Professionis nostræ verecundia & confusione calcata, etiam annulos quibus præcondita præsignemus, in digitis palam gestare nos non pudet: quibus non solum cistellæ vel sportæ, sed ne arcæ quidem vel armaria, ad ea quæ congerimus, vel quæ egressi de sæculo reservavimus, condenda sufficiunt?* De quo idem videndus collatione 4. capite 21. Præter hunc auctor vitæ D. Gosuini libro 3. capite 28. *Monachorum claustralium nulli clavem vel arcam concedebat propter opus peculiare, exceptis excellentioribus Decanis, ad reponendas res Ecclesiæ sponsas, quarum numerus nunc est innumerabilis: numquam Prior vel Abbas habuit, nisi illam quæ omnium communis fuit.* In Professione Monachus non potest sibi quicquam proprium seponere. In hanc rem memoria celebratur elegans senten-

tia beati Basilii adversus Syncleticum seu Senatorem quendam, qui Monachum professus, quædam sibi de propriis reservavit. Senatorem, inquit, perdidisti, & Monachum non fecisti. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 7. capite 19. *Senatorem ille perdiderat, quia Professione senatoriam dignitatem amiserat, vt Monachus fieret, & tamen verum Monachum non fecerat, propter propriorum retentionem.* Hieronymus in vita Hilarionis: *Detestabatur autem præcipue Monachos qui infidelitate quadam in futurum reservarent sua, & diligentiam haberent vel sumptuum, vel vestitus, vel alicujus earum rerum quæ cum sæculo transeunt.* Ne minutum quidem æs potest Monachus peculiare habere. Idem de institut. Cœnobitarum libro 7. capite 21. *Nec minuto quidem minime conscientia Monachi polluatur.* adeo Monachus nihil potest habere proprium, vt nec quicquam possit dicere suum. Augustinus epistola 109. ad Monachas quasdam, quibus regulam dedit: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Clericis regularibus idem præscribit ipse Augustinus sermon. 3. de vita communi Clericorum: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Can. *Non dicatis* 12. quæst. 1. Etiam in remissioribus monasteriis idem districtius servari, vt ne verbo quidem quis auderet quicquam dicere suum, testatur Cassianus de institut. Cœnobit. libro 4. capite 13. *In aliis quoque monasteriis, in quibus aliqua remissius indulgentur, hanc regulam videmus strictissime nunc vsque servari, vt ne verbo quidem audeat quis aliquid dicere suum, magnumque sit crimen ex ore Monachi processisse codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, caligas meas: proque hoc digna pœnitentia satisfacturus sit, si casu aliquo per subreptionem vel ignorantiam hujusmodi verbum de ore ejus effugerit.* Ideo Monachus nihil debet ex opere sibi peculiare & proprium facere: & hoc est opus peculiare quod vetat regula Benedicti capite 55. & ita auctor sermon. ad fratres in eremo sermone 1. *Nemo tamen ex opere suo aliquid sibi approprìet,* &c. Proprietatis tollendæ causa Monachus non debet munuscula dare vel accipere sine Abbatis licentia. Augustinus sermon. 3. de vita communi Clericorum: *Certum est eos nihil habere, possidere, dare vel accipere*

debere

debere sine Superioris licentia. d. Can. *Non dicatis.* Idem præd. epistola 109. *Quæcumque autem in tantum progressa fuerit, vt occulte ab aliquo litteras vel qualibet munuscula accipiat, si hoc vltro confitetur, parcatur illi, & oretur pro ea: si autem deprehenditur atque convincitur, secundum arbitrium Præpositæ vel Presbyteri, vel etiam Episcopi gravius emendetur.* Et hoc est quod vetat regula Benedicti capite 54. *Ne liceat Monacho eulogias vel munuscula dare vel accipere sine præcepto Abbatis.* Eulogiæ sunt munuscula quæ benedictionis causa a Clericis offerebantur Episcopo. In Synodo Meldensi can. 45. *Decet Presbyteros cum voluntariis eulogiis tempore congruo visitare & venerari suos Episcopos.* Leo IV. epistola ad Episcopos Britanniæ capite 5. *De eulogiis ad sacra Concilia deferendis nihil invenimus a majoribus terminandum, sed sicut vnicuique Presbytero placuerit.* Can. *De eulogiis* 18. distinct. Sic a Monachis solebant dari vel accipi eulogiæ, benedictiones, id est, xenia vel munuscula vel epulæ, etiam a sæcularibus, quod vetatur, nisi adsit licentia Abbatis. Inde Abbatissa monasterii Pictaviensis apud Episcopos accusata de epulis exhibitis sæcularibus viris apud Gregorium Turonensem libro 10. capite 15. ait *se nullam novam fecisse consuetudinem, nisi sicut actum est sub Domna Radegunde, se Christianis fidelibus eulogias obtulisse.* Quam grave sit Monacho proprium habere, indicat pœnæ modus, quæ est sepultura in sterquilinio, si Monachus in morte inventus fuerit proprium habere. Cum vnus e fratribus Ægyptiis Nitriæ 30. solidos moriens reliquisset; Patres decrevere, infodientes cum domino suo intra monasterium in sterquilinio, dicentes: *Pecunia tecum sit in perditione.* Hieronymus epistola ad Eustochium. Rufinus de vit. Patr. libro 2. capite 219. Eodem pœnæ genere vsum Gregorium testatur ipse de se libro 4. Dialog. cap. 55. Joannes Diaconus lib. 1. cap. 15. Ivo Carnotensis epistola 57. Exemplo Gregorii idem statuit Innocentius III. in cap. *Cum ad monasterium.* init. *de statu Monach.* Quænam sit laus paupertatis monasticæ, prima hæc est, quod Christum habet auctorem, qui paupertatem amplexus est, & ejus verecundiam exemplo suo sustulit: Christus pauper erat, pedes iter faciebat vsque ad fatigationem. Joannes III. vtebatur for-

tuito & oblato cibo, quod David prænuncians Psalm. 109. *De torrente*, inquit, *in via bibet*. Christus nihil proprium habebat: quam ob causam dicebat Luc. 9. *Vulpes foveam habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet*. Inde pretiosam Christi paupertatem commendat Ambrosius in Psalm. 40. *Hæ sunt divitiæ simplicitatis, in quibus est Christi pretiosa paupertas*. Secunda ejus laus ab Apostolis, qui æque exemplo Magistri paupertatem coluere, missi a Christo ad prædicandum vacui & inanes, cum pera & baculo, Luc. 9. Inde Augustinus in Psalm. 48. exponens illud Pauli 2. Cor. 6. *Quasi nihil habentes, & omnia possidentes. Et ipsum*, inquit, *nihil habere quasi Apostoli erat*. Paupertatis monasticæ quænam merces? Centuplum, Matthæus 18. Religio monastica paupertatis est alumna, paupertate crevit, paupertate tuenda est. Abdicatio proprietatis ita est propria Monachorum, vt super ea dispensari non possit, nec ab Abbate, nec ab ipso Summo Pontifice. Innocentius III. in cap. *Cum ad monasterium. de statu Monachorum.* ad Abbatem & conventum Sublacensem, quæ fuit prima sedes beati Benedicti, vnde Cassinum transiit. *Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.*



CAPUT XIII.

Votum castitatis vnum e tribus votis regularibus.

TERTIUM votum est, votum castitatis, quod est quasi vinculum adamantinum cæterorum: & licet in Ordine Benedictino non desideretur specialiter, non abest a sponsione conversionis morum, quæ fit apud Monachos illius Ordinis, quia nulla est conversio morum sine castitate, quæ est fundamentum religionis Monasticæ. A primordiis Ascetices Monachi inprimis castitatem coluere, & nuptias

exhorruerunt. Epiphanius hæref. 42. art. 1. de Marcione Pontico: τὸν δὲ πρῶτον αὐτοῦ βίον παρθενίαν δῆθεν ἤσκει· μονάζων γὰρ ὑπῆρχε. *Qui initio vitæ ſcilicet caſtitatem præ ſe ferens, Monachorum inſtituta profeſſus eſt.* Idem hæreſi 58. artic. 4. in illud: *Et ſunt eunuchi qui ſe caſtraverunt propter regnum cælorum.* τίνες τοίνυν εἰσὶν οὗτοι, ἀλλ' ἢ οἱ γενναῖοι ἀπόστολοι, καὶ μονάζοντες, καὶ οἱ καθεξῆς παρθένοι. *Niſi egregii illi primum Apoſtoli, tum Monachi, ac reliqui virginitatis cultores.* Idem in Expoſit. fidei Catholicæ artic. 21. συνέπεται δὲ τῇ αὐτῇ παρθενίᾳ ἡ μονότης παρὰ ἐν πλείοσι τῶν μοναζόντων καὶ μοναζουσῶν. *Virginitatem ſolitaria vita proxime ſequitur, quam in pleriſque ſexus vtriuſque Monachis videmus.* Sobrietatem & caſtimoniam in Monachis requirit Cyrillus Alexandrinus epiſtola 1. ad Monachos Ægyptios: inde ἐγκρατευόμενοι, id eſt, continentes, dicti ſunt Monachi. Synodus Carthaginenſis can. 41. apud Balſamon. Continentium appellatione Monachos paſſim cohoneſtat Auguſtinus libro 1. contra Fauſtum capite 9. *Quam multi continentes in Eccleſia & monaſteriis, victum & tegumentum commune habentes, & in his ipſis profeſſionibus multi fallaces!* Et idem ſermone 53. de verbis Domini capite 8. *Sunt continentes humiles, ſunt & ſuperbi; vſque adeo autem continentes homines plerumque ſuperbiunt, vt non ſolum quibuſcumque hominibus, ſed etiam parentibus ingrati ſunt.* Monachos continentes prædicat idem de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 31. *Quis enim neſcit ſummæ continentiæ hominum Chriſtianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magiſque diffundi, & in Oriente maxime atque Ægypto, quod vos nullomodo poteſt latere.* Et infra: *Sed ſi hoc excedit noſtram tolerantiam, quis non illos miretur & prædicet, qui contemptis atque deſertis mundi hujus illecebris, in communem vitam caſtiſſimam ſanctiſſimamque congregati, ſimul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus*, &c. Idem libro de gratia ad Valentin. & cum illo Monachos capite 4. *Ac primum de ipſa veſtra Profeſſione aliquid dicam: neque enim congregaret vos iſta ſocietas, in qua continenter vivitis, niſi voluptatem conjugalem contemneretis.* Hieronymus libro 3. adverſus Jovinianum: *Miror Clericos & Monachos & continentes id non laudare quod faciunt: caſtrant ſe ab uxoribus ſuis, vt imitentur virginum caſtitatem: id ipſum*

volunt esse maritatos, quod virgines. Notat Jovinianum Monachum qui damnavit continentiam: de quo Gregorius Moral. libro 15. capite 9. libro 19. capite 14. Nec Monachis licet vxorem ducere, etiam si Clerici facti sint, puta Cantores aut Lectores. Novell. Justin. 5. capite 8. Can. *Et quia* 27. quæstione 1. Monstro pene simile fuit videre Monachum conjugatum. Athanasius epistola ad Dracontium: πολλοὶ δὲ τῶν ἐπισκόπων οὐδὲ γεγαμήκασι, μοναχοὶ δὲ πατέρες τέκνων γεγόνασιν. *Multi quoque ex Episcopis matrimonia non inierunt, Monachi contra liberorum parentes facti sunt.* Castitatis tuendæ causa Monachi debent esse cauti & circumspecti. Primo ii vitare debent consuetudinem mulierum. Augustinus serm. 250. de tempore: *Unde, fratres carissimi, ab omnibus Christianis, præcipue tamen Clericis sine Monachis, indigna & inhonesta familiaritas fugienda est, quia sine vlla dubitatione qui familiaritatem non vult vitare suspectam, cito delabitur in ruinam.* Singularis Patrum sententia fuit Monachum fugere debere mulieres & Episcopos: mulieres, quo castitas in tuto sit; Episcopos, ne ex eorum consuetudine gignatur ambitio & cenodoxia. De quo Cassianus de institutione Cœnobitar. libro 11. capite 17. Monachos qui quæritabant contubernia feminarum, quæ male quæsitas pecunias sibi custodirent, detestatur idem de institutione Cœnobitarum libro 7. capite 11. Etiam sororum consuetudine Monachos abstinere suadet Ambrosius sermone 65. *Sunt enim plerique qui singularem vitam proponentes, singuli esse non possunt; sed quærunt sibi contubernia, atque vtinam fratrum. Invenisti Christianum Monachum, cui cum fratre non convenit, & libentius ei convenit cum sorore, qui non sequitur seniorem vtilia commonentem, & sequitur adolescentulam incongrua cachinnantem.* Eodem consilio Monachi æquali parsimonia corpus castigare debent, vt nocturnæ pollutiones vitentur. Cassianus collatione 2. capite 23. Etiam in aquæ potu a Monachis servandum esse modum, vt pollutiones corporis vitentur, tradit idem auctor rerum Asceticarum peritissimus collatione 12. cap. 11. & collat. 22. capite 3. Et hoc fuisse consilium Evagrii tradit Rufinus de vit. Patr. capite 27. Palladius Historiæ Lausiacæ capite 86. Tertio, ad custodiam castitatis his maxime remediis vti de-

bent Monachi, jejunio, contritione spiritus, oratione, lectione Scripturarum, opere manuum, & studio humilitatis. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 6. cap. 1. *Nec enim sufficit solum corporale jejunium ad conquirendam vel possidendam perfectæ castimoniæ puritatem, nisi præcesserit contritio spiritus & oratio contra hunc immundissimum spiritum perseverans, dein continuata meditatio Scripturarum, huicque fuerit scientia spiritalis adjuncta, labor etiam opusque manuum instabiles cordis pervagationes coercens ac revocans, & ante omnia fundata fuerit humilitas vera, sine qua nullius penitus vitii poterit vmquam triumphus acquiri.* Quarto, Monachi ne suspicionibus locus sit, non singuli, sed bini debent procedere in publicum, testimonii gratia. Concilium Aquisgranense anno Christi 817. can. 15. *Ut soli sine alio fratre in via non dirigantur.* Quod & ante statutum in Clericis. Concilium Turonense II. can. 20. *Quotiescumque Archipresbyter seu in vico manserit, seu ad villam suam ambulaverit, vnus Lector Canonicorum suorum, aut certus aliquis de numero Clericorum, cum illo ambulet.* Hujus instituti auctorem habemus Dominum Jesum Christum, qui Apostolos binos misit ad prædicandum, Luc. 10. Marc. 6. de quo Augustinus quæst. Evangelic. libro 2. capite 14. Chrysostomus in Genes. capite 24. Hieronymus in Marc. capite 11. Gregorius Homil. 17. Hujus instituti sequax Paulus Titum comitem peregrinationis accepit, ne esset sine testimonio, neve in suos vsus convertere crederetur quæ accipiebat egenis distribuenda, 2. Cor. 8. Augustinus de opere Monachorum capite 16. Hoc ritu Monachi Ægyptii non processere nisi bini. Pior vnum e discipulis misit Antonius cum alio Monacho, vt videret sororem. Rufinus de vit. Patrum libro 2. capite 31. *Dixit ei beatus Antonius: Vade vt videat te soror tua. Tunc assumpsit secum alium Monachum, & perrexit ad locum & domum sororis suæ.* Hoc pacto Monachus qui habet socium, habet dominum, quippe habet testem conversationis & correctorem. Thomas Cantipratensis libro 1. capite 18. *Vulgo dicitur: Miles in obsequio famulum, Clericus socium, Monachus habet dominum.* Quinto, vt tollatur occasio mali, vetantur Monachi, ne pueros de baptismo suscipiant, sibique commatres faciant. Can. *Placuit*

16. quæstione 1. Can. *Pervenit* 18. quæstione 2. Can. *Non licet*. Can. *Monachi. de consecrat.* distinct. 4. Concilium Aquisgranense anno Christi 817. can. 16. Eadem mente vetantur Clerici commatres procurare, id est, epulis vacare, apud auctor. sermon. ad fratres in eremo cap. 36.



CAPUT XIV.

Votum stabilitatis quartum votum Benedictinorum. Arguuntur Monachi vagi & nundinatores reliquiarum.

IN Professione Benedictina primam ceram implet votum stabilitatis, cui quasi ancillantur conversio morum & obedientia. Regula Benedicti cap. 58. *Suscipiendus autem in oratorio* (sic vocat Ecclesiam monasterii) *coram omnibus promittat de stabilitate sua & conversione morum suorum & obedientia coram Deo & Sanctis ejus.* Votum stabilitatis hujusmodi est, quo Profitens ex voto promittit stabilitatem non modo in religione, verum & in ipso monasterio in quo profitetur. Stabilitatem sic interpretatur Bernardus Abbas Clarevallensis regulæ Benedictinæ optimus interpres & exactissimus observator, epistola 7. ad Adam Monachum: *Duo præcipue nobis in monasteriis conversantibus observanda traduntur, subjectio Abbati & stabilitas in loco, & ita observanda quod neutrum præjudiat alterum, nec alterutrum sibi præjudicent, ut verbi gratia, sic te stabilem in loco exhibeas, ut Abbati subjici non contemnas; sic obedias subjectus Abbati, ut stabilitatem non amittas.* Et hoc est quod objiciebant Cistercienses Cluniacensibus, eos a regula beati Benedicti divertere, quod jam semel stabilitatem, conversionem morum & obedientiam uno in loco professos, inde in alium locum migrantes, eadem vovere compellerent, sibi ipsis contrarios, & vota votis evertentes. Quibus respondit Petrus Abbas Cluniacensis libro 1. epistola 28. ad Bernardum Abbatem Clarevallensem: *Illud autem, illud, inquam, omni rationi & auctoritati adversum quomodo tuemini, quod jam semel stabilitatem & conversionem morum &*

obedientiam uno in loco professos, rursus alio in loco stabilitatem, rursum conversionem morum, rursus obedientiam vovere, & priorem fidem irritam facere compellitis: ita quippe ita inevitabili periculo vobis adquiescentes cingitis, vt ad quamlibet partem se verterint, prævaricatores non esse non possint. Nam si prius votum servaverint, secundi rei tenebuntur; si secundum, prioris noxa constringentur, &c. Hujus voti Clericum regularem ad se venientem, & importune vt in Monachum reciperetur postulantem, non audivit beatus Bernardus, & comiter monuit vt ad Ecclesiam suam reverteretur, vt legitur in ejus vita libro 3. capite 6. *Stabilitatis scilicet transgressorem non tulit vir divinus, memor præcepti Apostolici: Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, 1. Cor. 7. His legibus Monachus semel Professus in monasterio, quasi vinctus, non debet egredi monasterio sine necessitate. Hoc proposito Bernardus ipse epistola 227. *Decretum est mihi*, inquit, *vltra non egredi monasterio, nisi ad conventum Abbatum apud Cistertium semel in anno.* Anselmus libro 3. epistola 26. *Occasiones equitandi Claustrales, nisi cogente obedientia, non solum non exquirant, sed nec occurrentes suscipiant: qui enim claustra monasterii libenter exeunt, non solum sibi, sed & aliis suo exemplo noxii, quoniam aut murmurationis aut vagationis illis auctores sunt.* Propter stabilitatis votum, Monachis vetantur etiam peregrinationes, ne religionis obtentu his detur occasio evagandi. Bernardus epistola 319. ad Letbertum Abbatem montis sancti Michaelis: *Neque enim terrenam, sed cælestem requirere Hierosolymam, Monachorum propositum est, & hoc non pedibus proficiscendo, sed affectibus proficiendo.* Inde semel Professi absolvuntur votis cujuslibet peregrinationis ante Professionem contractis. Anselmus libro 3. epistola 96. *Qui noverunt se ituros Romam vel Hierusalem in sæculo, si ad Ordinem nostrum venerint, & devote & obedienter se habuerint, omnia vota sua, quæcumque voverunt, compleverunt.* Eodem consilio peregrinationem Hierosolymitanam velut materiam evagationis Monachis vetuit Gregorius Nyssenus, vel alius quisquis auctor de euntibus Hierosolymam: *συμβούλευσον οὖν, ἀγαπητὲ, τοῖς ἀδελφοῖς ἐκδημεῖν ἀπὸ τοῦ σώματος πρὸς τὸν κύριον, καὶ μὴ ἀπὸ Καππαδοκίας εἰς Παλαιστίνην. Consule ergo, dilecte,*

fratribus, ut a corpore peregrinentur ad Dominum, non e Cappadocia in Palæstinam. Nec dispari ratione damnantur instabiles Monachi, qui migrant de monasterio ad monasterium. Isidorus Pelusiota libro 1. epistola 41. τί τοίνυν καταλιπὼν τὸ ἐρείδεσθαι ἀσφαλῶς ἐπὶ κύριον, καὶ σταυρὸν ἔχειν τὴν ἀκόλουθον ἀσκήσεως, τόπον μεταβάλλεις ἐκ τόπου, μᾶλλον, ὡς ἔοικε, τράπεζαν ἀβροτέραν, ἀλλ' οὐ παίδευσιν στερροτέραν ζητῶν. *Quid igitur relinquens inniti tuto Domino, & crucem habere comitem religionis, locum ex loco mutas, magis, ut videtur, mensam pinguem quam firmiorem eruditionem quærens.* Pelagium Monachum arguit idem epistola 314. ejusdem libri, quod consuevisset de monasterio ad aliud subinde migrare, atque omnium mensas explorare. Inde damnantur Monachi vagi & circumforanei. Concilium Chalcedonense can. 4. Can. *Quidam* 18. quæst. 2. cap. *Quanto. de offic. ordinar.* Hujusmodi Monachos vagos per Africam & alias provincias & nundinatores reliquiarum insectatur Augustinus de oper. Monach. capite 28. *O servi Dei, milites Christi, itane dissimulatis callidissimi hostis insidias, qui bonam famam vestram, tam bonum Christi odorem omni modo cupiens obscurare putoribus suis, tam multos hypocritas sub habitu Monachorum usquequaque dispersit, circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alii membra martyrum, si tamen martyrum, venditant; alii fimbrias & phylacteria sua magnificant.* Hoc nomine maxime male audiere Græci Monachi, de quibus Gregorius libro 3. epistola 30. Indictione 12. *Nam quidam Monachi Græci huc ante biennium venientes, nocturno silentio juxta Ecclesiam sancti Pauli corpora mortuorum in campo jacentia effodiebant, atque eorum ossa recondebant, servantes sibi dum recederent, qui cum tanti, & cur hoc facerent, diligenter fuissent discussi, confessi sunt, quod illa ossa ad Græciam essent tanquam Sanctorum reliquias portaturi*, &c.



CAPUT

CAPUT XV.

Apostasiæ vitium. Ejusdem pœnæ.

PROFESSIONIS meritum spectatur ex perseverantia: qui enim non perseverant, non possunt dici Monachi, & illis convenit quod dictum est a Joanne: *Qui a nobis exierunt, non erant ex nobis.* Augustinus de gratia & libero arbitrio ad Valentin. & cum illo Monachos capite 9. in illud Joannis: *Ex nobis exierunt*, &c. *Cum ergo filii Dei dicunt de his qui perseverantiam non habuerunt: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; & addunt, quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: quid aliud dicunt? nisi: Non erant filii, etiam quando erant in professione & nomine filiorum, non quia justitiam simulaverunt, sed quia non permanserunt.* Et Ambrosius in Psalm. 36. *Considera enim aliquem per aliquot annos habuisse studium probitatis, castitatis custodiam, vitæ attentioris affectum, piæ propositum servitutis, sedulæ observationis officium, subitoque eum esse mutatum, discessisse de monasterio, valedixisse jejuniis, continentiæ renunciasse, indulgere deliciis, studere luxuriæ. Dudum de monasteriis exierunt, & nunc luxuriæ sunt magistri, disseminatores incontinentiæ, incentores petulantiæ, obtrectatores pudoris, nonne de his pulcre dixeris: Effusi sunt gressus eorum quos bene vixisse pœnituit; egerunt itaque novi generis pœnitentiam pro virtutibus, & non agunt pro delictis. Sed hi ex nobis exierunt, dicit Joannes, sed non erant ex nobis: si enim ex nobis fuissent, nobiscum perseverassent.* Semel Professi non possunt ejurare monachismum sine labe apostasiæ. Leo epistola 90. ad Rusticum capite 12. *Propositum Monachi proprio arbitrio & voluntate susceptum deseri non potest absque peccato: quod enim vovit Deo, debet & reddere.* Can. *Propositum* 20. quæstione 3. Augustinus in Psalm. 75. in illud: *Vovete & reddite. Nemo ergo positus in monasterio frater dicat: Recedo de monasterio. neque enim soli qui sunt in monasterio, perventuri sunt ad regnum cælorum, & illi qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respon-*

detur illi: Sed illi non voverunt, tu vovisti, tu retro respexisti. De die judicii cum Dominus minaretur, quid ait: Mementote vxoris Loth. Omnibus dixit: Quid enim fecit vxor Loth? Liberata est a Sodomis, & in via posita, retrorsum respexit. Vbi respexit, ibi remansit. Facta est autem statua salis, vt illius contemplatione condiantur homines, cor habeant, non sint fatui, non retro respiciant, ne malum exemplum dantes, ipsi remaneant, & alios condiant. In eandem sententiam idem in Psalm. 83. & 99. & auctor sermon. ad fratres in eremo sermone 34. & sermone 60. vnde desertores vitæ asceticæ dicuntur apostatare. Synodus Arelatens. II. can. 25. *Hi qui post sanctam religionis professionem apostatant.* Can. vltim. 50. distinct. Et ipsi dicuntur apostatæ. Auctor sermon. ad fratres in eremo sermone 8. *O Monache, levis reputaris per tuam apostasiam, cum Iuda incurris mentis instabilitatem, postponis Deum, amittis amicos, spiritum & spem perdis, odio a cunctis haberis, & velut omnibus pejor apostata comprobaris in vita.* Cæsarius de Miraculis libro 1. capite 6. *Monachus Ordinem deserens, & crucem suscipiens, vel, quod tolerabilius est, sine præcepto & licentia Ordinis eidem peregrinationi se mancipans, non Christi peregrinus, sed apostata judicatur.* Vitio apostasiæ iidem dicuntur prævaricatores. Synodus Ancyrana can. 18. *Quotquot virginitatem pollicitam prævaricatæ sunt Professione contempta.* Græci ἀθετοῦσαι τὴν ἐπαγγελίαν. Concilium Arausic. I. can. 28. *In vtroque sexu desertores professæ castitatis prævaricatores habendi.* Semel Professi non possunt deserere monasterium, ne quidem vt ad aliud monasterium transeant. Novell. Justin. 5. cap. 7. cap. 5. *De regular.* nisi velint ad districtiorem religionem transire. Cap. *Licet quibusdam* eodem tit. Apostasiæ pœnæ hujusmodi sunt. Prima, quod Monachi transeuntes ad militiam vel ad nuptias, non absolvuntur nisi peracta pœnitentia publica. Leo prædict. epistola ad Rusticum: *Vnde qui relicta singularitatis professione ad militiam vel ad nuptias devolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandus est.* Quem locum laudat Concilium Triburiense can. 26. Petrus Damian. opusculo 16. capite 4. Synodus Arelatensis II. can. 25. *Hi qui post sanctam religionis professionem apostatant, & ad sæcularem redeunt conversationem, & postmodum pœnitentiæ remedia non*

requirunt, sine pœnitentia communionem penitus non accipiant. Secunda est, quod desertores non admittuntur ad Clericatum, etiam post pœnitentiam, vt subjunxit d. can. 25. Synodi Arelatensis II. Quos etiam jubemus ad Clericatus officium non admitti. Quem ad canonem se refert Augustin. epistola 15. in Appendic. *Recenti autem Concilio statutum est, vt de aliquo monasterio qui recesserint vel projecti fuerint, non fiant alibi Clerici aut Præfecti monasteriorum.* Quod & vetat idem epistola 76. *Et ipsis etiam facilis lapsus, & Ordini Clericorum sit indignissima injuria, si desertores monasteriorum ad militiam Clericatus eligantur., cum ex eis qui in monasterio permanent, non tamen nisi probatiores atque meliores in Clerum assumere soleamus.* Can. *Legi epistolam* 16. quæstione 1. Quarta est, quod desertor monasterii non admittitur ad quampiam militiam: & si ad aliquam irrepserit, ea spoliatur, & traditur curiæ civitatis. L. *Sancimus* §. 1. C. *De Episcopis & Cleric.* Novell. Justin. 123. capite 42. Quinta est, quod idem redigi potest inter Officiales provinciæ Præsidis. Novell. 5. cap. 6. d. Novell. 123. capite 43. Sexta pœna est, quod qui relinquit monasterium, non recipit res monasterio illatas; sed eæ remanent penes monasterium. L. *Qui sua.* L. *Ut non liceat.* L. *Deo nobu.* §. *Hujus.* C. *De Episc. & Cleric.* Novell. 5. capite 4. Novell. 123. capite 42. Sed Leoni Novell. 8. displicuit desertorem redigi ad cohortes Præsidis, & potius visum est revocari ad monasterium. Septima pœna est, quod apostatæ arceantur ab hereditatibus parentum. Oldrad. consil. 202. Chopin. Monastic. lib. 1. tit. 2. num. 7. Apostasiæ pœnas canonicas & civiles sequitur etiam nonnumquam vindicta Numinis. Monachos de fuga cogitantes vexatos a dæmone, testem habemus Gregorium lib. 9. Indict. 4. epistola 38. Desertores monachismi inde pejores & nequiores fiunt. Augustinus libro 2. contra Julianum in fin. *Nunquid adolescentes ex Monachis dissoluti, nunquid postremo de qualicumque Clericorum turba isti sunt, quos vrbana exagitatos dicacitate vel potius vanitate contemnis?* Apostata pejor infideli. Augustinus quæst. veter. Testam. 39. Inde desertores maledici & vituperatores vitæ monasticæ. Augustinus in Psal. 99. *Et paucorum hominum molestia irritatus, dum non perseveraverit*

implere quod vovit, fit desertor tam sancti propositi, & reus voti non redditi. Iam vero cum inde exierit, fit & ipse vituperator & maledicus, & dicit ea sola quæ quasi se pati non potuisse adseverat, & aliquando vera. Sed vera mala malorum toleranda sunt propter societatem bonorum. Tanto ii nequiores, scilicet quod alios ad defectionem sollicitant, vt in turba peccantium lateant, & aliorum lapsu pudori suo consulant. Ioannes Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 7. cap. 9. *Deinde occasiones quibus offendi vel irasci debeat, studiose perquirit, ne leviter motus de cœnobii disciplina videatur exire, nec solus tamen transmigrare contentus, ne tanquam suo vitio deseruisse credatur, quantos potuerit susurrationibus clandestinis depravare non desinit. Per omne illud tempus suspenso anxioque residens corde tristitias serere vel excitare non cessat, discessus solatium, & excusationem levitatis non se aliter credens quam nota vel macula monasterii reperturum.* Desertores Monachi cum Deo sint infideles, hominibus fidem suam nimis suspectam faciunt, cunctis exosi, viles & contempti. Fertur Theodoricus Dux Africæ, qui secta Arianus erat, Diaconum quendam sibi perfamiliarem, & vt gratior esset, Arianismum amplexum, necasse. ὡς ἐπεὶ, inquit, τῷ Θεῷ οὐκ ἐτήρησας πίστιν, μᾶλλον οὐ τηρήσεις ταύτην ἐμοί. *Quia Deo fidem non servasti, multo magis mihi servaturus non es*, narrante Zonara in Anastasio. Fugitivos Monachos annuatim Abbas vel Prior sollicite perquirere debet, eosque revocare ad septa monasterii, salva Ordinis disciplina. Cap. vltim. extra *De regular.* cap. *Ne religiosi* eodem tit. in 6. cap. *A nobis. de Apostat.* Concilium Aurelianense I. can. 19. Toletanum VII. can. 5. Synod. Constantinopolitan. I. & II. can. 3. apud Balsamon. Can. *Abbates* 18. quæst. 2. Ait, salva Ordinis disciplina: si enim incorrigibiles fuerint, puta si tertium e monasterio fuga se subduxerint, e monasterio ejiciendi sunt. d. cap. vltim. & d. cap. *Ne religiosi.* Cap. *Cum in Ecclesiis. de majorit. & obed.* quod desumptum est ex regula Benedicti capite 29. quam laudat Petrus Blesensis epistola 88. *Misericordiam quam monastici Ordinis institutor ad ternarium numerum coarctavit, evangelicæ mansuetudo gratiæ septuagies septies ampliavit.* Et ex sententiis Patrum. Isidorus Pelusiota libro 1. epistola 318.

Lucæ Archimandritæ: *εἰ δὲ τοιοῦτός ἐστιν οἷος μηδὲν ἐκ τῆς συγγνώμης βελτιωθῆναι, μηδὲ τῶν ἡμετέρων γραμμάτων ἀπονήται, ἀλλ' ἔξω τῆς τῶν ἀδελφῶν γαλήνης καθίσεται, μὴ κυμάτων φλεγμονὰς καὶ δινήσεις τοῖς ἡσυχάζουσιν αὐτῶν ἤθεσιν ἐπεγείρῃ. Sin autem is eſt, qui venia minime melior fiat, nolim ille fructum ex litteris noſtris vllum capiat; verum e fratrum tranquillitate foras ablegetur, ne tumidos ac vertigines placidis & quietis ipſorum moribus excitet.* Pro Monachis fugitivis intercedit Bernardus epiſtola 297. Petrus Bleſenſis epiſtola 88. Hildebertus epiſtola 23. Hodie ne Monachis vagandi occaſio detur, contumaces & incorrigibiles non ejiciuntur, ſed in ergaſtulum mittuntur pœnitentiæ cauſa. Speculat. in tit. *De ſtatu Monach.* num. 23. Ancharan. Reſponſ. 352. Chopin. Monaſtic. lib. 1. tit. 3. num. 17. Si Monachi Profeſſi temere, id eſt, ſine cauſa, monaſterium relinquant ex juſta cauſa: tamen his licet egredi monaſterio ſine vitio apoſtaſiæ, permiſſu Superiorum, puta vt parentes egenos alant ſua induſtria. Auctor ſermon. ad fratres in eremo ſermone 6. *Nam ſi pater alicujus ſine filio Monacho vivere nullatenus poteſt, procurare debet filius quomodo de bonis monaſterii patri ſubveniatur: & ſi monaſterium impotens fuerit, filius toto affectu videat, quomodo patri non deficiat: etſi non viderit, cum Dei benedictione monaſterium de licentia majoris exeat, & verbo & opere patri ſubveniat, vt non deficiat ex negligentia, nec votum frangere credat. Si poſt ejus patrem vivendo remanſerit, ſtatim ad priſtinam vitam redire non pigeat ſancte & juſte vivendo, ſicut incœperat, & tanto fortius quanto ſenſerit ſe plus in paterno miniſterio vltra neceſſitatem gravatum.* De quo Leſſius 2. inſtitut. capite 41. Quam periculoſum tamen ſit vt filius monaſterio egrediatur patris alimoniæ conſulturus, exclamat Hieronymus ad Fabiolam de veſte Sacerdotum: *Quanti Monachorum, dum patris matriſque miſerentur, ſuas animas perdiderunt! ſubaudi, per apoſtaſiam & defectionem. de lapſu Monachorum.* Vide Baſilium. Conſtitut. cap. 21.



CAPUT XVI.

An Summo Pontifici liceat dispensare contra votum solemne religionis.

AN Summus Pontifex valeat dispensare circa vota solemnia religionis, valde ardua & disceptata est quæstio. Negat Divus Thomas 2. 2. quæst. 88. artic. 11. nixus cap. *Cum ad monasterium* in fin. extra *De statu Monachor.* In quo Pontifex vt probet Abbati non esse jus dispensandi cum Monacho vt testetur, vtitur hoc argumento, ne quidem id licere Summo Pontifici. Verba capitis hæc sunt: *Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Et cum res semel Deo dicatæ non possint tranferri ad vsus profanos. Can. *Quæ semel* 19. quæstione 3. Cap. *Semel Deo. de Rl.* in 6. multo minus personæ quæ semel Deo sese dicarunt, non possunt redire ad sæculum. Tamen ex sententia juris Scriptorum Pontifex potest dispensare cum Monachis, & de Monachis eos facere non Monachos, etiam vt ducant vxorem, propter plenitudinem potestatis quam habet in spiritualibus, non sine gravi causa, puta ob causam publicam. Joannes Faber in authent. *Multo magis.* C. *De Episc. & Cleric.* Covaruvias *De Testament.* cap. 2. num. 11. Sanchez *De Matrimon.* lib. 8. disput. 8. num. 6. Nec res caret exemplis. Ex dispensatione Ramirus ex Monacho cœnobii sancti Pontii de Thomeriis in Gallia Narbonensi evectus in Regem Arragonum, duxit vxorem filiam Comitis Pictaviensis, ex qua suscepta est filia, cui nomen fuit Petrona primum, tum Urraca: qua nupta Comiti Barcinonensi, memor prioris propositi rediit ad monasterium. Rodericus Toletanus libro 6. capite 1. & 2. Zurita in indic. rer. Arragon. ad ann. 1134. Marineus libro 8. rerum Hispanicarum. Hieronymus Blanca in commentar. re-

rum Arragon. Marianus libro 10. capite 5. Sic Poloni Cazimirum in monasterio sancti Benedicti super Ligerim Professum, jamque Diaconum ordinatum, repetierunt ab Abbate: a quo rejecti, ad Summum Pontificem, non solum voti liberationem, sed etiam vxorem ducendi licentiam impetrarunt, his conditionibus, vt in singula capita, demptis Clericis & nobilibus, numum præstitarent Sedi Apostolicæ, pro lampade perpetuo in æde D. Petri arsura, & vt deinceps Poloni comam attonsam more Monachorum ferrent, & vt denique singuli milites festis solemnibus inter Missarum solemnia fasciam lineam in modum stolæ, qua in sacris vtuntur Presbyteri & Diaconi, de collo suspensam ferrent. Martinus Cromerus rerum Polonicarum libro 4. ad ann. 1040. Joannes Dubravius Historiæ Bohemicæ libro 7. Quid Constantia nata Rogeri Regis Siciliæ, Professa in monasterio beatæ Mariæ apud Panormum, jamque quinquagenaria, ex dispensatione Celestini III. nupsit Henrico III. Imperatori, e qua susceptus est Fridericus II. Pandulfus Collenut. Histor. Neapolit. libro 3.



CAPUT XVII.

Damnantur qui liberos vel alios a religione avertunt.

QUANTO detestabilius est vitium apostasiæ, tanto detestabiles sunt parentes vel alii, qui a religionis proposito liberos vel alios avertunt. Horum pœna canonica est excommunicatio. Concilium Toletanum III. can. 10. *Si quis vero propositum castitatis viduæ vel virginis impedierit, a sancta communione & a liminibus Ecclesiæ habeatur extraneus.* Can. *Hoc sanctum* 32. quæst. 2. Bannum Episcopalem, id est, excommunicationem, eo nomine imponit Ordo Romanus. *Deinde publica voce bannum Episcopalem imponat, ne quis eam a divino servitio sub vexillo castitatis impediat, vt bona sua cum pace & quiete possideat.* Adversus vituperatores vitæ monasticæ tres libros scripsit Joannes Chrysostomus. Non

excusantur, inquit ille libro 3. capite 20. qui liberos vel alios ab ingressu monasterii avertunt, metu lapsus, non aliter ac si quis casui proximum, præcipitem daret. Cur enim, inquit, non sustinuisti illum suo fato, suo casu ruere: ἀλλὰ προλαβὼν ἥρπασας τὴν ἁμαρτίαν. *Sed præveniens alterius peccatum rapuisti*, id est, tuum fecisti tua præventione. Quam graviter peccent parentes qui liberos sine causa a proposito religionis avertunt, dolet Bernardus epistola 111. ex persona Heliæ Monachi ad parentes suos: *O durum patrem, o sævam matrem, o parentes crudeles & impios, imo non parentes, sed peremptores, quorum dolor salus pignoris, quorum consolatio mors filii est! Qui me malunt perire cum eis, quam regnare sine eis; qui me rursus ad naufragium, unde tandem nudus evasi; rursus ad ignem, unde vix semiustus exivi; rursus ad latrones, a quibus semivivus relictus sum, sed miserante Samaritano jam aliquantum convalui, revocare conantur, & militem Christi prope jam rapto cælo triumphantem, ab ipso jam introitu gloriæ, tanquam canem ad vomitum, tanquam suem ad lutum, ad sæculum reducere moliuntur*, &c. Æque nefarium inhibere volentem, quam invitum compellere ad Monasticen, existimavit Faustus apud Augustinum libro 30. contra Faustum cap. 4. *Nam & ipsi tam stultum judicamus inhibere volentem, quam nefas & impium sectis nolentem cogere*, &c. Nec desunt etiam inter ipsos fratres qui alios ad fugam sollicitant. De quodam fratre qui alios ad migrationem e monasterio sollicitabat, quasi comes fugæ futurus, & in monasterio semper subsistebat, narrat Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 10. capite 20.



LIBER




ASCETICΩN

SIVE


ORIGINUM REI MONASTICÆ

LIBER QUINTUS.



CAPUT I.

Communis vita Monachorum vtriusque sexus.



UA ratione a primis sæculis Clerici in commune vixere, nihil proprium habentes, Sozomenus libro 6. capite 31. κοινὴ δὲ ἔτι νῦν αὐτόθι κληρικοῖς οἴκησίς τε καὶ τράπεζα, καὶ τ' ἄλλα πάντα. *Clericis illius Ecclesiæ* (ea fuit Rhinocasurensis) *communis mensa, & alia denique omnia communia.* Augustinus sermon. de vita communi Cleric. *Nulli liceat in societate nostra habere aliquid proprium: sed si forte aliqui habent, nulli licet; & qui habuerint, faciunt quod non licet. Entheсam nobis habere non licet.* Idem sermone 3. de vita communi eorumdem: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia*

communia. Can. *Nolo.* Can. *Non dicatis* 12. quæst. 1. Quod vitæ institutum duravit multis sæculis. Synodus Turonensis III. can. 23. Moguntina can. 9. Meldensis can. 53. Can. *Necessaria* 12. quæst. 1. Eodem genere vivendi vsi sunt Monachi, ex quo in societates & cœnobia coiere : eis fuit vnum tectum , vnum cœnaculum , vnum refectorium , vnum dormitorium , denique nihil non commune. Basilius sermon. de institut. Monach. ἀποθήκη δὲ τοῖς πᾶσιν ἔστω μία κοινὴ, καὶ μηδὲν ἴδιον ἑκάστῳ ὀνομαζέσθω, μὴ ἱμάτιον, μὴ ὑπόδημα, μὴ ἄλλο τι τῶν πρὸς τὴν ἀναγκαίαν χρείαν τοῦ σώματος. *Apotheca vero communis omnium sit, neque proprium alicujus quicquam nominetur , non vestimentum , non calceamentum , non denique aliud quippiam eorum , quæ ad necessarium corporis vsum spectant.* In eandem sententiam Joannes Chrysostomus adv. vituperatores vitæ monasticæ libro 3. capite 10. καὶ πάντα αὐτοῖς κοινὰ, καὶ τράπεζα, καὶ οἴκησις, καὶ ἱμάτια. *Cuncta quippe illis communia sunt , mensa , domus , indumentum.* Idem in Matthæum Homil. 73. μία τράπεζα πᾶσι, καὶ τοῖς διακονουμένοις, καὶ τοῖς διακονοῦσι, τὰ αὐτὰ ἐδέσματα, τὰ αὐτὰ ἐνδύματα, τὰ αὐτὰ οἰκήματα, ἡ αὐτὴ δίαιτα. *Vna mensa omnibus , & ministrantibus , & his quibus ministratur , eadem epulæ , eadem indumenta , eadem domus , eadem vivendi ratio.* Inde vitam Monachorum primævæ vitæ fidelium , quæ erat communis , imaginem esse scribit Hieronymus de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus cap. 11. *Talem primam in Christum credentium fuisse Ecclesiam , quales nunc Monachi esse nituntur & cupiant , vt nihil cujusquam proprium sit , nullus inter eos dives , nullus pauper , patrimonia egentibus dividantur , orationi vacent & psalmis , doctrinæ quoque & continentiæ , quales & Lucas refert primum Hierosolymæ fuisse credentes.* Communem vitam Monachorum , societatem Sanctorum commemorat Augustinus in Psalm. 75. *Alius vovet relinquere omnia sua distribuenda pauperibus , & ire in communem vitam , in societatem Sanctorum , magnum votum vovit.* Idem in Psalm. 99. *Sic & in illa vita communi fratrum , quæ est in monasterio , magni viri sancti quotidie in hymnis , in orationibus , in laudibus Dei inde vivunt. Cum lectione illis res est , laborant manibus suis : inde si transigunt , non avare aliquid petunt : quicquid eis infertur a piis fratribus , cum sufficientia & cum caritate

vtuntur; nemo sibi vsurpat aliquid, quod alter non habeat; omnes se diligunt, omnes invicem se sustinent. Idem in Psalm. 132. *Præter communionem rerum Monachis est vna anima, vnum cor, id est, par communio Spiritus ac rerum.* Augustinus contra Faustum libro 5. capite 9. *Quam multæ fraternæ congregationes nihil habentes proprium, sed omnia communia, & hæc nonnisi ad victum & tegumentum necessaria, vnam animam & cor vnum in Deum caritatis igne conflantes.* Chrysostomus in Acta Apostol. Homil. 4. in illud: *Omnium erat cor vnum & anima vna.* οὕτως οἱ ἐν τοῖς μοναστηρίοις ζῶντες νῦν, ὥσπερ τότε οἱ πιστοί, τίς αὐ ἀπέθανεν οὖν ἀπὸ λιμοῦ, τίς δὲ οὐ διετράφη μετ' ἀφθονίας πολλῆς. *Sic qui in monasteriis nunc vivunt, quemadmodum olim fideles, quis mortuus est fame, quis non liberaliter educatus est?* Hinc Monachorum conventum angelicam respublicam vocitat Chrysostomus in Acta Apostolorum cap. 2. Homil. 7. τοῦτο πολιτεία ἀγγελική, μηδὲν αὐτῶν λέγειν ἴδιον εἶναι. *Hæc erat Angelica respublica, nihil dicere sibi proprium esse.* Et apud Monachos solos esse perpetuam societatem rerum, quæ morte vel renunciatione vel alio casu non solvitur, ait eleganter Joannes Cassianus collat. 24. capite vltimo: *Monachi soli perpetuæ conjunctionis retinent vnitatem, atque indiscrete possident vniversa, qui omnia sua esse quæ fratrum, omnia fratrum credunt esse quæ sua sunt.* Si qua est inter homines perfecta rerum societas, ea apud Monachos existit, religionis vinculo solidata. In hujusmodi tamen societate multi fallaces & falsi fratres inveniuntur. Augustinus contra Faustum libro 5. capite 9. *Quam multi continentes in Ecclesia & monasteriis, victum & tegumentum commune habentes, & in his ipsis professionibus multi fallaces! Inter veros Monachos vna anima, vnum cor.* Verum etiam ætate Augustini crebrius inter eos suboriebantur rixæ & schismata solis miseriis humanis condonanda. Fatetur ipse in Psalm. 99: *Laudat qui nescit quid interius agatur, qui nescit quomodo illo vento intrante, etiam naves in portu colliduntur.* In cœnobiis in commune Monachi habitare debent, exceptis solis Anachoretis & Hesychastis, quibus solis licet habere proprias & separatas cellulas. Novell. Justinian. 5. capite 3. Novell. 123. capite 36. Novell. 133. in princ. & capite 1. Quæ est vitæ communio & proprietatis

abdicatio inter Monachos, eadem præcipitur inter Sanctimoniales, nihil discrepante in vtroque sexu religionis proposito. Augustinus epistola 109. ex regula quam Sanctimonialibus dedit. *Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Monachi ita certe vivunt in commun, vt nihil proprium habeant, ne quidem vestem, ita vt omnes per vices vna vtantur. Evagrius libro 1. capite 21. vbi de monasteriis Palæstinæ: *οἱ μὲν γὰρ ἀγεληδὸν ζῶντες, ὡς καὶ τὴν πάντων ἐσθῆτα ἑνὸς εἶναι δοκεῖν, καὶ τὴν ἑνὸς ἁπάντων. Nam alii in commune vivunt, adeo vt omnium vestis vnius esse videatur, & vnius omnium.*



CAPUT II.

Vitæ communis pars melior communis oratio & psalmodia. Duplex officium, matutinum & vespertinum. Ritus Monachorum orandi & psallendi. Perpetuum officium.

VITÆ communis Monachorum præcipuum officium communis oratio & psalmodia, cujus concentu maxime continetur & accenditur religio. Augustinus in Psalm. 99. *Sic & in illa vita communi fratrum, quæ est in monasterio, magni viri sancti quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei inde vivunt. Cum lectione illis res est,* &c. Joannes Cassianus collat. 9. capite 2. *Omnis Monachi finis cordisque perfectio ad jugem atque indisruptam orationis perseverantiam tendit.* Dulcedo psalmodiæ ea est, quæ peperit monasteria, id est, infinita propemodum millia hominum congregavit ad laudes Dei concinendas. Idem in Psalm. 132. *Ista enim verba Psalterii, iste dulcis sonus, ista suavis melodia, tam in cantico quam in intellectu, etiam monasteria peperit: ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in vnum concupierunt.* Ac certe sine oratione & psalmodia non potest intelligi vita ascetica, nec ea tuta est a dæmonum insidiis. Juges Monachorum preces sunt perpetuæ excubiæ adversus insidias dæmonum.

Caſſianus collat. 7. capite 23. *Siquidem in ipſis cœnobiis, in quibus commorabantur octo vel decem, ita eorum* (dæmonum) *atrocitas graſſabatur, & frequentes ac viſibiles ſentiebantur aggreſſus, ut non auderent omnes pariter noctibus obdormire, ſed viciſſim aliis deguſtantibus ſomnum, alii vigilias celebrantes, pſalmis & orationibus ſeu lectionibus inhærebant: cumque illos ad ſoporem naturæ neceſſitas invitaret, expergefactus aliis, ad eorum qui dormituri erant, cuſtodiam ſimiliter excubiæ tradebantur.* Inde oratio validiſſimum ſcutum adverſus tentationes dicitur. Joannes Chryſoſtomus in Acta Apoſtolorum Homil. 3. in illa verba capitis 1. *Et erant perſeverantes in oratione.* καλῶς, inquit, μέγα γὰρ τοῦτο ὅπλον ἐν τοῖς πειρασμοῖς. *Pulcre magna ſiquidem armatura in tentationibus eſt deprecatio.* Et pſalmodia peregrinatio eſt & recta via qua itur ad Deum, & velut continens quo terra cælo conjungitur. Gregorius Nazianzenus epiſtola 13. τίς δώσει τὰς ψαλμῳδίας ἐκείνας, καὶ τὰς ἀγρυπνίας, καὶ τὰς διὰ εὐχῆς πρὸς Θεὸν ἐκδημίας, καὶ τὴν οἱονεὶ ἄϋλον ζωὴν καὶ ἀσώματον. *Quis dabit pſalmodias illas, & vigilias, & per orationem ad Deum peregrinationes, illamque velut materia vacantem & incorpoream viam?* Monachis oratio eſt coriphæus chori virtutum. Gregorius Nyſſenus de Scopo Chriſtiano πρὸς ἀσκητάς. δεῖ δὲ ἡμᾶς τῇ εὐχῇ πλέον προσκαρτερεῖν. οἷος γὰρ κορυφαῖός τις τοῦ χοροῦ τῶν ἀρετῶν αὐτὴ τυγχάνει. *Nobis vero amplius orationi inſiſtendum eſt, ſiquidem hæc veluti coriphæus chori virtutum.* Oratio præcipuum officium Monachi. Rufinus de vit. Patrum libro 1. capite *Monachi autem illud opus eſt præcipuum, ut orationem puram offerat Deo, nihil habens in conſcientia reprehenſibile.* Et quod in vita communi caritatis faſtigium eſt, Monachi erant pro vniverſo mundo. Joannes Chryſoſtomus in Joannem Homil. 77. καὶ αὐτοὶ πάλιν ὑπὲρ ἁπάσης εὔχονται τῆς οἰκουμένης, ὅπερ μέγιστον φιλίας ἐστὶ τεκμήριον. *Et ipſi rurſum pro vniverſo mundo erant, quod maximæ eſt dilectionis argumentum.* Denique officium divinum eſt opus Dei: ſic paſſim vocat regula Benedicti capite 22. 43. 44. 50. 52. 58. Bernardus in Cantic. ſermon. 47. *Ex regula namque noſtra nihil operi Dei præponere licet, quo quidem nomine laudum ſolemnia, quæ Deo in oratorio quotidie perſolvuntur, Pater ideo Benedictus voluit appellari, ut ex hoc clarius aperiret, quam nos*

operi illi velit esse intentos. Primis sæculis Monachi Ægyptii duplex officium per diem frequentarunt, vespertinum & nocturnum: vespertinum, quod solebat fieri sub vesperam ad solis occasum; nocturnum, nocte intempesta, id est, media nocte: vtrumque duodecim psalmorum recitatione implebatur. Joannes Cassianus de institutione Cœnobitarum lib. 2. capite 4. *Igitur per universam Ægyptum & Thebaidem duodenarius psalmorum numerus tam in vespertinis quam in nocturnis solemnitatibus custoditur; ita dumtaxat, ut post hunc duæ lectiones, veteris scilicet ac novi Testamenti, singulæ subsequantur, qui motus antiquitus constitutus: idcirco per tot sæcula penes cuncta illarum provinciarum monasteria intemeratus nunc usque perdurat, quia non humana adinventione statutus, a senioribus affirmatur, sed cælitus angeli magisterio Patribus fuisse delatus.* Et ab initio apud Ægyptios Patres psalmodiæ ritus diversus fuit ab eo quem Ecclesiæ cæteræ observabant: nec enim psalmodia celebrabatur alternis choris, sed vnus stans psalmum decantabat, sedentibus & silentibus aliis. Idem de institutione Cœnobitarum libro 2. capite 5. *Quotidianos orationum ritus volentibus celebrare, unus in medium psalmos Domino cantaturus exurgit, cumque sedentibus cunctis, ut est moris nunc usque in Ægypti partibus, & in psallentis verba omni cordis intentione defixis, undecim psalmos orationum interjectione distinctos contiguis versibus parili pronunciatione cantasset.* Usu tamen frequentior in monasteriis Orientis fuit ritus psallendi alternis choris, cujus auctorem Ignatium in Antiochena Ecclesia tradit Socrates libro 6. capite 8. Flavianum & Diodorum Monachos, Theodoritus libro 2. capite 24. in hoc concors cum Socrate, quod in Ecclesia Antiochena primum hoc genus psallendi institutum fuisse refert, & inde ad vniversas Ecclesias felici traduce pervenisse. Hujus scriptoris verba hæc sunt: οὗτοι πρῶτοι διχῇ διελόντες τοὺς τῶν ψαλλόντων χόρους, ἐκ διαδοχῆς ᾄδειν τὴν Δαυιτικὴν ἐδίδαξαν μελῳδίαν, καὶ τοῦτο ἐν Ἀντιοχείᾳ πρῶτον ἀρξάμενον. πάντοσε διέδραμε καὶ κατέλαβε τῆς οἰκουμένης τὰ τέρματα. *Hi primi psallentium choro in duas partes diviso, hymnos Davidicos alternis canendos tradiderunt: quæ res primum incœpta Antiochiæ ubique pervenit, & ad ultimas orbis terræ oras pervagata est.* Inde ad Occidentales

Ecclesias brevi tractu pervenit iste ritus psallendi alternis, etiam in conventualibus Ecclesiis, quem tempore interdicti quoque tulere Pontifices, modo clausis foribus fieret. Cap. *Quod inter* extra *De pœnitent.* Singulare est quod memoratur de Publio Abbate, eum collegisse duplicem cœtum Monachorum: alium Græcorum, qui sermone Græco laudes Dei celebrarent; alium Syrorum, qui Syriaca lingua: eoque fatis functo, Theotecnum Græcæ linguæ, Aphtonium Syriacæ præfecturam suscepisse. Theodoritus Histor. Patr. capite 5. Monachorum sacrum officium aliud erat vespertinum, aliud nocturnum, vt modò dixi. Vespertinum erat, quod sub vesperam & ad solis occasum celebrari moris erat: vnde vespertina synaxis dicitur passim. Cassianus collatione 8. capite 16. *Nam cum vnus ex fratribus nostris in hac solitudine iter ageret, advesperascente jam die, antrum quoddam reperiens, ibidem substitit, vespertinam volens in eo synaxim celebrare.* Idemque collatione 9. capite 36. *Vespertina synaxi celebrata, sopore paululum membra laxavimus.* Idem collat. 22. cap. 1. *In ipso noctis initio, id est, post synaxim vespertinam.* Alia enim erat synaxis precum, alia ἁγιασμάτων, seu sacrorum mysteriorum. Athanasius Apolog. ad Constantium: καὶ γέγονεν οὐκ ἐγκαίνια, ἀλλὰ σύναξις εὐχῆς. *Nec celebrata sunt encænia, sed tantum precum synaxis.* Et hoc est quod alibi vocatur lucernarium, quod perageretur accensis lucernis. Concilium Toletanum I. can. 9. *Lucernarium vero nisi in Ecclesia non legatur.* Lucernalis hora, Cassian. libro 3. de institutione Cœnobitarum capite 7. Vespertinum, Synod. Emeritens. can. 2. *Sicut in aliis Ecclesiis vespertino tempore, post lumen oblatum prius dicitur vespertinum.* Græci λύχνικον. Synod. VI. in Trullo can. 91. Palladius Historiæ Lausiac. cap. 38. καὶ ἐν τῷ λυχνικῷ δώδεκα. *Et in vespertino duodecim orationes.* Epiphanius in synopsi fidei. λυχνικοί τε ψαλμοὶ καὶ προσευχαί. *Lucernales psalmi & orationes.* Nocturnum officium erat quod media nocte incipiebat: ab Ecclesia institutum exemplo Davidis, Psal. 118. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Ambrosius in Lucam lib. 2. cap. 3. *Væ mihi est, si non media nocte surrexero ad confitendum tibi.* De quo idem in Psalm. 118. Chrysostomus in Acta Apostolorum Homil. 26. Hunc ritum tenacius se-

cuti Monachi. Eo se referens Chrysostomus de comparat. Regis & Monachi : Si noctis tempus , inquit, spectemus, Monachum videbimus πολὺ πρότερον ᾄδοντα τῶν ὀρνίθων , *multo prius avibus canentem*, nimirum ante lucem jam a media nocte: & hæc est quæ dicitur nocturna synaxis. Cassianus collat. 17. capite 3. *Adventum senis atque instantem jam horam nocturnæ synaxeos paulatim præstolati , postquam eum solita salutatione suscepimus , & legitimus orationum atque psalmorum impletus est numerus.* Officium nocturnum & diurnum statis horis distinctum, ne vllum momentum a Dei cultu & obsequio vacaret. Post nocturnas vigilias secutæ sunt Matutinæ, Tertia, Sexta , Nona , Vesperæ , Completorium. Hæ sunt quas horas canonicas dicunt, certis intervallis distinctæ. Hieronymus in epitaphio Paulæ : *Mane, hora tertia, sexta, nona , vespera , noctis medio , per ordinem psalterium recitabant.* Joannes Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 3. capite 2. *Apud illos etenim hæc officia, quæ Domino solvere per distinctiones horarum & temporis intervalla, cum admonitione compulsoris adigimur , per totum diei spatium jugiter cum operis adjectione spontanee celebrantur.* Chrysostomus in primam ad Timoth. Homil. 14. ἐκεῖνοι δὲ πάλιν εὐχὰς ἑωθινὰς ἐπιτελέσαντες πρὸς τὴν τῶν γραφῶν ἀνάγνωσιν τρέπονται· οὐδενὸς φλυαροῦντος, οὐδενὸς οὐδὲν λέγοντος , τρίτην, ἕκτην, ἐννάτην καὶ τὰς ἑσπερινὰς εὐχὰς ἐπιτελοῦσι. *Illi contra matutinis precibus hymnisque peractis, ad sanctarum Scripturarum studia se convertunt: sicque nemine nugante, aut aliud aliquid loquente, tertiam, sextam , nonam , vespertinamque consummant synaxim.* De officio Nonæ Theodoritus de vit. Patrum capite 3. κοινῇ τὴν τῆς ἐννάτης ἐπετέλεσαν λειτουργίαν. *Nonæ simul officium peregerunt.* Inde quia officium certis spatiis velut decurritur, cursum vocarunt Bonifacius Moguntinus epistola 17. *Wigbertus Presbyter & Megingordus Diaconus regulam vestram vobis insinuant, & speciales horas, & cursum Ecclesiæ custodiunt.* Et Hugbaldus Abbas in vita sanctæ Rictrudis apud Surium 12. Maii: *Cursum vero suum, id est, pensum precum canonicarum.* Ekkeard. Junior de casibus monaster. sancti Galli capite 3. de Notkero: *Plerumque cursus & missas negligebat, Bonas, inquiens, missas audimus, cum eas agi docemus.* Pensum canonicum vocat Ivo Carnotensis

tensis epistola 19. *Raro etiam canonicum pensum determinatis horis solvere prævalemus.* Veteres Collectam vocant, quia collecti fratres officium celebrant. Hieronymus ad Eustochium: *Post alleluia cantatum, quo signo vocabantur ad Collectam, nulli residere licitum erat.* Rufinus de vit. Patrum libro 1. cap. 29. *Surge, Abba Macari, & eamus ad Collectam, vbi fratres ad vigilias congregantur.* Et mox: *Abiit ergo ad Collectam, vbi a fratribus vigiliæ celebrantur.* Quod idem repetit iisdem verbis libro 2. capite 43. Et hoc est quod signat Gregorius lib. 9. epistola 38. Indict. 4. *Tunc collecti pro eo fratres sese per triduum in precibus astrinxerunt.* In Oriente psalmum quemque sequebatur oratio: in Occidente solemnis glorificatio Trinitatis, quæ in hunc diem perstat. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 2. capite 8. *Illud etiam quod in hac provincia vidimus, vt vno cantante in clausula psalmi, omnes astantes concinant cum clamore, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, nusquam per omnem Orientem audivimus, sed cum omnium silentio ab eo qui cantat finito psalmo, orationem succedere.* Monachi stantes psallebant: inter hæc orabant flexis genibus, expansis manibus. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 2. capite 7. *Apud illos ergo non ita est, sed antequam flectant genua, paulisper orant, & stantes in supplicatione, majorem temporis partem expendunt: itaque post hæc puncto brevissimo procidentes, humi velut adorantes tantum divinam clementiam, summa velocitate consurgunt, ac rursus erecti expansis manibus, eodem modo quo prius stantes oraverant, suis precibus intentius immorantur.* Joannes Chrysostomus in 1. ad Timothæum Homil. 14. καὶ ἑστήκασι τὸν ἅγιον στησάμενοι χορὸν, καὶ τὰς χεῖρας ἐκθύμως ἀνατείναντες. *Adstantque sacro instituto choro, protinusque expansis manibus sanctos concinunt hymnos.* Auctor sermon. ad fratres in eremo sermone 3. *Elevate capita, vt elevemini corde: extendite brachia, vt extendamini toto corpore, volantes ad cælum.* Bernardus in vita Malachiæ: *Quoties noctes totas pervigiles duxit, extendens manus in oratione.* Laudatur Gosuinus Aquicinctensis Abbas, quod inter officia sacra sessione abstinuerit vsque ad extremam senectam. Auctor ejus vitæ libro 2. capite 5. *Nullius solemnis officii prolixitate potuit permoveri, vt indulgeret corpusculo sessionem, nisi in-*

terdum triennio ejus decessionem præcedente. Eadem laude Othonem Priorem sancti Mathiæ juxta Treverim commendat Thomas Cantipratensis libro 2. cap. 1. *Primus semper ad omnes horas, primus ad Matutinas de nocte surgebat, nullo vmquam in choro die vel nocte appediamento sedium vtebatur.* Monachi etiam toto corpore prostrati orabant. Rufinus de vit. Patrum libro 1. capite 29. *Vbi vero post psalmum ad orandum se projecissent, fratres percurrebant nihilominus singulos, & ante alium jacentem in oratione quasi mulierum specie ferebantur.* (ii erant dæmones puerulorum Æthiopum specie Monachis infesti) Utrumque morem orandi expansis matribus & prostrato corpore signat Augustinus de cura pro mortuis gerenda capite 5. *Nam & orantes de membris sui corporis faciunt, quod supplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo.* Veteres Monachi vtriusque sexus psalmos memoriter canebant. Hinc Hieronymus ad Rusticum Monachum: *Numquam de manibus & oculis discedat liber, discatur psalterium ad verbum.* Idemque ad Lætam: *Discat primo psalterium, his se canticis avocet.* Idem in epitaph. Paulin. *Nec licebat cuiquam sororum ignorare psalmos, & non de Scripturis sanctis quotidie aliquid discere.* Idem in vita Malchi: *Orabam jugiter, canebam psalmos, quos in monasterio didiceram.* Epiphanius in synopsi fidei: ἐν ψαλμῳδίαις δὲ οἱ πλείους, καὶ εὐχαῖς διηνεκέσιν, ἀναγνώσεσί τε γραφῶν ἁγίων, καὶ ἀποστηθισμοῖς ἀσκοῦνται. *Magna vero ex parte in decantandis psalmis, ac perpetuis orationibus, & sacrarum litterarum lectionibus, iisdemque memoriter pronunciandis, se ipsos exercent.* Abbatis officium erat nunciare horas canonicas: vel quia plerumque non vacabat ob majores occupationes, sollicito fratri id demandabat. Regula Benedicti capite 47. Abbatis munus fuisse, vt Monachos de nocte excitaret ad horas canonicas, testatur Chrysostomus in prælaudatam 1. ad Timothæum Homil. 14. ἀλλ' εὐθέως ἅπαντες μετ' εὐλαβείας τὸν ὕπνον ἀποθέμενοι διανίστανται, τοῦ προεστῶτος αὐτοὺς διεγείροντος. Et infra: ἀλλ' ὅπερ ἔφην ἀλεκτρυὼν ἐφώνησε, καὶ εὐθέως ἐλθὼν ὁ προεστώς, καὶ τῷ ποδὶ τὸν κείμενον ἀπαλῶς νύξας πάντας ἀνέστησεν. *Verum omnes cum reverentia discusso sopore consurgunt a Præsule excitati suo. Sed, vt dixi, galli cantu continuo Præpositus assistit, pulsatque modice pede*

jacentem, sicque omnes una protinus excitat. Cura indicendi horas canonicas solebat demandari uni e fratribus, quem Græci κανονάρχην, qui signo dato, puta pulsatione tabulæ ligneæ, fratres excitabat ad horas canonicas. Palladius Historiæ Lausiacæ capite 11. καὶ κρούσαντος τοῦ κανονάρχου τὸ ξύλον, ἐφ' ᾧ πάντας τοὺς ἀδελφοὺς συναχθῆναι. *Pulsante Canonarcho lignum, quo omnes fratres convenirent.* Idem capite 50. ὅτι ἐν μιᾷ νυκτὶ ἠγέρθην, ἐφ' ᾧ κρούσαι τὸ ξύλον· ἤμην γὰρ κανόναρχος. *Cum quadam nocte surrexissem, ut pulsarem signum: eram enim Canonarcha.* Dorotheus doctrin. 11. ἄρα εἶπέ μοι ὁ κανονάρχης ῥῆμα, ἢ ἄλλος τῶν ἀδελφῶν, καὶ οὐκ ἐβάστασα. Et infra: καὶ ὡς μόνον ἥρπαζον μικρὸν, ἰδοὺ ὁ κανονάρχης ἐξύπνιζέ με. *An dixit mihi Canonarchas, vel quis alius fratrum, nec ferre potui. Et cum paululum obdormissem, excitabar a Canonarcha nostro.* Compulsorem vocat Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 3. capite 2. *Cum admonitione compulsoris adigimur.* Pulsantem idem lib. 4. cap. 12. *Cum sonitum pulsantis ostium ac diversorum cellulas percutientis audierint, ad orationem eos scilicet seu ad opus aliquod invitantis, certatim e cubilibus suis unusquisque prorumpit.* Circatorem a circando, id est, circumeundo, quod officii causa lustraret monasterium. Ekkeard. Junior de casibus monasterii sancti Galli cap. 3. *Et ecce primo signo ad Vesperas pulsato, Circator fratres collecturus, asino pro religione insidens, ostio domus hospitii jam dicti, quasi aliquem & ibi quæsiturus, appropriat.* In fine synaxis fiebat trina supplicatio & genuflexio. Joannes Cassianus collat. 9. capite 34. *Satis vero constat illum trinæ orationis numerum, qui solet in congregationibus fratrum ad concludendam synaxim celebrari, eum qui intento animo supplicat, observare non posse.* Apud Dominicanos, post Completorium cum Processione solemni cantatur *Salve Regina*, in laudem Virginis matris Dei: quod a Parisiensibus institutum susceptum est in aliis monasteriis Ordinis. Thomas Cantipratensis libro 2. cap. 10. *Vere ergo digne & juste a fratribus Prædicatoribus Parisiis est sancitum, ut post Completorium omni die cum Processione & solemnitate cereorum Salve Regina, flexis in initio genibus, in gloriam & laudem gloriosissimæ Virginis decantetur: & hoc diligentissime in singulis domibus Ordinis observatur.* Post nocturnas vigilias,

in Aquicinctenſi monaſterio fratres non recedebant e choro ſomni cauſa, ſed ſedebant in ſtallis ſuis: donec ab Henrico Archiepiſcopo Rhemenſi ſtatutum eſt, vt poſt Matutina fratres pauſarent, quo infirmis conſuleretur. Auctor vitæ D. Goſuini libro 3. capite 11. *Antiquitus enim in Eccleſia Aquicinctenſi, a Kalendis Novembris vſque ad Paſcha, fratres poſt Matutina dormitum non ibant, ſed in conventu ſedebant, ita vt ſæpe pueri ad lumen cantarent candelarum: ſed in anno quo de vita deceſſit, præceptum eſt a Domino Henrico Rhemorum Archiepiſcopo, vt fratres Matutinis expletis pauſarent, propter multorum infirmitatem.* In quibuſdam monaſteriis juge & indeſinens die noctuque moris fuit celebrari officium, aliis per vices ſuccedentibus, tum vt laudes Dei perpetuæ canerentur, tum vt vitaretur confuſio, propter multitudinem Monachorum. De Benchorenſi monaſterio Hyberniæ teſtatur Bernardus in vita Malachiæ: *Aiunt tam magnam gentem fuiſſe, vt ſuccedentibus ſibi viciſſim choris continuarentur ſolemnia divinorum, ita vt ne momentum quidem diei ac noctis vacaret a laudibus. Hæc de antiqua dicta ſint Benchorenſis monaſterii gloria.* Gennadii Patriarchæ tempore Conſtantinopoli extructum eſt cœnobium Monachorum, quos ἀκοιμήτους vocant, inſomnes, vigilantes, quod in claſſes diviſi die noctuque pervigiles Deo laudes canerent per vices: de quibus Evagrius libro 3. capite 19. libro 5. capite 16. Nicephorus Calliſt. libro 5. capite 23. Zonar. in Leone. Suidas in verbo *Studius.* Æque apud Judæos perpetuum ſacrificium fuit, quod a Græcis dicitur ἐνδελεχισμός. Joannes Chryſoſtomus orat. 36. ad Antiochenos. Apud veteres Patres jugis & indefeſſa exercitatio fuit oratio. De Antonio Athanaſ. in ejus vita. προσηύχετο δὲ συνεχῶς, *Orabat ſine intermiſſione.* Hic pernoctabat in oratione ita indefeſſus, vt orientem ſolem increparet, quaſi impediretur. Caſſianus collatione 9. capite 31. In Ordine Cluniacenſi ita prolixum fuit officium, vt vix per æſtatem vacaret ſemihora: quod optima ratione ſtatutum, vt peccandi occaſio tolleretur. Tradit Petrus Damianus libro 6. epiſtola 5. ad Cluniacenſes: *Nam tanta erat in ſervandi ordinis continua jugitate prolixitas, tanta præſertim in Eccleſiaſticis officiis protelabatur inſtantia, vt in ipſo Cancri*

sive Leonis æstu, cum longiores sunt dies, vix per totum diem unius saltem vacaret horæ dimidium, quo fratribus in claustro licuisset miscere colloquium. Hoc autem tam continui laboris exercitium ad hoc est, vt reor, solerti satis ac provida magisterii arte provisum, vt levium atque infirmorum fratrum fragilitatem reprimat; & delinquendi propemodum occasionem tollat, quatenus, etiam si velint, præter cogitationem peccare vix possint. Fragilium igitur imbecillitati consulitur, dum in persolvendo continui ordinis penso, totum non modo divini, sed & nocturni temporis spatium profligatur. A Cisterciensibus tamen notantur Cluniacenses, quod Completorium sequeretur comessatio. Petrus Cellensis libro 8. epist. 23. *Est autem consuetudo comessationum & epotationum, quæ fiunt post Completorium.* His adde quod sacrum officium Monachorum diversum fuit ab officio Clericorum, vt colligitur ex can. *Placuit* 12. distinct. 1. quo præcipitur vt vnus & idem ordo psallendi servetur, neque monasteriorum consuetudines cum Ecclesiastica regula permisceantur. Hinc cursum monasterialem a Gallicano, id est, Ecclesiastico, distinxit auctor vitæ sancti Walerici apud Surium 1. April. cum ait *eum cursum tam monasterialem quam Gallicanum magno studio indesinenter celebrasse.*



CAPUT III.

Oratio ad calculum, oratio mentalis, olim apud Monachos in vsu.

PRÆTER canonicum psalmodiæ officium, veteres Monachi aliis privatis orationibus certo numero repetitis operam dabant, quasi ad calculum. Moses Æthiops ex principe latronum sanctissimus Monachus, quinquaginta per diem orationes repetebat. Palladius Historiæ Lausiacæ capite 22. Sosomenus libro 6. capite 29. Paulus Abbas per diem trecentas orationes fundebat. Palladius cap. 23. Apollonius centum per diem, totidem per noctem preces Deo consignabat. Palladius capite 52. Rufinus de vit. Patrum libro 1. ca-

pite 7. Necnon psalmodiæ addebatur oratio, id est, oratio mentalis seu meditatio. Theodoritus de vit. Patrum cap. 5. ἀλλὰ τὴν μὲν ψαλμῳδίαν ἡ εὐχὴ, τὴν δὲ εὐχὴν ἡ ψαλμῳδία, ἀμφότερα δὲ ἡ τῶν θείων λογίων ἀνάγνωσις διεδέχετο. *Sed psalmodiam oratio, orationem psalmodia, & vtrumque diuinorum lectio excipiebat.* Et haud dubie de hoc genere orationis intelligendum est quod fertur de magno Antonio, eum pernoctasse in oratione. Quali enim oratione vsus sit, satis aperte colligitur ex aurea ejus sententia de oratione; quam refert Cassianus collatione 9. capite 31. *Non est, inquiebat, perfecta oratio, in qua se Monachus, vel hoc ipsum quod erat, intelligit.* Hoc schema orationis fere desuetum restituit Benedictus in Occidente, vt indicat ingredientibus religionem regula capite 58. *Postea autem sit in cella Nouitiorum, vbi meditetur & manducet & dormiat.* Alio loco tempus orationis præscribitur, post nocturnas vigilias, anima jam ad orationem parata, psalmodiæ incentiuo. Ejusdem regula capite 8. *Quod vero restat post vigilias, a fratribus qui psalterii vel lectionum aliquid indigent, meditationi inseruiatur.* Hujusmodi orationis vsus his diebus maxime refloruit. Hunc vniuersi Ordines auide amplexi sunt, auctore & duce Teresia, Ordinis Carmelitarum sanctissima virgine.

CAPUT IV.

Orationis comes lectio sacrorum librorum. Lectionis delectus.

PSALMODIÆ & orationi veteres apud Monachos comes erat lectio sacrorum librorum, quasi adjecta oratio. Joannes Chrysostomus in primam ad Timoth. Homil. 14. ἐκεῖνοι δὲ πάλιν εὐχὰς ἑωθινὰς ἐπιτελέσαντες ὕμνους, πρὸς τὴν τῶν γραφῶν ἀνάγνωσιν τρέπονται. *Illi contra matutinis precibus hymnisque peractis, ad sanctarum Scripturarum studium se conuertunt.* Theodoritus de vit. Patrum capite 5. ἀλλὰ τὴν μὲν ψαλμῳδίαν ἡ εὐχὴ, τὴν δὲ εὐχὴν ἡ ψαλμῳδία, ἀμφότερα δ'

ἡ τῶν θείων λογίων ἀνάγνωσις διεδέχετο. *Sed psalmodiam oratio, orationem psalmodia, & utrumque divinorum lectio excipiebat.* Eleganter auctor sermon. ad fratres in eremo. *Lectio sacræ Scripturæ Monachorum refectio, Episcoporum vacatio, Sacerdotum cellarium.* Ob dolorem capitis lectioni se vacare non posse, dolet Cassianus collat. 10. capite 10. *Volentem me ob stabilitatem cordis insistere lectioni, interpellans capitis prohibet dolor, horaque tertia faciem meam ad sacram paginam somnus allidit, ac deputatum quieti tempus vel transgredi vel prævenire compellor.* Junioribus Monachis lectionis sacrorum librorum delectus habendus est judicio seniorum. Cassianus collat. 19. capite 16. *Satis enim perversum est adhuc, infirmisque ægrisque pectoribus, vel tenuissimam recordationem hujus passionis admittere, ita ut nonnumquam eis etiam sub recordatione sanctarum feminarum, vel sub sacræ lectionis historia noxiæ titillationis stimulus excitetur, cujus causa seniores nostri hujuscemodi lectiones sub præsentia juniorum solent consultissime præterire.* Hac ratione ne Heptaticum aut libri Regum a fratribus legantur, quod ibi mentio fiat de rebus bellicis, de conjugio, vxoribus & liberis, vetat regula Benedicti capite 42. *Et legat vnus collationes vel vitas Patrum, aut certe aliquid quod ædificet audientes: non autem Heptateucum, aut Regum, quia infirmis intellectibus non erit vtile illa hora hanc scripturam audire; aliis vero horis legantur.* Monachis assiduam orationem & lectionem indicit Gregorius libro 2. Indictione 11. epistola 3. ad Eusebium Abbatem: *Non frequenter foras egrediaris, in causis istis procuratorem institue, & tu ad lectionem atque orationem vaca.* Et infra: *In ipsis autem fratribus monasterii tui, quos video, non invenio vos ad lectionem vacare.* Eodem ingenio Clericis assiduam orationem & lectionem, quasi præcipuas partes vitæ spiritualis, suadet Cyprianus epistola 2. ad Donatum: *Sit tibi vel oratio assidua vel lectio; nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum; ille te præceptis suis instruat, ille disponat,* &c.



CAPUT V.

Collationum vſus Monachos inter.

PRÆTER lectionem ſacrorum librorum, apud Patres in vſu fuit collatio de rebus aſceticis, cui ſemper præerat vnus e ſenioribus. Joannes Caſſianus collat. 2. capite 2. *Memini igitur quondam in annis adhuc pueritiæ conſtitutus, in partibus Thebaidis, vbi beatus Antonius morabatur, ſeniores ad eum perfectionis inquirendæ gratia conveniſſe; cumque a veſpertinis horis vſque ad lucem fuiſſet protracta collatio, quaſtionem hanc maximum noctis ſpatium conſumpſiſſe.* Idem collatione 16. capite 10. *Sed cum in vnum convenientes ſententias noſtras promere cœpiſſemus, quadam communi examinatione diſcuſſa, primum ab altero falſa ac noxia notabantur: mox deinde vt perniciosa communi pronunciata judicio damnabantur, quæ in tantum prius infuſa a diabolo, velut luce fulgebant, vt facile potuiſſent generare diſcordiam, niſi præceptum ſeniorum, velut divinum quoddam oraculum cuſtoditum, ab omni nos contentione revocaſſet. Quod ab illis legali quadam ſanctione præſcriptum eſt, vt neuter noſtrum plus judicio ſuo quam fratris crederet.* Hinc vitam Monachorum in orationibus, lectionibus & diſputationibus, per quas intelliguntur collationes, quæ non ſine diſputatione fiunt, tranſigi ait Auguſtinus de moribus Eccleſiæ Catholicæ capite 31. *Sed ſi hoc excedit noſtram tolerantiam, quis non illos miretur & prædicet, qui contemptis atque deſertis mundi hujus illecebris, in communem vitam caſtiſſimam ſanctiſſimamque congregati, ſimul ætatem agunt viventes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus, nulla ſuperbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi; ſed modeſti, verecundi, pacati, concordiſſimam vitam & intentiſſimam in Deum gratiſſimum munus ipſi offerunt, & quo iſta poſſe meruerunt.* Collatio eſt collatio ſermonis duos vel plures inter. Ambroſius epiſtola 2. *Collatio ſermonis vt pecuniæ magno eſt vſui.* In monaſteriis Ægypti & aliis, advenientibus hoſpitibus, poſt refe-

ctionem

ctionem cum his habebatur collatio de rebus spiritualibus. Cassianus collatione 18. capite 11. *Tum Abbas Serapion refectione transacta, collationis consuetudine provocante, monere eum benigne ac leniter cœpit.* Rufinus de vit. Patrum libro 1. capite 1. de Joanne Lycopolita. *Verum ubi refectus est, & paulatim requievit, ex more quasi ab eruditissimo & opinatissimo Patre cœperunt verbum ædificationis expetere, ac monita salutis inquirere.* Benedictus hujusmodi collationum usum videtur non suscepisse, sed ejus loco lectionem collationum Patrum: ne forte contentioni inter fratres, & silentii infractioni occasio daretur. Regul. capite 42. *Et legat unus collationes vel vitas Patrum, aut certe aliquid quod ædificet audientes.* Et hujusmodi lectio collationum juxta regulam Benedicti in usu fuit, etiam ætate Bernardi, ut traditur in ejus vitæ libro 1. capite 12. *Contigit autem advesperascente jam die, ut cæteris fratribus juxta consuetudinem accedentibus ad lectionem collationum, solus Abbas cum duobus fratribus sibi assistentibus remaneret in diversorio, in quo jacebat.* Tamen collationem religiosi sermonis mirum conducere Monachis ad adipiscendam perfectionem vitæ asceticæ, uti negotiantibus collationem pecuniæ ad amplificandum mercimonium, verissimum: & hoc est quod dictum est a Patribus, sedere in cella dimidium esse, & cum senioribus congredi alterum dimidium esse. Dorotheus doctrin. 11. ὅτι καθίσαι εἰς τὸ κελλίον ἥμισύ ἐστι, καὶ τὸ παραβαλεῖν γέρουσιν ἥμισύ ἐστι. *Sedere in cella dimidium quoddam est, & cum senioribus congredi dimidium est.*



CAPUT VI.

Sacræ communionis usus apud Monachos varius pro tempore.

VETERES Monachi, ut cætera eorum pia officia persequar, quia adhuc erant extra Clerum, singulis diebus dominicis conveniebant ad Ecclesiam proximam, & a manibus Presbyteri cum plebe communicabant. Theodoritus de vit. Patrum capite 12. εἰς τὴν θείαν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν

πολλάκις κατὰ κυριακὴν ἡμέραν ἐφοίτα, τῶν θείων ἐπαΐων λόγων, καὶ τοῖς διδασκάλοις ὑποτιθεὶς τὰ ὦτα, καὶ τῆς μυστικῆς μεταλαμβάνων τραπέζης, εἰς τὸ καινὸν ἐκεῖνο καταγώγιον ἐπανῄει. *Veniebat cum populo ad divinam Ecclesiam die dominico, & divinos audiebat sermones, & aures præbebat doctoribus, & mystica mensæ particeps factus, redibat ad novum illud habitaculum.* Cassianus collatione 7. capite 34. *Quamobrem soporis modicum degustantes, discutiamus obrepentem oculis nostris vicina jam luce torporem, ac deinceps pariter ad Ecclesiam procedentes, quoniam nos hoc facere dominicæ diei solemnitas commonet, reversi post synaxim, ea quæ Dominus ad instructionem communem pro desiderio vestro largitus fuerit, duplicato gaudio conferamus.* Rufinus de vit. Patrum libro 1. capite 22. *Die tantum Sabbati & dominica in unum ad Ecclesiam coeunt; & ibi semel ipsos invicem tamquam cælo redditos vident.* Et vbi Monachi ad Ecclesiam conveniebant communionis causa, locus eis erat extra cancellos altaris, medius inter Clerum & plebem. Dionysius Areopagita epistola 8. ad Demophilum. Tabennesiotæ juxta regulam Pachomii ab angelo traditam, communicabant die Sabbati & die dominico. Palladius Historiæ Lausiacæ capite 38. εἰσιόντες δὲ εἰς τὴν κοινωνίαν τῶν μυστηρίων τοῦ Χριστοῦ, κατὰ σάββατον καὶ κυριακὴν τὰς ζώνας λύετωσαν. *Ingredientes autem ad Christi communionem Sabbato & Dominica zonas solvant.* Eadem disciplina vsi sunt & alii Monachi Ægyptii. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 5. capite 26. *Vidimus alium in solitudine commorantem, refectionem jugiter distulisse, donec Sabbato vel dominico die, devotæ congregationis obtentu, procedens ad Ecclesiam, peregrinorum quempiam reperisset.* Eundem morem suscepere & Monachi Syriæ & Orientis. Laudatur Paphnutius Abbas Scythi, quod monasterium erat in Syria, quod jam longævus, e cella millibus quinque remota, die Sabbati & dominico ventitaret ad Ecclesiam. Cassianus collatione 3. capite 1. collat. 18. capite 15. Alii zelo ferventiores quotidie communicabant, nec prius cibum sumebant, quam refecti sacris mysteriis. Quotidianam communionem fratribus ad se venientibus indicebat Apollo Abbas. Palladius capite 52. εἰ γὰρ σὺν αὐτῷ ἀδελφοὶ οὐ πρότερον τῆς τροφῆς μετελάμβανον, πρὶν ἢ τῆς εὐχαριστίας τοῦ Χριστοῦ κοινωνήσωσι. τοῦτο

δὲ ἐποίουν κατὰ τὴν ἐννάτην ὥραν ἡμέρας. *Qui enim cum ipso erant fratres, alimentum non prius accipiebant, quam Eucharistiæ Christi communicassent. Hoc autem faciebant hora nona diei.* Idem institutum fuit Apollonii Abbatis: de quo Rufinus de vit. Patrum libro 1. capite 7. *Consuetudo autem erat apud eum, vt fratres qui cum ipso erant, non prius cibum sumerent, quam communionem dominicam perciperent circa horam diei nonam. Sed & hoc monebat, vt si fieri posset, quotidie Monachi communicarent mysteriis Christi, ne forte qui longe fuerit ab his, longe fiat a Deo.* Persæpe alii de manu Presbyteri sanctam Eucharistiam accipiebant, & eam in cellulam asportabant, vt sua manu assumerent, si necessitas vrgeret. Basilius epist. 289. ad Cæsariam: πάντες γὰρ οἱ κατὰ τὰς ἐρήμους μονάζοντες, ἔνθα μὴ ἔστιν ἱερεὺς, κοινωνίαν οἴκοι κατέχοντες, ἀφ᾽ ἑαυτῶν μεταλαμβάνουσιν. ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ καὶ ἐν Αἰγύπτῳ ἕκαστος, καὶ τῶν ἐν λαῷ τελούντων, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἔχει κοινωνίαν ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. *Nam & illi omnes, qui per eremos vitam monasticam instituunt, vbi copia non suppetit Sacerdotis, cum habeant domi communionem, illam de manibus suis percipiunt. Alexandriæ autem & per Ægyptum vnusquisque, etiam de plebe, vt plurimum, habet domi suæ communionem.* Tandem collapsa fere religione, cum de ea instauranda cogitatum est, satis visum est, pro tepiditate ætatis menstruam communionem apud Monachos restitui. Clement. *Ne in agro. §. Sane. de statu Monach. Sane singulis mensibus tam in monasteriis quam extra, sublata occasione quacumque, ad confessionem saltem semel accedant omnes & singuli Monachi, & in prima Dominica mensis cujuslibet in monasteriis semper communicent, nisi ex causa forte quam Abbati, Priori, aut Pœnitentiariis monasteriorum non differant intimare, eorumque judicio vel abstineant vel accedant.* Quod comprobavit Constitutio Benedictina cap. 27.





CAPUT VII.

Manuum opus Monachorum, ejusdem ratio: modus operis, variæ species operis.

PSALMODIAM, orationem & lectionem apud Monachos sequebatur manuum opus. Hæc duo præcipua sunt officia Monachorum, sacris Scripturis vacare, aut manibus operari. Novell. Justinian. 133. capite vltimo. Augustinus quæst. vtriusque Testament. capite 115. *Munimenta ergo sunt animorum, meditatio assidua legis Dei, & operatio, quia si otiosos nos viderint* (dæmones) *a divinis, excitantur ad sollicitandos nos.* Idem in Psalm. 99. *Cum lectione illis res est, laborant manibus suis, inde se transigunt; non avare aliquid petunt.* Et ipsum opus manuum erat quasi sequela & supplementum orationis: operantes enim psalmos canebant. Joannes Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 2. capite 15. *Sed sic vnusquisque opus exequitur injunctum, vt psalmum vel scripturam quamlibet memoriter recensendo, non solum conspirationi noxiæ, vel consiliis pravis, sed nec otiosis quidem colloquiis vllam copiam vel tempus impartiat, oris pariter & cordis officio in meditatione spiritali jugiter occupato.* Idem libro 3. capite 2. *Ita namque ab eis incessanter operatio manuum privatim per cellulas exercetur, vt psalmorum quoque vel cæterarum scripturarum meditatio numquam penitus omittatur.* Inde quia manuum operatio monastica erat admixta precibus, genus Philosophiæ eam vocat Joannes Chrysostomus in primam ad Corinth. Homil. 5. τὸ γὰρ διαπαντὸς ἐργαζόμενον τρέφεσθαι, φιλοσοφίας εἶδός ἐστι. *Perpetuo enim opus facientem ali, est genus Philosophiæ.* Monachi totius Ægypti & Orientis post psalmodiæ, orationis & lectionis officia, labori manuum operam dabant. Epiphanius hæres. 80. καὶ πάντων τῶν τοῦ Θεοῦ δούλων, τῶν εἰς δικαιοσύνην καμνόντων, ταῖς ἰδίαις χερσὶν, εἰς τὸ ἐπαρκεῖν καὶ τοῖς ἐνδεομένοις· καθὼς δὲ ἐν ἑκάστῳ μοναστηρίῳ, ἔν τε τῇ τῶν Αἰγυπτίων χώρᾳ, καὶ ἐν πάσαις χώραις οὕτω κάμνουσιν εἰς δικαιοσύνην.

Præterea nullus est Dei famulus, qui non ad obtinendam justitiam manibus suis opus exerceat, quo in egentes beneficus esse possit: quod in unoquoque monasterio tam in Ægypto quam in aliis provinciis fieri cernimus. Idemque in synopsi fidei: καί τινες ἀπετάξαντο τῷ βίῳ τέχνας λεπτὰς καὶ ἀπραγμόνας ἑαυτοῖς ἐπινοήσαντες, ἵνα μὴ ἀργὸν βίον διατελῶσι, μηδὲ τὸν ἄρτον βεβαρημένον ἐσθίωσιν. *Nonnulli sæculo ita renunciarunt, ut leviores quasdam artes ac minus negotiosas sibi ipsis excogitarent, ne ætatem in otio degerent, aut cibum cum cujusquam incommodo sumerent.* De Monachis sparsis in monte Nitriæ haud procul Alexandria, testatur Palladius Historiæ Lausiacæ capite 6. πάντες δὲ οὗτοι ὀθόνην ἐργάζονται ταῖς χερσὶν ἑαυτῶν, ὡς εἶναι τοὺς πάντας ἀνενδεεῖς. *Hi autem omnes suis manibus faciunt vestem lineam, adeo ut sint omnes minime egentes.* Hieronymus epistola ad Rusticum Monachum: *Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem.* Idemque epistola ad Marcum Presbyterum: *Nihil alicui præripui, nihil otiosus accipio, manu quotidie & proprio sudore quærimus cibum, scientes ab Apostolo scriptum esse: Qui autem non operatur, nec manducet.* Augustinus libro 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ capite 31. *Nemo quicquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est: operantur manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & a Deo mens impediri non possit.* Monachi ex instituto laborabant exercitationis causa, ne otiosi essent. Augustinus de opere Monachor. cap. 25. *Nullomodo decet, ut in ea vita, ubi fiunt Senatores laboriosi, ibi fiant opifices otiosi, & quo veniant relictis deliciis suis, qui fuerant prædiorum domini, ibi sint rustici delicati.* Et capite 28. ejusdem libri: *Ostendite*, inquit, *hominibus non vos in otio facilem victum, sed per angustiam & arctam portam regnum Dei quærere.* Et auctor sermon. ad fratres in eremo sermone 1. *Postquam autem refecerint, sive in horto, sive in eremo, vel ubicumque necesse fuerit, operentur: nihil enim servis Dei otiositate pejus*, &c. Ideo Paulus Abbas, cum ex hortulo & palmarum fructibus idoneum sumptum haberet, juge operis pensum per annum a se exigebat, annoque emenso supposito igne opus concremabat. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 10. capite 24.

Proxima ratio laboris manuum Monachorum fuit evitatio & fuga tentationum ex otio obrepentium. Et hæc fuit sententia Ægyptiorum Patrum, vno dæmone tentari operantem Monachum, innumeris otiosum. Joannes Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 10. capite 23. *Unde hæc est apud Ægyptum ab antiquis Patribus sancita sententia, operantem Monachum dæmone vno pulsari, otiosum vero innumeris spiritibus devastari.* Tertius laboris Monachorum scopus fuit, ne plebi graves & onerosi essent, imo & quod superfluum esset, in hospites vel in pauperes peregrinos & vinctos expenderent. Joannes Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 10. capite 22. *His itaque exemplis per Ægyptum Patres eruditi, nullo modo otiosos esse Monachos, ac præcipue juvenes, sinunt, & non solum a nullo quicquam ad vsum victus sui accipere patiuntur: sed etiam de laboribus suis non tantum supervenientes ac peregrinos reficiunt fratres, verum etiam per loca Lybiæ, quæ sterilitate ac fame laborant, necnon etiam per civitates his qui squalore carcerum contabescunt, immanem conferentes dirigunt alimoniæ victusque substantiam.* Theodoritus de vit. Patrum capite 30. ἐν Αἰγύπτῳ δέ φασι, καὶ ἀνὰ πέντε χιλιάδας ἀνδρῶν ἔχειν ἔνια φροντιστήρια ἐργαζομένων, καὶ μεταξὺ τὸν δεσπότην ἀνυμνούντων, καὶ οὐ μόνον τὴν ἀναγκαίαν ἐκ τῶν ἔργων πορίζομένων τροφήν, ἀλλὰ καὶ ξένοις ἀφικνουμένοις καὶ πενομένοις ἐπικουρούντων. *In Ægypto vero ferunt quædam esse monasteria, quæ virorum habeant ad quinque millia opus facientium, Deumque interea laudantium, qui opificio suo non solum victum parant necessarium, sed peregrinis etiam egentibusque subveniunt.* Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ capite 31. *Sane quicquid necessario victui redundat, (nam redundat plurimum ex operibus manuum & epularum restrictione) tanta cura egentibus distribuitur, quanta non ab ipsis qui distribuunt, comparatum est: nullomodo namque satagunt, vt hæc sibi abundent; sed omnimodo agunt, vt non apud se remaneat quod abundaverit, vsque adeo vt oneratas etiam naves in ea loca mittant, quæ inopes incolunt.* Certus erat canon, id est, modus quotidiani operis apud Monachos: sed plerumque certatim Monachi vltra canonem operabantur, vt quod excederet, pro arbitrio dispensaretur in alimoniam pauperum & vinctorum. Idem collatione 18. capite 7.

Illi ob hoc certatim statutum transcendere canonem diurnis operibus elaborant, ut quicquid monasterii sanctis usibus redundarit, vel carceribus, vel xenodochio, vel nosocomio, vel indigentibus pro Abbatis dispensetur arbitrio. Denique labore manuum victitabant Monachi, ut parerent præcepto Apostoli. Idem collatione 24. capite 12. *Nam utique omne hominum genus absque illo tantum genere Monachorum, quod secundum præceptum Apostoli, quotidianis manuum suarum laboribus vivit, agapen alienæ operationis expectat.* Idem Cassianus de institutione Cœnobitarum lib. 2. capite 3. Varia fuere opera Monachorum: his artibus se exercebant ii, quas Epiphanius loco novissime laudato vocat λεπτὰς καὶ ἀπράγμονας. Alii terram aratro colebant, arbores conserebant, consitas irrigabant. Joannes Chrysostomus libro 2. adversus vituperatores vitæ monasticæ: καὶ φυτεύειν ἐκεῖ, καὶ ἄρδειν, καὶ ὑδροφορεῖν, καὶ τὰ ἄλλα δὴ πάντα τὰ τῶν μοναχῶν ποιεῖν. *Et ibi plantare, inserere, rigare, aquas ferre, & alia omnia Monachorum facere.* Hieronymus in vita Hilarionis: *Orans frequenter & psallens, & rastro humum fodiens, ut jejuniorum laborem labor oneris duplicaret.* Alii sportas nectebant, alii fiscellas, alii plectas, alii flabella, alii calathos, alii flabella de junco vel foliis palmarum, de quibus fiebant εὐλογίαι seu munuscula. Hieronymus in 2. præfat. in Job. *Si aut fiscellam junco texerem, aut palmarum folia complicarem, ut in sudore vultus mei comederem panem, & ventris opus sollicita mente pertractarem, nullus morderet, nemo reprehenderet. Quapropter, o fratres dilectissimi, pro flabello, calathis sportellisque, munusculis Monachorum, spiritualia hæc & mansura dona suscipite.* Cassianus collat. 18. cap. 15. *Hoc genus malignitatis excogitat, ut opportunitatem temporis captaret, quo Paphnutius ad Ecclesiam die dominico processurus abesset a cella, in qua furtim irruens, codicem suum inter ejus plectas, quas de palmarum foliis solebat intexere, latenter abscondit.* Theodoritus de vitis Patrum capite 10. καὶ τὴν τῶν χειρῶν ἐργασίαν μετῄει, νῦν μὲν τὰς καλουμένας ῥιπίδας ὑφαίνων καὶ σπυρίδας, νῦν δὲ μικρὰς ἀρούρας ἐν τῇ νάπῃ κατασκευάζων, καὶ σπέρματα καταβάλλων, καὶ τὴν ἀποχρῶσαν ἐκεῖθεν συλλέγων τροφήν. καὶ τῶν ἰδίων τοὺς μὲν ἴσια, τοὺς δὲ δίῤῥεις τριχίνας ὑφαίνοντας, τοὺς δὲ τὰς ῥιπίδας, ἢ τὰς σπυρίδας διαπλέκοντας, ἄλλους δὲ τὴν γηπονίαν

ἀναδενδράδας. Manuum quoque opificia tractabat, nunc flabella quæ vocant, sportellasque texens, nunc agellos in saltu parans, & semina spargens, vnde necessaria vitæ alimenta colligeret. Ac videre erat hos vela, illos cilicia texentes, alios flabella, alios sportellas plectentes, alios agriculturæ operam dantes. Alii messis tempore elocabant operas metendis segetibus. Rufinus de vit. Patrum libro 1. capite 18. *Hoc autem moris erat non solum ipsis, sed & omnibus pene Ægyptiis Monachis, vt messis tempore elocent ad metendum operam suam, atque ex ea mercede octogenos vnusquisque medios frumenti plus minus conquireret, & horum partem plurimam pauperum vsibus offerant.* Inter Monachos alii erant, qui libris perscribendis operam dabant. Joannes Chrysostomus in primam ad Timoth. Homil. 14. *εἰσὶ δὲ οἱ καὶ βιβλία γράφειν μεμαθηκότες. Sunt & qui libros scribere didicerant.* Hieronymus epist. ad Rusticum Monachum: *Scribantur libri, vt & manus operetur cibum, & animus lectione saturetur.* Ideoque inter Monachos erat quasi ordo scriptorum. Rufinus de vit. Patrum libro 2. capite 147. *Et ingressus Abbas in cellam Marci, quoniam scriptor erat, reperit quaternionem quem scribebat.* Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 4. capite 12. *Certatim e cubilibus suis vnusquisque prorumpit, ita vt is, qui opus scriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoasse literam, finire non audeat.* Idem libro 5. cap. 39. *Quo respondente nihil se nec posse, nec prævalere ex his quæ illic exercebantur a fratribus, operari præter librariam manum, &c.* Operi manuum certum erat tempus præfixum. Regula Benedicti capite 48. *Et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione divina: ideoque hac dispositione credimus vtraque tempora ordinari, id est, vt a Pascha vsque ad Kalendas Octobris, a mane exeuntes a prima vsque ad horam pene quartam laborent quod necessarium fuerit; ab hora autem quarta vsque ad horam quasi sextam lectioni vacent, &c.* Apud Ægyptios Patres id tempus erat vsque ad horam lucernariam, id est, vsque ad vespertinum officium. Pseudo-Augustinus ad fratres in eremo sermone 1. *Operentur ergo in nomine Domini sacrum ordinem non habentes vsque ad horam lucernariam.* Opus imperatur sacrum ordinem non habentibus, id est, fratribus laicis: opus enim remittebat Mona-

Monachis Presbyteris vel Diaconis, vt insinuat ipse Augustinus de opere Monachorum capite 21. *Si Evangelistæ sunt, si ministri altaris, si dispensatores sacramentorum, bene sibi istam non arrogant, sed plane vendicant potestatem, nimirum vivendi ex facultatibus populi.* Ab opere manuum recurrebatur ad officium divinum, tanta obedientia, vt ad monitum pulsantis seu compulsoris opus inceptum omitteretur, & a scriptoribus vel littera incœpta imperfecta relinqueretur. Joannes Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 4. capite 12. *Itaque considentes intra cubilia sua, & operi ac meditationi studium pariter impendentes, cum sonitum pulsantis ostium ac diversorum cellulas percutientis audierint, ad orationem eos scilicet, seu ad opus aliquod invitantis, certatim e cubilibus suis vnusquisque prorumpit, ita vt is qui opus scriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoasse literam, finire non audeat: sed in eodem puncto quo ad aures ejus sonitus pulsantis advenerit, summa velocitate prosiliens, nec tantum quidem moræ interponat, quantam cœpti apicis consummet effigiem; sed imperfectas literæ lineas relinquens, non tam operis compendia lucrave sectetur, quam obedientiæ virtutem exequi toto studio atque emulatione festinet.* A Monachis perfectum operis pensum, ne quid peculiare esset, tradebatur Decano, id est, Præposito cujusque Decaniæ: tum Decanus idem opus tradebat seniori, quem Patrem vocabant. Augustinus de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 31. *Opus autem suum tradunt eis quos Decanos vocant, eo quod sint denis præpositi, vt neminem illorum cura sui corporis tangat, neque in cibo, neque in vestimento, neque si quod aliud opus est, vel quotidianæ necessitati, vel mutatæ vt assolet valetudini: illi autem Decani cum magna sollicitudine omnia disponentes, & præsto facientes quicquid illa vita propter imbecillitatem corporis postulat, traditionem tamen etiam ipsi reddunt vni quem Patrem vocant.* Hic fuit œconomus monasterii, cui idem officium tribuit Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 10. cap. 15. *Novimus fratrem, qui cum in cœnobio moraretur, eumque necessitas coarctaret, vt statutum operis pensum quotidie œconomo traderet, &c.*





CAPUT VIII.

An Monachis manibus operandum esset, disputatum.

MONACHI tam Ægyptii quam Asiatici labore manuum exercebantur. Antonium ipsum vitæ cœnobiticæ auctorem opere manuum sese sustentasse, & sportas texuisse, quas daret iis qui aliquid ob victum afferrent, testatur Athanasius in ejus vita. Ac certe Monachis ita familiaris & proprius erat labor manuum, vt Monachum qui vacaret ab opere manuum, prævaricari dictum sit a quodam Patrum. Socrates libro 4. capite 18. ὅτι ὁ μοναχὸς εἰ μὴ ἐργάζοιτο, ἐπ' ἴσης τῷ πλεονέκτῃ κρίνεται. *Monachum si non laboret, pro fraudatore habendum esse.* Hoc nomine damnati Euchitæ seu Messaliani, hæreticorum genus, quod Monachos ab opere manuum removerent, quasi totos orationi addictos esse vellent. Augustinus de hæresibus ad Quod vult Deum: *Dicuntur Euchitæ opinari, Monachis non licere, sustendandæ vitæ suæ causa, aliquid operari, atque ita se ipsos Monachos profiteri, vt omnino ab operibus vacent.* Cum multa monasteria hujusmodi hæresi labefactata videret Letoius Melitinensis Episcopus, ea incendio consumpsit, & lupos a grege abegit. Theodoritus libro 4. capite 20. Inde inter Clericos & Monachos in Africa contentio orta est, an manibus operandum esset, an præstaret jugi orationi se tradere. Propter hoc litis tollendæ causa editi sunt canones 51. 52. Concilii Carthaginensis IV. *Clericus victum & vestimentum sibi artificiolo vel agricultura, absque officii sui detrimento, dumtaxat paret. Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus, artificiolo victum quærat.* Can. *Clericus* 1. & 2. 91. distinct. Hac occasione etiam Augustinus scripsit librum de opere Monachorum ad tollendas contentiones, quæ ciebantur inter ipsos laicos: an Monachis laborandum esset, vt ipse profitetur initio libri, & capite 30. & libro 2. Retractat. capite 21. *Quia*, inquit, *inter laicos inferioris propositi existere cœperant tumultuosa certamina,*

quibus Ecclesia turbaretur. Et tota quæstio soluta est ab Augustino, dum ostendit vtrique, & orationi & manuum operi, suas vices esse servandas, & laborem manuum ab oratione & lectione esse distinguendum. Hoc Magistro Fulgentius, vnus e discipulis Augustini, postea Ruspensis Episcopus, olim Monachus, laborem manuum orationi & lectioni conjunxit, vt legitur in ejus vita apud Surium 1. Januar. *Nam & scriptoris arte laudabiliter vtebatur, & palmarum foliis flabellos sæpissime contexebat: cui operi, etiam cum fuisset Abbas, in suo monasterio vacabat.*



CAPUT IX.

In Occidente an Monachi manibus operati sint.

MONACHI in Italia, Gallia & aliis Occidentis partibus, laborem manuum fere non admiserunt, sola oratione & lectione contenti. Martinus ex Abbate Turonensis Episcopus, in regula quam suis tradidit Monachis, opus manuum prohibuit, quo orationi intentius vacarent, scriptione librorum junioribus tantum permissa. Paulinus de ipsius vita libro 1.

Exercere artem prohibet, conceditur vnum
Scribendi studium, quod mentem oculosque manusque
Occupet, atque vno teneat simul omnia puncto,
Aspectum visu, cor sensibus, ordine dextram:
Attamen his rebus minor ætas sola tenetur.
Nam jam maturæ satis est oratio menti.

Et hoc est quod paucioribus expressit Severus Sulpitius discipulus ipsius Martini, ejus vitæ capite 7. *Ars ibi exceptis scriptoribus nulla habebatur.* Italicos Monachos non alium laborem tolerasse quam scriptionis librorum, argumento nobis est, quod cum Monachus quidam, cui nomen erat Symeon, ex Italiæ partibus in Ægyptiam eremum commeasset, interrogatus ab vno e senioribus monasterii, cur otiosus sederet, respondit nihil se nec posse, nec prævalere ex

his quæ illic exercebantur a fratribus, operari præter librariam manum, id est, artem librarii seu scriptoris librorum, vt tradit Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 5. capite 34. Hinc res monastica serius propagata est in Occidentis partibus, & pauciora minusque frequentia extitere monasteria, quod propria penu & censu, id est, operum solatio destituerentur. Joannes Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 10. capite 23. *Hinc est quod in his regionibus nulla videmus monasteria tanta fratrum celebritate fundata, quia nec operum suorum facultatibus fulciuntur, vt possint in eis jugiter perdurare: & si eis suppeditare quoquomodo valeat sufficientia victus alterius largitate; voluptas tamen otii & pervagatio cordis diutius eos in loco perseverare non patitur.* Et Sarabaitas (hi erant Monachi vagi & otiosi) in Massiliensi provincia æquali numero certare cum aliis Monachis, & in aliis regionibus multo frequentiores, imo pene solos esse, refert idem collatione 18. capite 7. *Hæc igitur duo genera Monachorum in hac quidem provincia æquali propemodum numerositate inter se contendunt: cæterum per alias regiones, quas me necessitas catholicæ fidei compulit peragrare, istud tertium Sarabaitarum genus abundare, ac prope solum esse cognovimus.* Ineunte jam quinto sæculo, cum in Gallia quamplura surrexissent monasteria, Principum vel privatorum liberalitate dotata latifundiis & mancipiis, Monachis, vt impensius orationi vacarent, agrorum cultura interdictum est, & opus rejectum in mancipia eorum. Concilium Agathense can. 26. *Mancipia vero Monachis donata ab Abbate non liceat manumitti: injustum enim putamus, vt Monachis quotidianum rurale opus facientibus, servi eorum libertatis otio potiantur.* Can. *In venditionibus* 17. quæstione 4. Quod repetitum est Concil. Epaunens. can. 4. Inde tot monasteriis in Gallia Regum munificentia luculenter dotatis, sola oratio fuit opus Monachorum, & labor manuum desuetudine Monachis remissus est. Ordericus Vital. libro 8. *Dagobertus Rex, & Theodoricus, atque Carolus Magnus Imperator, aliique Reges, & augusta cœnobia devote condiderunt, & de suis reditibus ad victum & vestitum servorum Dei vbertim erogaverunt, multitudinemque clientum ad exteriora monasteria pleniter expetenda subjecerunt, Monachosque lectioni-*

bus & sacris orationibus pro cunctis benefactoribus suis, & cælestibus mysteriis intentos esse constituerunt. Exinde Principum institutione & diutina consuetudine vsitatum est in Gallia, vt rustici ruralia, sicut decet, peragant opera, & servi servilia passim exerceant; Monachi autem, qui sponte relictis hujus mundi vanitatibus Regi Regum militant, claustralibus septis vt filiæ Regis quiete insideant. Benedictus religionis monasticæ præcipuus propagator in Occidentis partibus, opus manuum suos inter Monachos data lege instauravit regulæ capite 48. *Et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione divina.* Etiam messis tempore, si necesse fuerit, onus colligendi fruges Benedictinis Monachis imponi moris fuit, ita vt consuetum legendi, & meridianum pausandi seu quiescendi tempus eis liberum relinqueretur. Capitulare Aquisgranense anni 817. can. 17. *Vt si necessitas fuerit eos occupari in fruges colligendo, constitutum legendi, & meridie pausandi tempus præmittatur.* Posterioribus sæculis Monachis Benedictini Ordinis vix aliud opus notum fuit, quam exscribendi libros. Gregorius Dialog. libro 2. capite 4. *Festine ad ejus* (Equitii) *monasterium cucurrit, ibique absente illo antiquarios scribentes reperit, vbi Abbas erat inquisivit.* Trithemius Abbas de viris illustribus Ordinis sancti Benedicti libro 1. capite 6. *Cæteri juxta quod regula vetat, otio non vacabant; sed post orationem operi manuum devote insistebant, libros scribebant, qui ad hoc erant idonei, & a doctoribus edita ex schedis ad mundum redigebant. Alii scriptos codices artificiose conglutinabant, corrigebant alii, rubro nimio cæteri exornabant.* Idem in Chronic. Hirsaugiens. ad ann. 1004. de Friderico Abbate Hirsaugiensi: *Inter scriptores namque reliquos, quod officium apud veteres Monachos erat valde communiter in vsu, locum tenere cum fratribus non erubuit.* In Anglia labore manuum victitarunt Bangorienses Monachi, divisi in septem agmina, singula non minora trecentis capitibus. Beda Historiæ Ecclesiast. libro 2. capite 2. *Erant autem plurimi eorum de monasterio Bancor, in quo tantus fertur fuisse numerus Monachorum, vt cum in septem portiones esset cum præpositis sibi rectoribus monasterium divisum, nulla harum portio minus quam trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum suarum*

vivere solebant. Et in Gallia opus manuum lege fundationis institutum in quibusdam monasteriis, vt a beato Joanne in monasterio Reomaensi : de quo Jonas in ejus vita libro 1. capite 8. *Alio quoque tempore Monachi sanctorum Patrum instituta sequi cupientes, quæ sanciunt Monachum jugi manuum operatione & contritione non modo corporis, sed etiam cordis, adhibita perfecta castimoniæ puritate exerceri, hoc mandatum quasi cælitus delatum servabant.* Cistercienses observantiæ regulæ beati Benedicti maxime studiosi, laborem manuum restituere, imposito cuique labore pro ejus industria. Vita Bernardi libro 1. capite 4. *Propter quod communis vitæ seu conversationis ferventissimus æmulator, cum opus aliquod manuum fratres actitarint, quod seu minor vsus ei seu imperitia denegabat, fodiendo seu ligna cædendo, & propriis humeris deportando, vel quibuslibet laboribus æque laboriosis illud redimebat.* Et infra: *Messis tempore fratribus ad secandum cum fervore & gaudio sancti Spiritus occupatis.* Inde natum schisma inter Cistercienses & Cluniacenses. Hi ridebant sollicitudinem & studium Cisterciensium in manuum opere, quasi insaniam & stultam fatigationem. Bernardus epistola 1. ad Robertum nepotem, qua revocat eum a Cluniacensibus : *Primo quidem missus est magnus quidam Prior ab ipso principe Priorum.* Et infra: *Et novi Evangelii prædicator commendat crapulam, parsimoniam damnat, voluntariam paupertatem miseriam dicit, jejunia, vigilias, silentium manuumque laborem vocat insaniam. Qualis vero religio est fodere terram, silvam excidere, stercora comportare?* Cistercienses Cluniacensibus objiciebant otium a labore manuum: *Opus manuum, quo sancti Patres Eremitæ & antiqui Monachi semper vsi sunt, quo ipsi Apostoli victum sibi & aliis ministrabant, ita abjecistis, vt nec istæ omnes auctoritates ad operandum vos cogere possint, nec obedientia quam juxta regulam Deo nos exhibere promisistis, delicatas otio manus de sinu ad opus extrahere valeat.* Quibus respondit Petrus Cluniacensis libro 1. epistola 28. Laborem manuum suscepere etiam Præmonstratenses, & inter cæteros scriptionem librorum. Cæsarius de Miraculis libro 12. cap. 49. *In Arnisberg monasterio Ordinis Præmonstratensis, sicut audivi a quodam Sacerdote ejusdem congregationis, scriptor quidam erat Richardus nomine, natione Angli-*

cus, &c. In Italia Camaldulenses maxime labori manuum intentius vacarunt: de quibus Petrus Damiani in vita sancti Romualdi capite 26. *Faciebant autem omnes opera manuum, alii scilicet * coclaria, alii nebant, alii retia nectebant, alii cilicia.* Idemque libro 6. epistola 32. *Erat autem ille frater multis exercitiorum artibus pollens, scribendi videlicet, & notandi, tornandi insuper & fabricandi.* Fratres Prædicatores & Minores instituta omnium regularium amplectuntur. Thomas Cantipratensis Apum libro 2. capite 10. *Clerici sæculares laborant in studio, Canonici sæculares vel regulares horis canendis invigilant: Monachi vero vel alii religiosi institutionibus regularibus diligenter insudant, & in his omnibus suo modo vivendi singuli sunt contenti: Fratres autem Prædicatores & Minores, prout Ordo eorum instituit, simul hos tres vivendi modos servare videntur. Student cum Clericis, cum Canonicis horis canendis invigilant; cum Monachis vero & aliis religiosis in conventibus suis accusationes, vapulationes, jejunium, & pro magna parte silentium, quotidianasque fere ac generales post completorium sustinere tenentur disciplinas*, &c.

* leg. collearia

CAPUT X.

Scholæ in monasteriis: scholæ interiores & exteriores.

PSALMODIÆ, orationi, lectioni & operi manuum adjungebatur docendi officium. Ne qua pars munerum spiritualium aut civilium desideraretur in proposito vitæ monasticæ, e primis sæculis in Orientis monasteriis fuere scholæ, quæ pueris sæcularibus patuere. Joannes Chrysostomus adversus vituperatores vitæ monasticæ lib. 3. cap. 16. οὐχ ὁρᾶτε τοὺς γεωργοὺς, ὅτι καὶ σφόδρα ἐπείγωνται τῶν πόνων λαβεῖν, τοὺς καρποὺς ἀώρους αὐτοὺς, οὐκ ἂν ἀνάσχοιντο τρυγῆσαί ποτε· καὶ τοίνυν μηδὲ ἡμεῖς πρὸ ὥρας ἀπαγάγωμεν τῆς κατὰ τὴν ἐρημίαν διατριβῆς τοὺς υἱοὺς, ἀλλ' ἐάσωμεν αὐτοὺς ἐπιπαγῆναι τὰ μαθήματα, καὶ ῥιζωθῆναι τὰ φυτὰ, κἂν δέκα, κἂν εἴκοσιν ἔτη τρέφεσθαι αὐτοὺς ἐν μοναστηρίῳ δέῃ, μὴ θορυβώμεθα, μηδὲ ἀλύωμεν.

Nonne agricolas videtis, ut etiam cum satis properant laborum fructus carpere, acerbos tamen eos numquam metere sustineant: ergo ne nos quidem intempestive liberos nostros ab deserti commoratione revocemus; verum studii cælestis disciplinam in eis solidari permittamus, altisque radicibus arbusta firmari, & sive decem annos, sive etiam viginti, nutriendi illi sint in monasterio, non perturbemur, non mœrore ullo afficiamur. Quod tamen displicuit Basilio regular. brevior. cap. 292. forte ne Monachi sæcularium consuetudine labefactentur, & aliquod vitium sæcularitatis irrepat. Benedictus Monastices fere auctor aut propagator in Occidente, Ægyptiorum & Orientalium Patrum instituta in multis secutus, nobilium virorum liberos in monasterio educandos lubens suscepit. Gregorius ejus vitæ Dialog. 2. capite 4. *Cœpere etiam tunc ad eum Romanæ urbis nobiles & religiosi concurrere, suosque ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare.* Ab eo tempore in monasteriis Benedictini Ordinis scholæ passim institutæ, in quibus nobiles & ingenui pueri erudiebantur. Leo Ostiensis in Chronic. Cassinensis libro 3. capite 21. *Cum adhuc in schola monasterii degerem.* In monasteriis Angliæ inprimis claruere scholæ, quibus præfuit primum venerabilis Beda, & post eum Alcuinus, qui cum in Galliam emigrasset, in Turonensi monasterio docendi munere æterna cum laude functus est: de quo ipse epistola 1. ad Carolum Magnum: *Ego vero Flaccus vestram secundans exhortationem & bonam voluntatem vestram, aliis per tecta sancti Martini sanctarum mella Scripturarum ministrare satago; alios vetere antiquarum disciplinarum mero inebriare studeo; alios grammaticæ subtilitatis enutrire pomis incipiam; quosdam stellarum ordine, ceu pictæ cujuslibet magnæ domus culmine inluminare gestio; plurima plurimis factus, ut plurimos ad profectum sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad decorem imperialis regni vestri erudiam.* In Aquicinctensi monasterio scholam suam habuit Gosuinus Abbas. Auctor ejus vitæ libro 1. capite 6. *Habebat contiguam Ecclesiæ mansionem: unde ad legendum scholaribus suis pergens, per transversum chori transitum faciebat.* Inde magnum accessit Benedictino Ordini incrementum, necnon Ecclesiæ ac reipublicæ decus & adjumentum: dum plerique accedentes ad monasterium, studiorum

causa

causa dulcedine vitæ allecti, ab eo recedere non sustinerent, vel ibi semel literis & disciplina imbuti, ad Ecclesiasticas vel sæculares dignitates meliores facti promoverentur. In monasteriis autem Benedictinis fuere duæ diversæ scholæ, interiores & exteriores: cujus sectionis auctorem habemus Ekkeardum Decanum sancti Galli apud Helvetios. Interiores erant Monachorum vel monachandorum: exteriores sæcularium puerorum, quas canonicas vocitat ipse Ekkeardus de casibus monasterii sancti Galli cap. 1. *Traduntur post tempus Marcello scholæ claustri cum Notkero postea cognomine Balbulo, & cæteris monachici habitus pueris; exteriores autem, id est, canonicæ, Isoni cum Salomone & ejus comparibus.* Idemque capite 6. *Erant disciplinæ loci, ut semper & tunc semotæ, non modo in claustro, sed & in scholis exterius.* Non alias in monasteriis scholas, quam claustrales, id est, eas quæ positæ essent pro his qui religionis causa monasterio oblati essent, admisit Capitulare Aquisgranense anno 817. can. 45. *Ut schola in monasterio non habeatur, nisi eorum qui oblati sunt.* Haud tamen desiere esse scholæ in monasteriis Benedictinis pro instituendis pueris sæcularibus. Trithemius in Chronic. Hirsaugiens. ad ann. 890. *Erat autem his temporibus in monasteriis nostri Ordinis, alterius in Europa Germaniæ & Galliæ nulla fuerunt. Hæc consuetudo celeberrima, ut scholæ Monachorum in singulis pene cœnobiis haberentur, quibus non sæculares homines, sed Monachi, moribus & eruditione præficiebantur ornatissimi, qui non solum in divinis Scripturis docti essent, verum etiam in Mathematica, Astronomia, Arithmetica, Geometria, Musica, Rhetorica, Poesi, & in cæteris omnibus sæcularis literaturæ scientiis eruditissimi haberentur.* Nec modo Benedictini, sed & Cistercienses, Canonici regulares & sæculares suas habuere scholas. Scholæ sanctæ Genovefæ Parisiensis præfuit Petrus Abelardus. Auctor vitæ D. Gosuini libro 1. capite 4. *Tunc temporis Magister Petrus Abailardus, multis sibi scholaribus aggregatis, in claustro sanctæ Genovefæ schola publica utebatur.* De schola Ecclesiæ Castellionis meminere scriptores vitæ divi Bernardi libro 1. capite 3. *Unde & quam citius potuit in Ecclesia Castellionis, quæ postmodum ipsius Bernardi opera a sæculari conversatione in Ordinem regula-*

rium Canonicorum promota cognoscitur, magistris litterarum tradens erudiendum, egit quicquid potuit, ut in eis proficeret. Monasteriis studiorum causa tradebantur maxime hi, qui cogitabant de Clericatu. Concilium Nicænum ex Arabic. can. 55. Gregorius Turonensis Historiæ libro 5. capite 14. *Post hæc Merovethus, cum a patre in custodia retineretur, tonsuratus est, mutataque veste, qua Clericis uti mos est, Presbyter ordinatur, & ad monasterium Cenomannicum, quod vocatur Anisola, dirigitur, ut ibi sacerdotali erudiretur regula.* Abbas Urspergensis in Lothario Saxone: *Chunradus in Clericum ordinatus, cum sub puerilibus annis domi litterarum studiis informaretur, tempore maturo Coloniensi Archiepiscopo altiori studio & disciplina claustrali educandus committitur.* Monasteriis studiorum vel disciplinæ causa* non tradebantur pueri sæculares absque literis & auctoritate Episcopi. Theodulfus Aurelianensis ad Presbyteros capite 19. *Si quis ex Presbyteris voluerit nepotem suum aut aliquem consanguineum ad scholam mittere in Ecclesia sanctæ Crucis, aut in monasterio sancti Aniani, aut sancti Benedicti, aut sancti Lifardi, aut in cæteris de his cœnobiis, quæ nobis ad regendum concessa sunt, ei licentiam id faciendi concedimus.* Lupus Ferrariensis epistola 115. *Ut ergo particeps efficiatur doctrinæ memoratus puer, cui juste consulitur, si licentiam & literas sui habet Episcopi, perducatur ad nos a dilectissimo Remigio* IV. *Kalend. Julii, & gratia Dei opitulante conabimur cum aliis illi quoque prodesse.* Posterioribus sæculis inopia magistrorum scholis silentibus in monasteriis, tandem claustrales scholæ restitutæ a Clemente V. *Rursus ut ipsis Monachis proficiendi in scientia via opportuna non desit, in singulis ipsorum monasteriis, quibus ad hoc suppetant facultates, idoneus teneatur magister, qui eos in primitivis scientiis instituat diligenter.* Ubi vero schola in monasterio defuerit, Abbas tenetur religiosis præstare sumptum studiorum causa. Cap. *Ex parte.* cap. *Olim. de accusat.* Vel si facultates monasterii non sinant, proximi tenentur eis præstitare pensionem annuam eo nomine, de fructibus bonorum, quæ ex ejus Professione ad eos pervenerunt. Chopin. 1. Monastic. 3. num. 12. Carund. 1. Resp. 67.



CAPUT XI.

Vitæ Monachorum asperitas : panis paximatius : modus panis & vini : tempus refectionis hora vespertina vel nona.

VITÆ monasticæ vinculum est communis vitæ ratio : ideo Chrysostomus Homil. 53. ad populum Antiochenum vocat Monachorum Ordinem, *συνέμπορον καὶ κοινωνὸν τοῦ βίου παντὸς*, *connegotiantem atque totius vitæ socium.* Quemadmodum enim negotiationis causa societas contrahi solet inter duos pluresve ; ita & lucri spiritualis gratia societas coitur inter Monachos : & vt collatione pecuniæ mirum in modum adjuvatur res connegotiantum, collatione precum & aliorum operum feliciter crescit negotium vitæ spiritalis. Et hoc est quod dictitabat Joannes Abbas cuidam fratri apud Joannem Moschum Limonar. capite 182. *τὸ σπήλαιον τοῦτο ἐμπόριόν ἐστι· λαμβάνει.* *Cella spiritalis est mercatura, dat & accipit.* Ob id Monachi omnia habent communia : eis vnum est tectum, vnum cœnaculum seu refectorium, vnum dormitorium. Can. *Præter* 32. distinct. can. *Necessaria.* can. *Nolo* 12. quæstione 1. Ne Abbas vel quispiam fratrum cibum sumat extra refectorium, vel prætextu hospitalitatis, puta ne ad portam monasterii, vbi erat mansio hospitum, esitet cum hospitibus, vetat Capitular. Aquisgranense canone 27. *Vt Abbas vel quispiam fratrum ad portam monasterii cum hospitibus non reficiantur; in refectorio autem omnem eis humanitatem manducandi ac bibendi exhibeat.* Dura & aspera vita Monachorum, ac vere angelica Deoque proxima. Gregorius Nazianzenus oratione 3. de Monachis : *ὁρᾷς τοὺς ἀβίους τούτους, καὶ ἀνεστίους καὶ ἀσάρκους μικροῦ, καὶ ἀναίμονας, καὶ Θεοῦ κατὰ τοῦτο πλησιάζοντας.* *Vides hos pauperes & laris expertes, carne & sanguine destitutos, & per id Deo proximantes.* Monachorum vita non alia quam Heliæ, Joannis & Apostolorum. Idem oratione 16. *καλὸν ἡ εὐτέλεια, καὶ διδάσκει με Ἠλίας ἀναπαυόμενος*

παρὰ χήρᾳ, Ἰωάννης θριξὶ καμήλου σκεπόμενος, Πέτρος ἀσσαρίου θέρμοις τρεφόμενος. *Pulcra res victus tenuitas, docet Helias apud viduam quiescens, Joannes pilis cameli tectus, Petrus lupinis assis alitus.* Inde monasteria domus luctus, in cinere, cilicio & jejunio fundatæ. Chrysostomus in primam ad Timothæum Homil. 14. οὕτως οἰκία πένθους τὰ μοναστήρια, ἔνθα σάκκος καὶ σποδὸς, ἔνθα μόνωσις, ἔνθα γέλως οὐδεὶς, οὐδὲ βιωτικῶν πραγμάτων ὄχλος, ἔνθα νηστεία, ἔνθα χαμευνία. *Vere domus luctus monasteria sunt, vbi cinis atque cilicium, vbi solitudo, vbi risus nullus, nullus negotiorum secularium strepitus, vbi jejunium, vbi humi cubatio.* Inde & Monachos ἐσταυρωμένους, crucifixos, ob vitæ asperitatem vocitat idem in Matthæum Homil. 69. τῶν μοναχῶν λέγω καὶ τῶν ἐσταυρωμένων. *Monachorum inquam & crucifixorum.* Dixi Monachorum vitam duram & asperam: alii enim solo pane & sale victitabant, alii oleribus & leguminibus. Idem in primam ad Timoth. Homil. 14. ἀλλ' οἱ μὲν ἄρτον μόνον, καὶ ἅλας, οἱ δὲ ἔλαιον προστιθέντες, ἕτεροι δὲ ὅσοι ἀσθενέστεροι εἰσι, καὶ λαχάνων ἔχονται καὶ ὀσπρίων. *Sed alii panem tantum & sal, alii & oleum sumunt, plerique infirmiores olera atque legumina in cibum accipiunt.* Augustinus de moribus Ecclesiæ Catholicæ capite 31. *Nihil de illis dicam, quos paulo ante commemoravi, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa intervalla temporum affertur, & aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, &c.* Quibus panis tantum cibus erat, hic erat panis siccior & bis coctus, quem paxamation vel paxamidium vocabant. Palladius Historiæ Lausiacæ capite 28. ἐπιτίθησι τῇ τραπέζῃ παξαμάτας τέσσαρας ἔχοντας, ὡς ἀπὸ ἓξ οὐγκιῶν. *Imponit mensæ quatuor paxamidia sex unciarum.* Idem cap. 151. ἄρτους παξαμίδας, *panes paxamidios.* Rufinus de vit. Patrum libro 2. capite 4. *Vidit de sportella, vbi panis, id est, paximatia reposita erant, surrexisse fumum magnum.* Et idem eodem libro capite 195. *Eodem nutu jussus, mensulam parvulam cum tribus paximatiis apposuit.* Sic dictus a Paxamo, qui hoc genus panis invenit in vsum militum, & de re pistoria & culinaria scripsit. Columella libro 12. capite 4. quem secutus Hieronymus libro 1. adversus Jovinianum: *Et elaboratas carnes ad jura Apitii & Paxami.* De hoc genere panis Suidas: *di-*

πυρος ἄρτος ὁ παρὰ Ρομαίους λεγόμενος παξαμᾶς. *Biscoctus panis, qui apud Romanos dicitur paxamas.* Idem: *παξαμᾶς ὁ δίπυρος ἄρτος, ἔστι δὲ ἡ λέξις Ρωμαϊκή. Paxamas panis biscoctus. est autem vox Romana.* Modus panis qui præbebatur Monachis in singulos dies, erat paxamatia duo, panes minores vix libræ vnius. Cassianus collat. 2. capite 19. *Præposuere cunctis illis refectionem solius panis, cujus æquissimum modum in duobus paximatiis statuerunt, quos parvulos panes vix libræ vnius pondus habere certissimum est.* Idem collat. eadem cap. 24. *Quod nuper Benjamin civem vestrum pertinaciter tenuisse cognoscitis, qui ne quotidie paximatia duo percipiens, æquali castigatione continuam parcitatem jugiter retentaret, maluit biduana jejunia semper continuare.* Idemque collat. 12. capite 26. *Itaque in neutra parte reprehensibiles inveniemur, si hæc a nobis consuetudo teneatur, vt hora nona de duobus paximatiis, quæ nobis canonica mensura jure debeantur, vno paximatio prælibato, aliud hujus expectationis gratia in vesperam reservemus.* Idem collatione 19. capite 4. *Ob quam etiam causam septem dierum cibus, hoc est, septem paximatiorum paria, sequestratim in procherio, id est, admanuensi sporta, die Sabbati reponuntur, vt refectio prætermissa non lateat.* Quam parvuli essent hujusmodi panes, inde facile intelliges, quod hi non amplius venirent quam tribus denariis. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 4. capite 14. *Præter duo paximatia, quæ tribus vix denariis ibidem distrahuntur, nihil sibimet amplius vnusquisque præsumit.* Paxamatio vsi etiam Camaldulenses ex instituto beati Romualdi. Petrus Damiani in ejus vita capite 8. *Pater, inquit Petrus Dux qui eremo se dederat, quia magnum corpus habeo, pro peccatis meis ex hac paximatii medietate sustentare me non possum. Romualdus igitur fragilitati pie compatiens, consuetæ mensuræ quadram paximatii superaddidit.* Erant qui vitam tolerabant pane & aqua, & vino abstinebant. Hieronymus in vita Pauli: JESUM *testor & sanctos angelos ejus, in ea eremi parte, quæ juxta Syriam Sarracenis jungitur, vidisse me Monachos, de quibus vnus per triginta annos clausus hordeaceo pane & lutulenta aqua vixit.* Monachos vino vtentes perstringit Athanasius epistola ad Dracontium: *εἴδομεν καὶ ἐπισκόπους μὴ πίνοντας οἶνον, μοναχοὺς δὲ πίνοντας. Vidimus Episcopos vinum non bibentes, Mona-*

chos non bibentes. Alii xerophagiis, id est, siccis cibis & inconditis, alii homophagiis, id est, crudis & incoctis, puta oleribus, leguminibus, vtebantur. Alii pisciculos salitos addebant, quos vocant mænidia seu haleces. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 4. capite 22. *Non enim magno labore corporis fatigatur, quia nec tanta cura inter eos parandorum ciborum vel coctionis impenditur, quippe qui maxime xerophagiis vel homophagiis vtuntur, & apud quos forte singulis mensibus porrorum folia, lapsania, sal frictum olivæ, pisciculi minuti saliti, quos illi mænidia vocant, summa voluptas est.* Idem libro 5. capite 23. *Nec eorum quempiam qui hanc regulam declinantes, prætermisso panis vsu, leguminum vel olerum seu pomorum refectionem sectati sunt, inter probatissimos habitum aliquando conspeximus.* Idem collat. 2. cap. 19. *Discutientes continentias diversorum, qui vel solis leguminibus, vel oleribus tantum, vel pomis vitam jugiter exigant, præposuere cunctis illis refectionem solius panis.* Olera & legumina communis & quotidianus cibus Monachorum: pisciculi interdum inter delicias fuere. Hieronymus ad Paulinum: *Sit vilis & vespertinus cibus olera & legumina, interdumque pisciculos pro summis ducas deliciis.* Alii Monachi abstinebant a carnibus, alii etiam ab ovis & caseo, alii etiam a piscibus. Epiphanius in synopsi fidei: εἰσὶ δὲ πολιτεῖαι ἄλλαι ἐξαίρετοι ἐν τῇ αὐτῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ φυλαττόμεναι, φημὶ δὲ τοῦ ἀπέχεσθαι κρεῶν πάντων, τετραπόδων τε, καὶ ὀρνέων, καὶ ἰχθύων, ὠῶν τε καὶ τυροῦ. *Sunt & alia in eadem Catholica Ecclesia instituta vivendi præstantia, nimirum quod alii carnibus prorsus abstineant tam quadrupedum & avium, quam piscium, necnon ovis & caseo.* Laudatur Hieronymus quod in eremo per 50. annos vinum & siceram non gustavit, a carnibus & piscibus prorsus abstinuit: de quo Augustinus epistola 205. *Helias & Ioannes Eremitæ magnis ciborum & vestium asperitatibus carnem maceraverunt. Non minoris vitæ Hieronymus gloriosissimus Eremita idem per quadriennium in eremo ferarum tantum socius perstitit, quinquaginta annis vinum & siceram aliqualiter non gustavit, ab omni carnium & etiam piscium esu ita se abstinuit, quod vix ea nominare vellebat: coctum quid non nisi in vltima ægritudine bis comedit.* Tabennesiotæ (ii erant Monachi Ægyptii) abstinebant

esu carnium : solis infirmis & senibus licebat vesci vngulis & extremis partibus suillis. Palladius Historiæ Lausiacæ capite 39. Inde Marcellum Monachum, quod a carnibus abstinens, a conviciis sibi non temperaret, notat Isidorus Pelusiota libro 1. epistola 446. *εἰ νηστεύεις ἀπὸ βρωμάτων, τί κρεωφαγεῖς λοιδορίαις. Si abstines a cibis, quid conviciis tamquam carnibus vesceris?* Etiam posterioribus sæculis Monachi abstinuere esu carnium. Sidon. libro 4. epistola 9. *Novoque genere vivendi Monachum complet, non sub palliolo, sed sub paludamento, ferarum carnibus abstinet, cursibus acquiescit. Itaque occulte delicateque religiosus venatu vtitur, nec vtitur venatione.* Licet abstinere propter exercitationem, non propter abominationem. Notantur sorores Romani III. Imper. quod invitæ Monachæ factæ, eo digresso statim vestem deposuerunt, & carnes edidere, ἐκρεωφάγουν, auctore Cedreno. Carnium esu præterquam debilibus & ægrotis omnino interdixit regula Benedicti capite 39. *Carnium vero quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles & ægrotos.* Quod enim in eodem capite præmittitur, vt cocta duo pulmentaria quotidianæ refectioni fratrum sufficiant, non potest intelligi quam de alio cibo a carne, vt declaratur sequentibus, quibus comestio carnis prorsus vetatur. Et pulmentarium est quod additur pani coctum vel non coctum, vt colligitur ex eodem capite, in quo si necesse sit, tertium pulmentarium additur de pomis vel leguminibus. Et veteribus pulmentarium est, quodvis obsonium præter panem. Plinius libro 18. capite 8. *Pulte autem, non pane vixisse longo tempore Romanos manifestum, quoniam inde & pulmentaria hodieque discuntur.* Et laserpitium ipsum pro pulmentario fuit. Charisius institut. Grammatic. libro 1. *Pulmentum & pulmentarium dicitur: nam Cato Originum tertio laserpitium pro pulmentario suo habet.* Varro autem ad Ciceronem 5. *Pulmentum*, ait, *quod id cum pulte esset, & inde pulmentarium dictum.* Ætate Petri Damiani abstinentiam carnis colebant Monachi. Testis ipse libro 6. epistola 19. *Cumque hunc & Monachus miraretur, & oculos in eum inhiante curiositatis aviditate defigeret, ait Comes: Quia carnes tamquam laicus comedisti, piscem tamquam Monachus cur attendis?* Veteres Patres

panem esitabant certa mensura. Publius Abbas Monachorum cellas perlustrans, trutina mensuram panis diligenter expendebat: & si vltra statutum pondus inveniret, gravioribus verbis increpabat, helluones appellando. Theodoritus de vit. Patrum capite 5. Modum pani & vino præbendo fratribus imposuit Benedictus, nimirum libram panis, & heminam vini in singulos dies, reg. capite 39. & 40. Modum panis juxta regulam, & in quo excessit regulam, vini abstinentiam servavit Bernardus Abbas Clarevallensis. Testis ipse in Cantica sermon. 66. *Abstineo a vino, quia in vino luxuria est; aut si infirmus sum, modico vtor, juxta consilium Pauli. Abstineo a carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem, simul & carnis nutriant vitia. Panem ipsum cum mensura studebo sumere, ne onerato ventre stare ad orandum tædeat. Sed ne simplici quidem aqua ingurgitare me assuescam, ne distentio sane ventris vsque ad titillationem pertingat libidinis.* Unde post cibum Bernardus secum cogitare solebat, an modum cibi excessisset: & si vel modicum se excessisse deprehenderet, sibi impune non ferebat, vt legitur in ejus vita lib. 1. cap. 4. *Semper autem post cibum quasi pensare solitus est quantum comederit; si quando vel ad modicum mensuram solitam excessisse se deprehenderit, impune abire non patitur.* Quæ cura fuerit Benedicto in servando modo panis & vini juxta regulam, argumento est quod Mauro discipulo cum sociis destinato in Galliam ad propagandam religionem, tradidit regulam manu sua perscriptam, pondus libræ panis, & vasculum æneum vini heminam capiens. Faustus in vit. Mauri apud Surium Januar. 14. Mensuram panis & vini ita tenaciter observarunt Cassinenses, vt a Longobardis per vim occupato cœnobio Cassinensi, Monachi Romam fuga petentes, præ cæteris codicem regulæ, libram panis & mensuram vini secum asportarint, magis solliciti de custodia regulæ, quam rerum temporalium. Leo Ostiensis Chronic. Cassinens. libro 1. cap. 2. Regino 1. Chronic. Sigebertus anno Christi 596. Eadem mensura panis & vini vsi sunt Monachi in Gallia. E cœnobio Cassinensi Monachos evocavit Carolus Magnus, qui regularem disciplinam in Gallia fere extinctam instaurarent, per quos transmissa est regula beati Patris Benedicti, pondus

quoque

quoque libræ panis, & mensura vini. Chronic. Cassinens. libro 1. capite 14. Inde Concilium Aquisgranense Ludovici Pii jussu congregatum pro reformatione Benedictini Ordinis, can. 57. *Ut libra panis triginta solidis per duodecim denarios metiatur*: id est, ut libra panis, quæ est portio quotidiana Monachorum, æstimetur triginta solidis, qui singuli valent duodecim denarios. Et idem Concil. canon. 76. *Ut unicuique fratri in cibo & in potu sua mensura separatim detur, & de ipsa mensura sibi data alicui nihil tribuat.* De hac panis & vini mensura fuse Petrus Cluniacensis libro 1. epistola 28. Tempus refectionis erat varium. Alii non edebant ante solis occasum: inde Avitus Marciano humanitatis & hospitii gratia eum invitanti ad cibum sumendum: οὐκ οἶδα, inquit apud Theodoritum de vit. Patrum capite 3. πώποτε πρὸ τῆς ἑσπέρας σιτίων μεταλαβών. *Non memini cibum me umquam sumpsisse ante vesperam.* Monachorum proprium est quod de Essenis tradit Sozomenus ex Philone libro 1. capite 12. καὶ πρὸ ἡλίου δύσεως μὴ ἀπογεύεσθαι τροφῆς. *Et ante solis occasum nullum gustare cibum.* Hæc fuit vitæ ratio Hilarionis & ejus discipulorum. Hieronymus in ejus vita: *Sicque complens ordinem vitæ, numquam ante solis occasum, nec in diebus festis, nec in gravissima valetudine solvit jejunium.* Et infra: *Elegit quadraginta Monachos, qui haberent viaticum, & possent jejunantes ingredi*, id est, post solis occasum cibum sumere. Idem epistola ad Paulin. *Sit vilis & vespertinus cibus.* Augustinus de moribus Ecclesiæ Catholicæ capite 31. *Conveniunt autem diei tempore extremo de suis quisque habitaculis, dum adhuc jejuni sunt, ad audiendum illum Patrem: corpus deinde reficitur.* Et idem capite 33. ejusdem libri: *Jejunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est usquequaque usitatissimum, sed continuum triduum vel amplius sæpissime sine cibo ac potu ducere.* Alii sibi remissiores reficiebantur hora nona, id est, tertia pomeridiana. Cassianus collatione 2. capite 26. *Itaque in neutra parte reprehensibiles inveniemur, si hæc a nobis consuetudo teneatur, ut hora nona de duobus paximatiis, quæ nobis canonica mensura jure debeantur, uno paximatio prælibato, aliud hujus expectationis gratia in vesperam reservemus.* Et infra: *Qua parcitate nec sto-*

Mm

machus vespere poterit aggravari, quippe hora nona vno paximatio jam præmisso, quod plerumque his qui districtiorem abstinentiam se tenere credentes, totam refectionem ad vesperam differunt, evenire consuevit. Idem collatione 2. capite 11. *Hæc mihi fuerat inimici impugnatione consuetudo ingesta, vt postquam refecissem hora nona cum sene, vnum paximatium quotidie in sinu meo latenter absconderem, quod sero illo ignorante occulte edebam.* Rufinus de vit. Patrum libro 2. capite 5. *Videns enim eos fatigatos de itinere, ideo ante horam nonam fecit eos reficere.* Refectio non differebatur vltra nonam propter acediam, id est, tædium quod parit inedia circa horam sextam, id est, sub meridiem. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 10. capite 1. *Acedia maxime circa horam sextam Monachum inquietat,* &c. Tempus refectionis erat hora vespertina vel nona: extra tempus statutum Monachis non licebat cibum sumere, vel aliquid de refectione sibi reservare. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 5. capite 20. *Igitur Monachus hanc inprimis cautionem sibimet indicat, vt non potus quicquam, non esus vlla oblectatione devictus ante stationem legitimam communemque refectionis horam extra mensam percipere sibimet prorsus indulgeat, sed ne refectione quidem transacta, ex his præsumere sibi quantulumcumque permittat.* Et de hoc se ipsum notat Serapion Abbas apud Cassianum collatione 2. capite 11. quod cum adhuc esset puerulus sub disciplina Abbatis Theonis, de quotidiana refectione quæ sumebatur hora nona, vnum paximatium in sinu clanculum seponeret, quod sub noctem inscio Abbate comedebat. Inde propter tenuitatem victus Monachos ore pallentes defingunt veteres. Gregorius Nazianzenus orat. 14. τὸ καλὸν ἄνθος τὴν ὑψηλῶν τὴν ὠχρότητα, *Pulcrum florem sublimium pallorem.* Hinc Elias Abbas risit fratres corpulentos, qui ad eum accesserant: *Pallor enim*, inquit, *& macies cum humilitate decus est Monachi.* Rufinus de vit. Patrum libro 2. capite 64. Diebus non feriatis seu profestis vnica per dies singulos erat refectio Monachis: diebus feriatis, puta die Sabbati & die dominica vel aliis, fratribus exhibebatur gemina refectio, prandium & cœna. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 3. capite 12. *Denique etiam in ipsis diebus, id est, Sabbato vel Do-*

minica seu feriatis temporibus, quibus pariter prandium & cœna solet fratribus exhiberi, psalmus ad vesperam dicitur.



CAPUT XII.

Cibum præcedit & sequitur oratio apud Monachos: refectionis comes lectio sacrorum librorum.

REFECTIO Monachorum tota fere spiritualis, in ea simul corpus & animus pascitur, ne rimula pateat insidiis diaboli, neve momentum vllum vacet ab oratione vel lectione. Refectionem fratrum præcedit oratio & sequitur. Et licet hoc non sit proprium Monachorum, sed commune omnibus Clericis & religiosis laicis, vt non edant panem nisi hymno dicto, & post cibum gratias Deo referant. Can. *Non liceat* 44. distinct. tamen apud Monachos impensiori studio observatur regula Benedicti cap. 43. *Vt simul omnes dicant versum, & orent, & sub vno simul omnes accedant ad mensam.* Et infra: *Similiter autem patiatur, qui & ad illum versum non fuerit præsens, qui post cibum dicitur.* Post refectionem statim ad Ecclesiam properatur εὐλογίας seu benedictionis studio. Joannes Chrysostomus in capite Matthæi 18. Homil. 56. μετὰ τὸ δεῖπνον λέγοντές τινας εὐχαριστηρίους εἰς τὸν Θεὸν, καὶ ταύτης μέμνηνται τῆς φωνῆς. *Post cœnam igitur quosdam gratiarum actionis hymnos ad Deum dicentes, hujus etiam vocis meminerunt.* Joannes Monachus in vit. Odonis Abbatis Cluniacensis libro 1. *Cum post versum ab Ecclesia essent regressi.* Ekkeardus de casibus monasterii sancti Galli capite 11. *Surgitur a mensa, itur solitis benedictionum hymnis in Ecclesiam.* Fratribus ante mensæ accubitum præbebantur eulogiæ seu benedictiones, id est, panes benedicti, qui ab eis prægustabantur. Basilius regular. brevior. capite 123. Capitular. Aquisgranens. anno Christi 817. *Vt eulogiæ fratribus a Presbyteris in refectorio dentur*, id est, ab Abbate vel [illegible] vel senioribus: nec enim licebat Monachis eulogias accipere a parentibus, vel quoquo extraneo. Regula Benedicti cap[illegible] 4. Oblatas alii

appellant. Burkardus de casibus monasterii sancti Galli capite 6. *In hebdomada Paschali, etiam in meridie, vinum & oblatas fratribus dari constituit.* Iso de Miracul. sancti Othmari libro 1. capite 3. *Quædam panis rotulæ, quæ vulgo oblatæ dicuntur.* Joannes Monachus in vit. Gaufredi Comitis Andegavensis: *His panibus quos oblatas appellant.* nostri *oblies*, quod benedictionis gratia offerrentur fratribus vel laicis religiosis. Dum fratres cibo reficiuntur, additur eis animæ pabulum, & auditur lectio sacrorum librorum. Ex consuetudine veterum Patrum inolevit vsus sacræ lectionis per tempus refectionis. Joannes Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 4. capite 17. *Illud autem vt reficientibus fratribus sacræ lectiones in cœnobiis recitentur, non de typo Ægyptiorum processisse, sed de Cappadocum noverimus:* quos nulli dubium est non tam spiritalis exercitationis causa, quam compescendæ superfluæ otiosæque confabulationis gratia, & maxime contentionum, quæ plerumque solent in conviviis generari, hoc statuere voluisse, videntes eas aliter apud se non posse cohiberi. Inde lectionem in refectorio tempore refectionis fratribus statuit regula Benedicti capite 38. & ex ea Concil. Aquisgranens. anno Christi 816. canon. 123. Et ex regula Benedicti constituitur lector hebdomadarius, qui accepta benedictione ad legendum accedit: de quo & Capitulare Aquisgranens. anno Christi 817. can. 67. *Vt lector stando benedictionem postulet.* Nec modo Monachorum, sed etiam sacrarum Virginum refectioni lectionem adhiberi placuit. Hieronymus ad Eustochium: *Ita tibi semper comedendum est, vt cibum & oratio sequatur & lectio.* Etiam apud veteres vsu recepta fuit lectio librorum inter epulas. Cornelius Nepos in vit. Pomponii Attici: *Nemo in convivio ejus aliud ἀκρόαμα audivit quam Anagnostem, quod nos quidem jucundissimum arbitramur: neque vmquam sine aliqua lectione apud eum cœnatum est, vt non minus animo quam ventre convivæ delectarentur.* Gellius Noct. Atticar. libro 3. capite 19. *Apud cœnam Phavorini Philosophi, cum discubitum fuerat, cœptusque erat apponi cibus, servus assistens mensæ ejus, legere incœptabat aut Græcarum quid literarum, aut nostrarum.* In mensa Episcoporum ne inanes fabulæ, sed verba sacræ lectionis au-

diantur, suadet Gregorius libro 2. epistola 37. Can. *Convivia* 44. distinct. Joannem Syracusanum Episcopum ne ipsius scripta ad mensam legi faciat, sed veterum Patrum, monet idem Pontifex libro 6. epistola 9. Indictione 15. Quæ omnia satis probant, sacram lectionem vsu receptam fuisse in mensis Episcoporum. B. Thomæ Cantuariensis Episcopi in mensa lectionem perpetuam fuisse, legitur in ejus vita cap. 17. *Lectio quotidie in mensa Pontificis ab initio vsque ad finem discubitus personabat.* Idem narratur de Ambrosio amico Origenis. Hieronymus ad Marcellam: *Ambrosius, quo chartas sumptus notarios ministrante tam innumerabiles libros vere Adamantius & Chalcenterus noster explicavit, in quadam epistola, quam ad eundem de Athenis scripserat, refert numquam se cibum Origene præsente sine lectione sumpsisse, numquam se iniisse somnum, nisi vnus e fratribus sacris literis personaret.* Etiam laicis religiosis lectio inter epulas suadetur, vt anima simul cum corpore reficiatur. Augustinus sermon. 56. de tempore: *Si aliquis ita fuerit occupatus, vt ante refectionem Scripturæ divinæ non possit insistere, non eum pigeat in conviviolo suo aliquid de divinis Scripturis relegere, vt quomodo caro pascitur cibo, sic reficiatur anima Dei verbo, vt totus homo, id est, exterior & interior, de sancto & salubri convivio satiatus exurgat.*



CAPUT XIII.

Jejunium Monachorum vsque ad solis occasum.

VITA Monachorum tota fere jejunium erat. Veteres Monachi cibum non sumebant ante solis occasum, imo & ante noctem. Memoratur de quodam Ægyptio Monacho, quod sol eum numquam vidit edentem. Severus Sulpitius de vita beati Martini libro 1. *In hoc monasterio duos ego senes vidi, de quorum virtutibus & Abbatis ipsius testimonio, & omnium fratrum audierim sermone celebrari, quod vnum eorum sol numquam vidisset epulantem.* Et hoc est quod celebratur de fratribus ipsius Martini, eos cibum non sumpsisse

nisi post horam jejunii, id est, post vesperam, qua solvebatur idem jejunium. Hujus rei testis locuples idem Severus, vnus e discipulis ejusdem, lib. 1. de vita ipsius: *Cibum vna omnes post horam jejunii accipiebant.* Propter jejunium Monachi nesciebant prandium, & post vesperam tantum cœnabant. Joannes Chrysostomus in cap. Matthæi 18. Homil. 56. ἐκεῖνοι γὰρ μετὰ τὸ ἀριστοποιήσασθαι, μᾶλλον δὲ μετὰ τὸ δεῖπνον· ἄριστον γὰρ οὐκ ἴσασί ποτε. *Nam illi post prandium, imo vero post cœnam: prandium enim penitus ignorant.* A quibusdam jejunium producebatur in triduum vel amplius. Augustinus de moribus Ecclesiæ Catholicæ capite 33. *Jejunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est vsquequaque vsitatissimum, sed continuum triduum vel amplius sæpissime sine cibo ac potu ducere.* Sed ne nimia abstinentia dissolveretur in crapulam, jejunio modum imponi placuit, idque quotidiana refectione coercere. Hieronymus: *Parcus cibus & venter semper esuriens triduanis jejuniis præfertur, & multo melius est quotidie parum quam raro satis sumere.* Joannes Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 5. capite 9. *Melior est rationabilis cum moderatione quotidiana refectio, quam per intervalla arduum longumque jejunium,* &c. Ideo in districtioribus monasteriis vnus e fratribus ad vesperam Monachorum cellas perlustrabat, fratres percunctaturus, an refectionem sumpsissent. Cassianus collatione 17. capite 21. *Quid quæso faciendum est, cum refectionem procrastinare disponentibus nobis, vtrum refecerimus ad vesperam, frater adveniens percunctatur? celandumne jejunium est, & virtus parsimoniæ contegenda, an veritatis professione prodenda?* Et quia Abbas Joannes frequentius in ecstasim raptus, sub vesperam nesciebat an cibum percepisset, ac sequenti die de hesterni absolutione jejunii dubitabat: ob hanc causam septem dierum cibus, hoc est, septem paximatiorum paria, in limine ejus cellæ in sporta deponebantur, ne omissa refectio lateret. Cassianus collat. 19. capite 4. Et Abbas Poemen consultus de modo jejunii, quotitidiana refectione temperandum esse respondit. Rufinus de vit. Patrum libro 2. capite 45. *Requisitus Abbas Poemen, quemadmodum oporteat jejunare, respondit: Ego volo Monachum ita esse*

quotidie parum comedentem, ut non satietur; nam biduana & triduana jejunia vanæ gloriæ vacant. Eadem fuit sententia Marciani, præstare refici quotidie, sed non satiari. Theodoritus de vit. Patrum capite 3. ἐκεκρίκει γὰρ ἑσπέρας κατὰ μίαν ἐσθίειν ἡμέραν, κόρον δὲ μηδέποτε λαβεῖν, ἀλλ' ἀεὶ μὲν πεινῆν, ἀεὶ δὲ διψῆν. Et infra: ἄμεινον τοίνυν ἔλεγε καθ' ἡμέραν μεταλαμβάνειν τροφῆς, κόρον δ' ὑπομεῖναι μηδέποτε. ἀληθὴς γὰρ νηστεία ἡ διηνεκὴς ἔνδεια. *Statuerat enim vespere comedere quotidie, numquam autem satiari, sed semper esurire, semperque sitire. Præstare itaque aiebat, vesci quidem quotidie, sed numquam expectare satietatem: verum enim jejunium est perpetua esuries.* Jejunium solvebatur die Sabbati & die dominica. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 3. capite 12. *Denique etiam in ipsis diebus, id est, Sabbato vel Dominica seu feriatis temporibus, quibus pariter prandium & cœna solet fratribus exhiberi, psalmus ad vesperam non dicitur.* Iisdem diebus fratribus præbebatur vinum vel cervisia. Auctor sermon. ad fratres in eremo sermone 1. *Dominica autem die qui volunt vinum cum Dei gratia bibant.* Idem sermon. 28. ad eosdem: *Talibus in Christi nomine præcipio, ut saltem diebus dominicis & solemnibus vinum vel cervisiam bibant.* Et idem sermon. 39. ad eosdem: *Non turbemini, fratres dilectissimi, si compello vos vinum bibere, & panem tritici cum betis butyro mixtis simul comedere: nam hodierna die credimus filium hominis resurrexisse a mortuis, ideo gaudere & epulari oportet.* Hinc a Patribus Ægyptiis damnatus Hero quidam, quod jejunium non solveret, ne quidem die Paschali. Cassianus collatione 2. capite 5. *Jejunium etiam solvebatur circa horam nonam in adventu hospitum, fratrum advenientium & peregrinorum gratia, quasi jejunio potius esset caritatis meritum.* Joannes Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 5. capite 24. *Cum de Syriæ partibus seniorum scita discere cupientes, Ægypti provinciam petissemus, ibique tanta cordis alacritate nos suscipi miraremur, ut nulla prorsus, sicut fueramus in Palæstinæ monasteriis instituti, usque ad præstitutam jejunii horam, refectionis regula servaretur, sed absque legitimis quarta sextaque feriis, quocumque pergebamus, quotidiana statio solveretur. Quidam seniorum percunctantibus nobis, cur ita indifferenter apud eos præterirentur quotidiana jejunia, respondit: Jeju-*

nium semper est mecum, &c. Et capite 26. ejusdem libri: *Itaque vt norunt in adventu fratrum indifferenter solvere quotidiana jejunia, ita discedentibus eis refectionem ob illos indultam continentia majore compensant.* Idem collatione 2. capite 25. *Nam nonnumquam hora nona soluta jam statione jejunii, supervenientibus fratribus, necesse est eorum obtentu aut adjici aliquid ad statutam solitamque mensuram, aut certe humanitatem, quam jubemur omnibus exhibere, penitus abdicari.* Et ita jejunium solvi hora nona hospitalitatis gratia indicat idem collatione 19. capite 16. in fin. *Hoc Abbas Joannes cum hora nona refectionem imminere sensisset, collationem fine concludit*, in gratiam scilicet hospitum, vt liquet ex præcedentibus. Apud Occidentales Monachos jejunium Quadragesimæ non ante vesperam solvi consuevit: extra Quadragesimam, puta quarta & sexta feria, mitius fuit, videlicet vsque ad nonam. Regula Benedicti capite 43. *Quarta & sexta feria jejunent vsque ad nonam; reliquis vero diebus ad sextam prandeant: ab initio vero Quadragesimæ vsque ad Pascha ad vesperam reficiant.* Petri Damiani institutum in monasterio sancti Vincentii de Petra Pertusa fuit, vt Quadragesimæ jejunium iniretur hoc modo, nimirum vt per triduum pane & aqua & nudis pedibus agerent, & expleto psalterio mutua se scoparum castigatione purgarent. Testis ipse libro 6. epistola 32. *Jejunium etiam, quod pœnitentiæ causa fratribus imponebatur, ducebatur vsque ad vesperam.* Concilium Turonense II. can. 18. *Quicumque minus quam duodecim psalmos ad matutinum dixerit, jejunet vsque ad vesperam, panem cum aqua manducet.* Veteres impransi reficiebantur tantum post vesperam. Ideo Sidon. libro 7. epistola 14. *Vt insinuet ante Mamercum fuisse celebratas rogationes, in quibus jejunium sæpius infringebatur, quæ sæpe, inquit, interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur.* Posterioribus sæculis defluente robore corporis, quasi senio ætatis, ex consuetudine in jejunio admissum est prandium hora nona, id est, tertia pomeridiana. Thomas Cantipratensis libro 2. capite 54. *Gradientibus namque duobus fratribus Prædicatoribus jejuniorum tempore ante Pascha, cum jam instaret tempus prandii hora nona.* Imo & in pejus ruente vitæ cælestis instituto, apud Monachos fere jejunium defecit: inde pingues & obe-

ſos depingit Abbates & Priores Romanum ſeu carmen eroticum quod vocant roſæ:

Et je les voy comme jengleurs
Plus gras que Abbez, ne que Prieurs.



CAPUT XIV.

Monachis vnum dormitorium, χαμευνία. Matta, mattula, ſtratum e junco, Græcis ψιάθιον. Somni tempus.

MONACHIS nihil non commune, vnum refectorium, vnum dormitorium. Can. *Neceſſaria* 12. quæſtione 1. Concil. Mogunt. can. 9. Turonenſe III. can. 23. Meldenſe can. 53. Et quod valde notandum eſt, olim dormitorium non cellis diſtinctum erat vt hodie: ſed erat vna ſchola ſeu manſio amplior in modum ſcholæ, in qua quieſcebant Monachi vna cum Abbate ſeu Præpoſito, diſpoſitis ordine lectulis, vt teſtes eſſent mutuæ converſationis. Synodus Turonenſis II. can. 15. *Non liceat Monachis cellulas habere communes, vbi aut bini maneant, aut ſingulares reponi poſſint: ſed ſchola labore communi conſtruatur, vbi omnes jaceant aut Abbate aut Præpoſito gubernante.* Veteres Monachi eadem vitæ diſtrictione vſi in cubitu, ac in cibo & potu & veſtitu. Ferventiores alii humi cubabant, id eſt, ſuper nudo ſolo: quem modum cubandi Græci vocant χαμευνίαν. De Antonio Magno teſtis locuples eſt Athanaſius in ejus vita: καὶ τὸν μὲν ἐν καρτερίᾳ, τὸν δὲ ἐν νηστείαις καὶ χαμευνίαις ἐθαύμαζε. *In illa tolerantia, illum in jejuniis & humi cubatione admirabatur.* De ſancto Ephrem Gregorius Nyſſenus in ejus vita: προσευχὴ ἀκατάπαυστος, νηστεία καὶ ἀγρυπνία μέτρον οὐκ ἔχουσα, χαμευνία καὶ σκληραγωγία λόγον ὑπερβαίνουσαι. *Oratio perpetua, jejunium & vigiliæ immoderatæ, humi cubatio & vitæ auſteritas pene incredibilis.* De Dorotheo Monacho Sozomen. libro 6. cap. 29. οὐδέ ποτε ὤφθη ἐπὶ ῥιπὸς ἢ κλίνης καθευδήσας. *Numquam viſus eſt ſuper ſtoream vel ſuper lectum dormire.* De Jacobo Monacho Theodoritus de vit. Patrum capite 1. τῇ γὰρ νηστείᾳ

καὶ χαμευνίᾳ, καὶ τῇ τοῦ σάκκου περιβολῇ. *Jejunio, humi cubatione & sacci indumento.* De Hilarione Hieronymus in ejus vita: *Super nudam humum stratumque junceum vsque ad mortem cubitavit.* De Hieronymo Augustinus epistola 205. *Stratum aliud nisi terram numquam scivit.* Et Hieronymus ipse de se epistola 22. *Si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam.* De Martino Paulin. lib. 4.

At si quando brevi cessissent lumina somno,
Nuda humus ad tenuem sat erat subjecta soporem.

De Monachis in genere Gregorius Nazianzenus oratione 3. τοὺς ἀνιπτόποδας καὶ χαμαιεύνας. *Pedibus illotos & humi cubantes.* Et Chrysostomus orat. 39. ad Antiochenos: ὅπερ οὐδὲ νηστεία, οὐδὲ χαμευνία, οὐδὲ παννυχίδες, οὐκ ἄλλο τι δύναται ἐργάσασθαι, τοῦτο ἡ τοῦ ἀδελφοῦ σωτηρία ποιεῖ. *Quod neque jejunium, neque humi peractæ cubationes, neque pervigilia, neque aliud quippiam potest efficere, id efficit fratris procurata salus.* De Lirinensibus Monachis Sidon. in Eucharistico ad Faustum Reiensem:

Succinctos gelido libantem cespite somnos.

Alii cubabant in mattis, quæ erant vilia strata e junco texta. Vita Pachomii capite 43. *Ingressus monasterium, post orationem venit ad coquinam, & inveniens fratrem qui coquinæ præerat, psiathos operantem, quas vulgus mattas appellat.* Mattarum vsum ad cubitum retinuit Benedictus regul. capite 55. *Stramenta autem lectorum sufficiant, matta, sagum, lina, capitale.* His vsi sunt Cluniacenses, sed non semper. Petrus Cluniacensis libro 1. epistola 20. *Sed & si palustria prope sunt loca, mattas antiquum Monachorum opus compone, super quas aut semper aut sæpe dormias.* In matta cubasse Odonem Abbatem Cluniacensem testatur Joannes Monachus in ejus vita lib. 1. *Nempe qui super nudam humum matta solum, & quibus induebatur vestibus contentus erat.* Cistercienses magis observantes fuisse vsus mattæ insinuat Bernardus epistola 1. ad Robertum nepotem, qua eum revocat a Cluniacensibus, ad quos migraret: *Fletus æternus & stridor ille dentium ante cordis oculos reductus pares tibi reddet mattam & culcitram.* A mattis mattarii dicti qui cubarent in mattis. Augustinus contra Faustum libro 5. capite 5. *Et quia in mattis dormiunt, mattarii*

appellantur, a quorum stratis longe dissimiles fuerunt plumæ Fausti & caprinæ lodices, qua deliciarum affluentia non solum mattarios fastidiebat, sed etiam domum patris sui hominis pauperis Milevitani. Mattæ diminutivum est mattula, cujus idem erat vsus. Rufinus de vit. Patrum libro 2. capite 29. *Credite mihi, fratres, quia magis opto mattulam fratris Eulalii, cum humilitate & patientia eius, quam omnia opera eorum dumtaxat, qui murmurantes in cordibus suis operantur in monasterio.* Et idem capite 195. ejusdem libri: *Tunc illi mattulam in vno angulo ad opus ipsius collocarunt.* Græci vocant ψιάθιον, quo quandoque vsus Antonius. Athanasius in ejus vita: εἰς δὲ τὸν ὕπνον ἠρκεῖτο ψιαθίῳ, τὸ δὲ πλεῖστον καὶ ἐπὶ γῆς μόνης κατέκειτο. *Ad somnum contentus erat psiathio, vt plurimum nuda humo.* Cassianus collatione 1. capite 23. *His itaque beatus Moses collationi nostræ dans finem, adhuc nos avidos ac de suo ore pendentes degustare somnum paulisper hortatus est, iisdem ipsis quibus insidebamus psiathiis admonens incubare.* Mattæ & psiathia vsui erant non modo ad cubitum, sed etiam ad sessionem. Ambrosius vel alius auctor quisquis est in primam ad Corinthios capite 14. *Sedentes disputent seniores dignitate in cathedris, sequentes in subsellius, novissimi in pavimento super mattas.* Petrus Cluniacensis libro 2. epistola 50. *Ipse ei in matta monachica, quæ sedi illi contigua erat, assedit.* De psiathio Cassianus collat. 15. cap. 1. *Post synaxim vespertinam ad repromissam narrationem intenti psiathiis pariter ex more consedimus.* Idem collat. 18. capite 11. *Psiathii quoque ipsius refugiens sessionem, humi potius residebam.* Alii cubabant super cilicio. De Paula testatur Hieronymus in epitaphio ipsius ad Eustochium: *Mollia etiam in gravissima febre lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat.* Ciliciorum quoque vt mattarum vsus erat ad sessionem. Severus Sulpitius Dialog. 1. de virtutibus Monach. Oriental. *Jactis in terram ciliciis consedimus.* Et infra: *Quod cum dixisset, paululum omnes conticuimus, dein cilicium, cui insederat, ad me propius admovit.* Alias in collationibus fratres humi considebant. Cassianus collatione 21. capite 11. *Vespertina orationum solemnitate transacta humi paululum considentes, cœpimus diligentius percunctari.* In extrema ægritudine S. Macrina non quiescebat super strato aut lectu-

lo, sed humi super afferem tectum cilicio. Gregorius Nyssenus in ejus vita. Alii cubabant in sago. Hinc Abbas Machetes fratres arguebat, quod haberent in cellulis sagum, quo scilicet decubarent. Cassianus de institutione Cœnobitarum capite 30. Et vt remissio in monasteriis irrepsit, obtentu humanitatis & susceptionis hospitum, Monachi cœpere habere sagum in cellulis pro susceptione advenientium fratrum. Idem collatione 19. capite 6. *In tantum hæc ὑλικῆς χρήσεως, id est, materialium rerum possessio, supercrevit, vt sagum quoque, quod absque verecundia referre non possum, sub obtentu humanitatis ac susceptionis hujus, anachoretæ in suis habere cellulis cœperint.* Monachi Pachomiani somnum capiebant cincti in tunicis simul & pellibus, in sellis reclivibus, ita vt magis sederent, quam jacerent. Sozomenus libro 3. capite 13. Modicum tempus somni, trium vel quatuor horarum, dabatur Monachis. Cassianus collatione 12. capite 15. *Quisquis igitur extractus a cunctis confabulationibus otiosis, & mortificatus ab omni ira ac sollicitudine curaque mundana, duobus tantum paximatiis fuerit quotidiana refectione contentus, & aquæ satietate subtracta, quietem somni trium, sive, vt alii statuerunt, quatuor horarum spatio terminarit.* Idem collatione 13. capite 6. *Quis aquæ perpetuam sitim sine domini consolatione tolerare, illumque dulcem ac delectabilem matutinum soporem humanis fraudari oculis, & intra terminos horarum quatuor omnem quietis refectionem jugi possit lege concludere?* Rufinus de vit. Patrum lib. 2. capite 199. *Quatuor horis dormiebant in nocte, & quatuor psallebant, & quatuor operabantur. Hic erat Abbas Poemen & socii.* Et hoc est canonicum somni tempus, de quo Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 5. capite 20. *Similiter quoque canonicum somni tempus mensuramque custodiat.*



CAPUT XV.

Meridiatio & aliæ relaxationes Monachorum.

TOT vigiliis, orationibus, lectionibus, manuum operibus fatigatis fratribus datur modica relaxatio, ne languentes ad opus redeant, vel in eo deficiant. Primum fratribus æstivo tempore sub horam sextam, id est, sub meridiem, licet tantillum somnum capere : qui modus dormitandi dicitur meridiatio. Veteribus in vsu fuit somnus meridianus propter æstivos calores. 2. Reg. 4. *Isboseth dormiebat super stratum suum meridie.* & 2. Reg. 11. *David cum surgeret de strato suo post meridiem.* Job 24. *Inter acervos eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt.* Varro de re rustic. libro 1. capite 2. *Ego hic vbi nox & dies modice redit, & abit tamen, æstivum diem si non diffinderem, meo insitio somno, meridie vivere non possem.* Cæsar de bello Gallico libro 7. *Theutomatus Rex Nitiobrigum subito in tabernaculo oppressus, vt meridie conquieverat.* Tranquill. in August. capite 78. *Post cibum meridianum, ita vt vestitus calceatusque erat, retortis pedibus paulisper conquiescebat, opposita ad oculos manu.* Et idem in Nerone : *Missos a Messalina vxore Claudii, qui eum meridiantem quasi Britannici æmulum strangularent.* Et meridiatio in vsu erat etiam vilioribus & humilioribus personis, puta libertis : liberti enim patrono non tenebantur præstare nisi liberales operas, ita vt adquiescere eis meridiano tempore liceret. L. *Medicus* in princip. *de oper. libertor.* Etiam posterioribus sæculis somnus meridianus passim in vsu fuit. Sidonius libro 2. epistola 9. *Excusso torpore meridiano paulisper equitabamus.* Paulus Diaconus libro 20. *Cum autem meridie requiesceret, repente per auream portam introivit Ruffus primus stratorum.* Cedrenus in Philippico : ἐν δὲ τῷ σαββάτῳ τῆς Πεντηκοστῆς μεσημβριάζων. *In Sabbato Pentecostes meridians.* Moris fuisse Romanis post prandium meridiari, infelici argumento indicat Procopius de bello Vandalico libro 3. cum

ait civibus meridiantibus, ab Alarico vrbem Romam captam fuisse ἁπάντων ὕπνων, ὡς τὸ εἰκὸς, ἡμέραν μέσην, *omnibus meridiantibus, vt solent, post prandium.* E recentioribus Petrus Vallis Sernensis Historiæ Albigensis capite 55. *Dum pransi essent nostri, & vt mos est, post prandium pausarent in meridie.* Etiam Episcopis vitæ severioris viris vsu honestus fuit somnus meridianus. Theodoritus libro 5. capite 21. ἑρμήνευσαν τῷ τὸ πῦ ποιμένι μετὰ μεσημβρίας καθεύδοντι. *Episcopo sub meridiem forte dormienti rem indicant.* Idem Nicephorus Callistus libro 12. capite 27. Etiam Monachis somni meridiani pausatio, seu quies indulta per æstivum tempus. Joannes Climacus scala Paradis. grad. 27. χαλεπὸν τὸν τῆς μεσημβρίας ἀποτινάξασθαι ὕπνον, ἐν ταῖς θερειναῖς μάλιστα ὥραις. *Difficile est pomeridianum somnum, præsertim æstivis horis, arcere.* Regula Benedicti capite 48. *Post sextam autem surgentes a mensa, pausent in lectis suis cum omni silentio.* Gregorius Dialog. 1. capite 13. *Cumque meridiano tempore cuncti fratres quiescerent, more solito fur advenit.* Idem Radulphus Rabani discipulus in vita sanctæ Liobæ Virginis: *Nam licet semper modicum tota tamen æstate post prandium, tam ipsa quam cunctæ sibi subjectæ sorores pausabant, nec vlli earum indiscrete vigilare volenti consensit: dixit enim adempto somno sensum adimi maxime legendi.* Edinerus Anglus in vita beati Anselmi: *Cum igitur fratres meridiana hora in lectis ex more quiescerent, & iterum vna dierum fratribus loci illius post mensam in lectis suis pausantibus, subito fragore cælum intonuit.* Fratribus indulgetur somnus post sextam, id est, post meridiem, sed ferventiores aliis dormientibus per id tempus sacræ lectioni operam dabant. Capitulare Aquisgranense anno 817. can. 38. *Vt quando fratres post sextam dormiunt, si quis eorum voluerit legere, in Ecclesia aut in lecto suo legat.* Etiam fratribus conversis meridiari fas erat. Cæsarius de Miraculis libro 3. capite 33. *Tempore quodam æstivo conversis Ordinis nostri in dormitorio suo meridie quiescentibus.* Nec modo per æstivum tempus, sed etiam per hibernum diebus solemnibus nocturnis vigiliis defessis fratribus permittebatur somno meridiano recreari. Gregorius libro 9. Indictione 4. epistola 38. *Alio quoque tempore dum in natalitio sancti Andreæ Apostoli jam meridianis horis fratres*

quiescerent. Præter meridiationem etiam Monachis conceduntur nonnullæ relaxationes animi & corporis, ne nimia & nusquam interrupta districtio desinat in tepiditatem : puta apud Ægyptios jejunium solvebatur in adventu & susceptione hospitum. de quo Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 5. capite 24. 26. & collatione 24. capite 20. vel in gratiam festivitatis: de quo idem collatione 21. capite 14. & 23. Monachis oblectationis causa quandoque conceditur piscatio. Thomas Cantipratensis libro 2. capite 25. *Mense Augusto familia circa messem instantius occupata, facto mane prandio, ego & Diaconus qui mecum religiose degebat, rete sumpsimus, & vt tempus deduceremus, ad piscinam late diffusam accessimus ad piscandum.* Remissionis causa quoque interdum Monachis permittitur, spatiari extra monasterium. Idem Cantipratensis libro 2. capite 36. *Juvenem igitur adultum Abbas suus pro recreatione vel joco secum proficisci extra præcepit.* Etiam Sanctimonialibus Abbatissa duce id permissum. Idem libro 1. capite 10. de Geuta Abbatissa Vallis-floridæ: *Si Moniales suas ad solatium educebat, in medio omnium considebat, & aliquid de Deo, vel scripturis, vel etiam de moribus proponebat.* Hujusmodi honestas remissiones probat Cassianus collatione 24. capite 21. exemplo & judicio Joannis Apostoli, qui venatori offenso, quod cum perdice luderet, respondit: *Cur arcum semper tensum non circumfers?* Et vbi ab eo audivit, id caveri, ne nimio rigore solveretur: *Et nos*, inquit, *interdum animum relaxamus, ne nimia contentione frangatur.*



CAPUT XVI.

Balnearum & medicinæ vsus an probetur in Monachis.

ETIAM leviores deliciæ vetantur in Monachis, puta balneorum vsus. Hieronymus epistola ad Rusticum: *Balnearum fomenta non quærat, qui calorem corporis jejuniorum cupit frigore extinguere.* Sanctimonialibus propter sexus infirmitatem semel in mense balneorum vsum indulget Augu-

stinus epistola 109. *Lavacrum etiam corporum usufque balnearum non sit assiduus, sed eo quo solet intervallo temporis tribuatur, hoc est, semel in mense.* In Gallia balneorum vsus ægre ferebatur in sacris virginibus: inter alia capita quæ objiciebantur Abbatissæ monasterii sanctæ Crucis Pictaviensis a Chrodielde, hoc erat vnum e gravioribus, quod in balneo lavarentur incongrue: de quo sese purgavit Abbatissa apud Episcopos hac de causa congregatos, teste Gregorio Turonensi libro 10. capite 16. Benedictinis Monachis vix licuit vti balneo, nisi infirmitatis causa, idque permittente Abbate. Regula Benedicti: *Balnearum usus infirmis quoties expedit offeratur; sanis autem, & maxime juvenibus, tardius concedatur.* Et Capitulare Aquisgranense can. 7. *Ut balnearum usus in arbitrio Prioris consistat.* Non modo delicias corporis & oblectamenta balneorum exhorruere ascetici Legislatores, verum etiam vix tulere vsum medicinæ pro curatione morborum, magis de animæ, quam de corporis salute solliciti, vitæ contemptores, ac pene osores. Monachis non fugiendum solatium medicinæ in morbis, sed nimis non expetendum voluit Basilius regular. fusius disputatarum capite 55. *οὔτε οὖν φευκτέον πάντη τὴν τέχνην, οὔτε ἐπ' αὐτῇ πάσας τὰς ἐλπίδας ἔχειν ἀκόλουθον. Neque igitur fugienda penitus ars ista est, neque rursum omnia in ea salutis nostræ præsidia collocanda.* Chrysostomus in primam ad Timothæum Homil. 14. *κἂν ἀῤῥωστήσῃ, οὐ δάκρυα, οὐ θρῆνος, ἀλλ' εὐχαὶ πάλιν, οὐκ ἰατρῶν χεῖρες, ἀλλὰ πίστις μόνη πολλάκις ἀπήλλαξε τὸν ἄῤῥωστον, εἰ δὲ ἰατρῶν δεηθείη, πολλὴ δὲ ἐνταῦθα ἡ φιλοσοφία, πολλὴ ἡ καρτερία. Quod si quis infirmatus fuerit, non lamenta, non lacrymæ, sed perpetuæ funduntur preces, non ibi medicorum operatur manus, sed fides sæpe sola sanavit infirmum: nempe & si opus fuerit medicis, magna & hic ostenditur philosophia, ingensque ostenditur tolerantia.* Usum medicinæ ægre tolerarunt Cistercienses, valetudinem corporis soli Deo acceptam fieri volentes. Bernardus epistola 321. ad fratres sancti Anastasii: *Compatior utique, & multum ego compatior infirmitati corporum; sed timenda multo magis, ampliusque cavenda infirmitas animarum: propterea minime competit religioni vestræ medicinas quærere corporales; sed nec expedit saluti, non de vilibus quidem herbis, & quæ pauperes deceant,*

deceant, interdum aliquid sumere tolerabile est, & hoc aliquando solet fieri. At vero species emere, quærere medicos, accipere potiones, religioni indecens est, & contrarium puritati, maximeque Ordinis nostri nec honestati congruit, nec puritati.



CAPUT XVII.

Vestis Novitiorum & Monachorum distincta: vestes variæ Monachorum, colobium, cucullа, melote, maforte, analabus, pallium, floccus.

MONACHI, vt cæteras partes vitæ communis monachalis persequar, omnia habent communia, nihil proprium, ne vestem quidem, quam desumunt ex vno & communi vestiario. Augustinus epistola 109. ad Monachas quasdam: *Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia, & distribuatur vnicuique vestrum a Præposita vestra victus & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed vniquique sicut opus fuerit.* Et infra: *Et sicut pascimini ex vno cellario, sic induamini ex vno vestiario.* De quo plura capite 1. hujusce libri. Olim Novitii probationem implebant in veste sæculari, & Profitentes vestem mutabant. Dionysius Areopagita Ecclesiasticæ Hierarchiæ capite 6. Monachus dum initiatur, Sacerdos signo crucis consignatum tondet, καὶ τὴν ἐσθῆτα πᾶσαν ἐπαμφιέσας ἑτέραν ἀμφιέννυσι, *omnique veste detracta eum alia induit.* Ambrosius epistola 36. de Paulino. *Et cum ipsi*, inquit, *capita & supercilia sua radant, si quando Isidis suscipiant sacra, si forte Christianus vir attentior sacrosanctæ religionis vestem mutaverit, indignum facinus appellant.* Hieronymus epistola ad Rusticum: *Vidi ego quosdam, qui postquam renunciavere sæculo, vestimentis dumtaxat & vocis professione, non rebus, nihil de pristina conversatione mutarunt.* Et idem epistola ad Paulinum: *Tunicam mutas cum animo.* Apud Græcos alia fuit vestis Novitiorum, alia Professorum. Novitiorum vestis erat rasa, vnde ῥάσαν Græci vocabant, forte vt distingueretur a veste villosa. Euchologium in officio susceptionis Novitii, ἀκολουθία εἰς

ἀρχάειςι ῥασοφορεμένα. Aliter καμιλαύχιον, vt habetur in indice capitum Euchologii, ἀκολουθία γινομένη εἰς τὸ φορέσαι τινὰ ῥάσον μόνον καὶ καμιλαύχιον. Forte quod id genus vestis esset contextum pilis cameli. Inde forte camelancum vestis Pontificiæ genus : de quo Anastasius in Constantino : *Apostolicus Pontifex cum camelanco, vt solitus est Romæ procedere, a palatio egressus, in Placidias vsque, vbi hospitaturus erat, properavit.* Papias : *Camelancus vestimentum Papæ.* ῥάσαι vocat quoque Nicetas in Manuele Comneno libro 7. τὸ μοναδικὸν σχῆμα ᾔτησε, καὶ οἱ περὶ αὐτὸν ὅθεν δή εὑρόντες τινὸς μοναχοῦ ῥάσα, περιδύουσι μὲν αὐτὸν, καὶ ἀπεκδύουσι τὰ μαλακὰ καὶ ἀρχικὰ ἄμφια. *Monasticum habitum postulavit, & qui circa illum erant, nescio vbi nacti vestem monachicam illi induxerunt, & vestes molles & regias detraxerunt.* Ita hunc locum tradit Meursius in Lexico Græco Barbaro. Vulgata editio πνευματικωτέρας ἀμφιάσεως, *spiritualis vestis.* Schema monasticum, id est, Professorum, duplex erat : vnum quod dicebatur τὸ μικρὸν σχῆμα, sive τοῦ μανδύου ; alterum τὸ μέγα sive τὸ ἀγγελικόν. In vtriusque susceptione varia officia distinxit Euchölog. ἀκολουθία τοῦ μικροῦ σχήματος ἤτοι τοῦ μανδύου. *Officium parvi habitus seu mandyi.* ἀκολουθία τοῦ μεγάλου καὶ ἀγγελικοῦ σχήματος. *Officium magni & angelici habitus.* Et hoc est quod ἅγιον σχῆμα vocat Joannes Moschus Limonarii capite 166. ὁ δὲ γέρων νουθετήσας αὐτὸν ἐποίησεν αὐτὸν μοναχὸν, παραχὼν καὶ τὸ ἅγιον σχῆμα. *Senex vero exhortans illum fecit Monachum, & sanctum ei habitum dedit.* ῥάσα erat vestis Novitiorum : μικρὸν σχῆμα erat vestis quæ tradebatur professuris antequam tonderentur, vt patet ex Euchologio. μέγα seu ἀγγελικὸν σχῆμα erat vestis, quæ deposito parvo habitu tradebatur Professis in signum perfectionis & propositi angelicæ vitæ ducendæ : & hanc vestem prius solemniter impositam altari & benedictam tradebat Abbas Profitenti, ex Euchologio : & hoc est quod insinuat Isidorus Pelusiot. libro 1. epistola 310. Monachus quidam, inquit, ad nos venit, σχῆμα τὸ τῆς τιμίας σου φέρων δεξιᾶς, καὶ ᾧ αὐτὸς οἶδας σφραγίζειν τοὺς ὑποφύτας σου, *habitum tuæ venerandæ ferens manus, & quo discipulos tuos consignare nosti.* Monachorum vestis non vna & varia fuit pro diversitate instituti & regionum. Joannes Cassianus de institutione

Cœnobitarum libro 1. capite 11. *Cæterum a nobis tenenda ſunt illa tantummodo, quæ vel locorum ſitus vel vſus provinciæ admittit: nam neque caligis nos, neque colobiis ſeu vna tunica eſſe contentos hiemis permittit aſperitas; & parviſſimi cuculi velamen, vel melotis geſtatio deriſum potius quam ædifieationem vllam videntibus comparabit.* Ægyptiorum Patrum propriæ veſtes fuere lebitus ſive colobium, & cuculla & melotes. Hieronymus in Præfat. in regul. Pachomii: *Nihil habent in cellulis præter pſiathium, & quæ infra ſcripta ſunt, duo lebitonaria, quod Ægyptius Monachus genus veſtimenti eſt, ſine manicis, & vnum jam attritum ad dormiendum vel operandum, & amictum lineum cucullosque duos, & caprinam pelliculam quam melotem vocant, balteolum lineum, & gallicas, ac bacillum itineris ſocium.* Colobium vel lebitus, quod idem eſt, eſt linea veſtis Monachorum ſine manicis vel abſciſſis manicis, vt expeditiores ſint ad operandum, & ſoluti ad dormiendum. Palladius Hiſtoriæ Lauſiacæ capite 38. φορείτωσαν δὲ ἐν ταῖς νυξὶ λεβιτῶνας λινοῦς ἐζωσμένοι. *Noctu autem geſtent lebitones lineos ſuccincti.* Sozomenus libro 3. capite 13. καὶ τοὺς μὲν χιτῶνας ἀχειριδώτους ἐνεδιδύσκοντο. *Nam tunicis ſe induebant manibus carentibus.* Caſſianus de inſtitutione Cœnobitarum libro 1. capite 5. *Colobiis quoque lineis induti, quæ vix ad cubitorum ima pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus, vt amputatos habere eos actus, & opera mundi hujus ſuggerat abſceſſio manicarum, & ab omni converſatione terrena mortificatos eos velaminis linei doceat indumentum.* Rufinus de vit. Patrum libro 1. capite 3. *Tabennenſii appellantur, quibus vſus eſt indui colobiis quaſi ſaccis lineis.* Et idem capite 7. ejuſdem libri: *Indumentum ejus ſtuppeum, collobium erat, quod apud illos lebites appellatur, & linteum quod collum & caput obvolveret.* Cuculla apud Ægyptios erat tegumentum capitis ad humeros vſque demiſſum, quo vtebantur Monachi vtriuſque ſexus. Cuculli, quod eſt indumentum capitis infantile, a Pachomio datæ Monachis ſuis tanquam pueris, vt puerilem ſimplicitatem a ſe deſiderari intelligerent. Palladius Hiſtoriæ Lauſiacæ cap. 38. Idem Dorotheus doctrin. 1. εἰσιόντες δὲ εἰς τὴν κοινωνίαν τῶν μυστηρίων τοῦ Χριστοῦ κατὰ σάββατον καὶ κυριακὴν τὰς ζώνας λυέτωσαν, καὶ τὴν μηλωτὴν ἀποτιθέτωσαν, καὶ μετὰ κουκουλλίου μόνου εἰσί-

πωσαν. κουκούλλια γὰρ αὐτοῖς ἐτύπωσεν ἄμαλλα ὡς παιδίοις, ἐν οἷς καὶ χαυστικῆς τινὰς σταυροῦ διαπορφυρείου ἐκέλευσε τούτοις ἐντίπεσθαι. *Ingredientes ad communionem mysteriorum Sabbato & dominica zonas solvant, & melotem deponant, & cum sola cuculla ingrediantur: fecit autem eis cucullas sine pilis tanquam pueris, in quibus etiam jussit imponi figuram crucis purpureæ.* Idem Zozomenus libro 3. capite 13. Eo se refert Hieronymus ad Eustochium: *Sunt quæ ciliciis vestiuntur, & cucullis fabrefactis, ut ad infantiam redeant, imitantur noctuas & bubones.* Virgines tonsas & cucullis caput velatas depingit Palladius capite 41. τῶν οὖν ἄλλων παρθένων τὸ σχῆμα ἦν κεκαρμένων ἐχουσῶν κουκούλλια ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. *Atque aliarum virginum erat hujusmodi habitus, ut essent tonsæ, & haberent cucullos in capite.* Formam & modum cucullæ typice describit Joannes Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 1. capite 4. *Cucullis namque perparvis usque ad cervicis humerorumque demissis confinia, quibus tantum capita contegant, indesinenter diebus utuntur ac noctibus, scilicet ut innocentiam & simplicitatem parvulorum jugiter custodire etiam imitatione ipsius velaminis commoneantur.* Colobio & cucullæ superaddebatur melote, id est, pellice quæ ab humeris ad lumbos pertinebat: e pelle caprina contextam ponit Cassianus de institutione Cœnobitar. libro 1. capite 8. *Ultimus est habitus eorum pellis caprina, quæ melote vel pera appellatur & baculus, quæ gestant ad imitationem eorum, qui professionis hujus præfiguravere lineas in veteri Testamento.* Melotes e pelle ovilla, quod convenientius est nomini rei: melotes enim a Græco μῆλον, id est, ovis, deduci constat: gestabant Pachomiani. Palladius Historiæ Lausiacæ capite 38. ἕκαστος αὐτῶν ἐχέτω μηλωτὴν αἰγίαν εἰργασμένην λευκήν. *Habeat unusquisque ex his pellem caprinam albam elaboratam.* Antonium usum pellicea ab Athanasio accepta, refert ipse Athanasius in ejus vita, & Palladius capite 26. Pelliceum ependyten, qui idem est cum melote, ex dono Antonii gestasse Hilarionem testis Hieronymus in ipsius vit. *Igitur sacco tantum membra coopertus, & pelliceum habens ependyten, quem illi beatus Antonius proficiscenti dederat.* Etiam beatum Benedictum melote usum refert Gregorius libro 2. Dialog. capite 7. Monachi Ægyptii exemplo Eliæ Thesbytis pellibus

amicti in signum mortificationis, quod pellibus demortuis induerentur, ex regula Pachomii quam tradit Sozomenus libro 3. capite 13. Idem Isidorus Pelusiot. libro 1. epistola 427. ad Nilum Monachum: τὰ τῶν μηλωτῶν περιζώματα μόνοις τοῖς τὴν σάρκα νεκρώσασιν ἀνδρείως περίκειται, σημεῖα ὄντα νεκρώσεως. *Ovillarum pallium lumbaria solis iis qui carnem suam enecarunt, imprimuntur vt signa mortificationis.* Maforte erat palliolum Monachorum caput & humeros tegens, aliud a cuculla. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 1. capite 7. *Post hæc angusto palliolo tam amictus humilitatem, quam vilitatem pretii compendiumque sectantes, colla pariter atque humeros tegunt, quæ mafortes tam nostro quam ipsorum nuncupantur eloquio: & ita planeticarum atque birrorum pretia simul ambitionemque declinant.* Maforte vsi Monachi vtriusque sexus. Gregorius Turonensis libro 10. capite 15. *De Palla quod reputarent, protulit Monacham nobilem, quæ ei mafortem holosericum, quem de parentibus detulit, muneris causa concesserit.* μαφόριον vocat Basilius vel alius quisquis auctor est de pœnis in Monachos delinquentes capite 7. εἴ τις ἄνευ μαφορίου ποιεῖ ἔργον, γυμνούσθω ἀπὸ εὐλογίας. *Si quis absque capitis velamine opus faciat, careat benedictione.* Alii mavortem. Hieronymus ad Eustochium: *Et per humeros hyacinthina lana mavorte volitans.* Præter colobium, cucullam & melotem seu pelliceam, Ægyptii Monachi habebant aliud vestis genus, quod Græci vocant ἀνάλαβον, superhumerale. Dorotheus doctrin. 1. de renunciatione: τὸ σχῆμα ὃ φοροῦμεν, κολόβιόν ἐστι, μὴ ἔχον χειρίδια, καὶ ζώνη δερματίνη, καὶ ἀνάλαβος, καὶ κουκούλιον. *Habitus noster is est, tunica absque manicis, & zona pellicea, analabus & cucullus.* Quæ forma esset analabi, nempe in modum crucis super humeros, exponit idem infra eodem loco: ἔχομεν καὶ ἀνάλαβον. ὁ ἀνάλαβος τίθεται σταυροειδῶς, ἐπὶ τοὺς ὤμους ἡμῶν τοῦτ' ἔστι τὸ τοῦ σταυροῦ τὸ σύμβολον βαστάζομεν. *Habemus & analabum, analabus seu succinctorium in crucis modum ponitur; super humeros autem nostros crucis signum deferimus.* Succinctorium seu rebrachiatorium vocat Cassianus de institutione Cœnobitarum lib. 1. capite 6. *Gestant etiam vesticulas duplices laneo plexas subtegmine, quas Græci ἀναλάβους, nos vero succinctoria seu redimicula, vel proprie rebrachiatoria possumus appellare, quæ descendentia*

summa cervicis, & a lateribus colli divisa, utrarumque alarum sinus ambiunt, atque hinc inde succingunt, ut constringentia latitudinem vestimenti ad corpus contrahant, atque conjungant, & ita constrictis brachiis impigri ad omne opus expeditique reddantur. Analobum κα[illegible] appellat S. Ephrem doctrin. var. capite 88. *Arbitror conducere Monacho, maxime Novitio, non exire cella ἄνευ κατανωτίου, sine superhumerali*, ut vertit Vossius. Apud Græcos & Orientales pallium erat propria vestis Monachorum, unde ex Concilio Gangrensi canone 12. *Si quis proposito religionis utatur pallio περιβολαίῳ, & ex eo quasi sanctificatus condemnet eos, qui byrros gestant*, (id nomen pileo sæcularium) *sit anathema.* Can. *Si quis virorum* 30. distinct. Et Monachi propter amictum pallii, quod erat indumentum Græcorum, Romæ notabantur ut Græculi. Hieronymus ad Marcellam: *Si tunica non canduerit, statim illud e trivio: Impostor & Græcus est.* Necnon Monachi de nigro pallio notabantur a paganis. Eunapius in Ædesio: τυραννικὴν γὰρ εἶχεν ἐξουσίαν τότε πᾶς ἄνθρωπος μέλαιναν φορῶν ἐσθῆτα, καὶ δημοσίᾳ βουλόμενος ἀσχημονεῖν. *Tyrannicam obtinebat auctoritatem quivis atram vestem indutus, quique in publico sordido habitu spectari volebat.* Monachi utriusque sexus apud Græcos nigro pallio induti passim memorantur. Suborta seditione Constantinopoli in Monachos, quod pulso Joanne Chrysostomo Ecclesias occupassent, interfecti omnes, ὅσοι φαιὰς ἔτυχον ἐσθῆσιν ἠμφιεσμένοι, *quicumque pullis induti erant vestibus*, ut refert Zozimus libro 5. Zonaras in Irene & Constantino meminit Mariæ Constantini uxoris, quæ a viro repudiata, nigrum pallium sumpsisset. μονάζουσα ἄμφια μέλανα. Et idem in Michaele Rangabe memorat Theophanonem Stauracii conjugem, καρεῖσαν τὴν κόμην, καὶ μέλαιναν ἐνδυσαμένην στολήν. Manuelem Comnenum in extremis nigra veste, quæ erat monachica, indutum refert Nicetas in ejus vit. libro 7. καὶ τῆς πνευματικωτέρας ἀμφιάσεως ἐχούσης τὸ ἀπερίσκεπτον τριβωνίου μέλανος, &c. *Et spiritualem vestem nigro panno omnis ornatus expertem.* Gregorius Nazianzenus orat. 14. δι' τὸ αὐτὸ ἀυτοσχεδίων φαιὸν ἢ μέλαν τριβώνιον ὁ σεμνότης βίου περιβάλλεται. *Idem pallium fuscum vel nigrum habentium vitæ sanctitas signatur.* Synes. epistola 146. ad Joannem Mona-

chum: καὶ φαιὸν τριβώνιον ἀμπέχεσθαί σέ φησιν. *Et fusco pallio te vestitum esse dixit.* Hinc Monachos qui solo pallio & promissa barba Monachos ementiuntur, ridet Isidorus Pelusiota libro 1. epistola 92. εἰ δὲ τρίβωνα, καὶ ὑπήνην, καὶ βακτηρίαν ἀρκεῖν ἡμῖν πρὸς ἐξάνυσιν τῆς ἀγγελικῆς πολιτείας οἰόμεθα. *Quod si pallium & promissam barbam & baculum ad angelicam vitam omnibus partibus explendam nobis sufficere arbitramur.* Etiam in Africa palliati Monachi non sine ludibrio visi. Salvianus libro 8. *Intra Carthaginis muros palliatum & pallidum, & rescisis comarum fluentium jubis, usque ad cutem tonsum videre tam infelix ille populus quam infidelis sine convicio atque execratione non poterat.* In Gallia etiam Monachos pallio usos notum est. Severus Sulpitius epistola ad Bassulam socrum suam: *Agebat ante se pastor extinctus greges suos, sanctæ illius magnitudinis pallidas turbas, agmina palliata.* Sidonius libro 4. epistola 9. *Novoque genere vivendi Monachum complet, non sub palliolo, sed sub paludamento.* Benedictinorum vestes propriæ tunica, cuculla & scapulare. Benedictus regul. capite 55. *Nos mediocribus locis sufficere credimus Monachis per singulos cucullam & tunicam & cucullam in hieme villosam, in æstate puram aut vetustam, & scapulare propter opera.* Tunica est interior vestis strictior, habens manicas, cui superponebatur cuculla. Vita Bernardi libro 2. capite 8. *Adhærebat carni ejus lanea tunica, & diebus & noctibus cuculla vestitus sic ibat, sic cubabat.* Guibertus Historiæ Hierosolymitanæ lib. 2. capite 8. *Petrus Eremita lanea tunica ad purum, cucullo super utrisque talaribus, byrro desuper induebatur brachiis minime, nudipes autem.* Cuculla est vestis propria Monachorum, quam ab Abbate Profitentes suscipiebant. Can. *Præsens* 20. quæst. 3. Hinc post Professionem Monachi per triduum cuculla opertum caput habebant. Capitulare Aquisgranense anno Christi 817. canon. 35. *Ut Monachus Professione facta tribus diebus cuculla coopertum habeat caput.* Hinc & suscepto in Novitium, mox ut apparuit eum esse Professum nigri Ordinis, Abbas cappam illi mutavit in cucullam. Cæsarius de Miraculis libro 4. capite 91. *Susceptus a domino Gisilberto Abbate in Novitium, mox ut eum per confessionem cognoverat nigrum Monachum fuisse, cappam illi mutavit in cucullam.* Hinc & cuculla

est præcipuum insigne Monachorum: cujus rei argumentum est, quod si Canonicus regularis migraverit ad Monachos, revocatur, & in pœnam defectionis memorialem deinceps cucullam gestat, & vltimus in choro stat, ex decreto Urbani II. Can. *Mandamus* 19. quæstione 3. Cap. *Intelleximus. de ætat. qualit. & ordin. præficiend.* Et cucullatus pro Monacho accipitur. Petrus Cellensis libro 7. epistola 14. *Mundus plenus est cucullatis, & pene vacuus Monachis.* Et cucullæ susceptio in Monachis sui deditio est. Anselmus libro 2. epistola 23. *Nostrum vtique semper est consilium, vt nullum ante illam sui deditionem, quam per cucullæ spontaneam acceptionem facit, si ad aliud monasterium ire voluerit, invitum teneamus.* Olim cucullus erat indumentum capitis. Juvenal. Satyr. 8.

Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Idque ad vsum vtriusque sexus, idem Satyr. 3.

Ausa palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos.

Et sagis rusticorum addebatur cucullus ad arcendam injuriam tempestatum. Columella libro 11. capite 1. *Pellibus manicatis, & sagatis cucullis.* Inde ob vilitatem vestitus cuculla facta est vestis Monachorum. Apud Ægyptios Patres cuculla erat tantum indumentum capitis: sed a temporibus Benedicti Patris cuculla a capite demissa est ad humeros & ima corporis Capitulare Aquisgranense can. 21. *Vt mensura cucullæ duobus consistat cubitis.* Cucullam ad pectus pertinentem depingit. Cæsarius de Miraculis libro 3. capite 25. *Cucullam supra pectus suum palpavit, quam totam invenit madidam.* Tandem ita placuit vsus cucullæ, vt producta fuerit ad talos vsque, vti videtur hodie. Inde, vt opinor, orta est distinctio cucullæ a flocco: & cucullæ appellatione cœpit intelligi vestis Monachorum quæ corpus ambiebat: & flocci nomine pars cucullæ quæ caput tegebat, id est, capitium seu caputium, quod forte contexeretur e floccis, qui sunt capita lanei velleris: de quibus Cornel. Celsus libro 2. capite 6. *In veste floccos legit, fimbriasve diducit.* Et Terentius in Adelphis: *Aut enim stipulam aut floccum moverat aut summum digitum.* Et ita floccellum pro ea parte cucullæ, quæ caput obvelat, sumpsisse videtur Goffridus Vindocinensis libro 2. epi-

epistola 7. *Domnus Ernaldus, quem Decanum vestrum dicitis, si sibi secundum justitiam placuisset, teste flocello de capite suo, potius in nostra quam in vestra sorte manere debuisset.* Alii floccum a cuculla vestem diversam faciunt. Ingulphus in Chronic. Croyland. *Induit omni anno totum conventum cum secta sua de tunicis, omni altero anno de cucullis, & omni tertio anno de floccis.* Anonymus de gest. Episcoporum & Abbat. Turonens. in Abbate 19. *Et insuper ordinavit quod floccum cum cuculla portaremus, sicut modo deferimus.* Varia fuit acceptio flocci & cucullæ pro diversitate regionum: quo circa Clemens V. in Concilio Viennensi in ordinandis rebus monasticis, quo dubitandi circa hæc materia tolleretur, declaravit cucullam esse vestem Monachorum, longam & amplam, manicas non habentem; floccum vero vestem longas & amplas habentem manicas. Clementina *Ne in agro. §. Statuimus. de statu Monachor.* Præter floccum & cucullam pelliceis usi Benedictini, licet de his nihil traditum sit in regula; nimirum pro regula eis fuit exemplum Patris Benedicti, quem pellicea usum testatur Gregorius libro 2. Dialog. capite 7. Cistercienses pellicearum usum Cluniacensibus objiciebant, quibus respondet Petrus Cluniacensis libro 1. epistola 28. *Sed si nos pelliciis utendo, quoniam de eis regula reticet, prævaricamur, prævaricamini nobiscum & vos, qui simplici flocco & cuculla contenti esse non vultis, & ultra regulæ metas, quæ nihil de his loquitur, multiplices & quotquotlibet tunicas induitis, & eas absque aliqua discretione fertis.* Armanno Monacho griseam pelliceam se obtulisse testatur Goffridus Abbas Vindocinensis libro 1. epistola 12. ad Callixtum II. *Armanno Monacho Romæ pro ejus amore servivi, & cum apud Turonum nocte nudatus esset a furibus, non dimidiam vestem, ut beatus Martinus, sed grisiam pelliciam, atque varias pelles obtuli patri meo.*



CAPUT XVIII.

Monachi alii nudipedes, alii ſandaliis vſi. Evectio Monachorum in mulis & aſinis.

QUo cuncta congruant in Monachis, veſtem rudem & aſperam ſequitur nuditas pedum ſeu diſcalceatio. Veteres Monachi, alii nudis pedibus incedebant, & nudipedalia exercebant, vt ait Caſſianus collatione 24. cap. 10. *Certi etenim ſumus tam præſentis hujus habitus vilitatem, quam quotidiana hæc nudipedalia in illorum vicinia, nullatenus exercere nos poſſe.* Idem Ambroſius vel alius quiſquis auctor eſt, in 1. Cor. capite 12. *Simili modo & quidam fratrum cum ſint egeſtate & habitu inhoneſti, non tamen ſunt ſine gratia, propter quod membra ſint corporis noſtri: nam ſolent ſuccincti pede nudo veſticula tetrica incedere. Quamquam ergo videantur contemptibiles, magis honori ſunt, quia ſolent vitam habere mundiorem.* Nudos pedes & Apoſtolicis ſimiles Monachis ponit Gregorius Nazianzenus orat. 12. πόδες γυμνοὶ, ἐ τοῖς ἀποστολικοῖς ἑπόμενοι. *Nudi pedes, & Apoſtolicis ſimiles.* Epiphanius in ſynopſi fidei artic. 23. ἄλλοι δὲ οὐδὲ ὑποδιδύονται. *Alii nudis pedibus incedunt.* Alii caligis, id eſt, ſandaliis ſeu ſoleis, quibus ſola pedis planta defenditur, ſuperiore parte nuda & intecta, vtebantur, rejecto vſu calceorum, quaſi interdicto Apoſtolis & eorum ſectatoribus, id eſt, Monachis, & aliis perfectioris vitæ cultoribus.. Idem de inſtitutione Cœnobitarum libro 1. capite 10. *Calceamenta vero velut interdicta Evangelico præcepto recuſantes, cum infirmitas corporis, vel matutinus hiemis rigor, ſeu meridiani æſtus fervor exegerit, tantummodo caligis ſuos muniunt pedes*, &c. Et quidem vſum ſandaliorum in Monachis vtriuſque ſexus obſervo. Hinc Monaſtrias Alexandrinas ſandalarias vocat Iſidorus Peluſiota libro 1. epiſtola 87. μοναστρίαις Ἀλεξανδρίναις σανδαλαρίαις. Nec miremur nudipedes Monachos veræ Philoſophiæ ſectatores. Inter Philoſophos gentilium celebratur Proæreſius ſophiſta ἀνυπόδητος, *incalceatus.* Euna-

pio in ejus vita. Inter Judæos vnus e Prophetis Esaias discalceatus & nudus captivitatem populi prænunciavit, Esaiæ 20. Infirmitati multorum obsecundans Benedictus, vsum sandaliorum seu caligarum suis permisit. Regul. capite 55. *Indumenta pedum, pedules & caligas.* Exemplo Apostolorum sandaliis vsi Monachi: Apostolos enim sandaliis vsos indicat Matthæus capite 6. *Sed calceatos sandaliis.* Unde & Petro dixit angelus, Act. 12. *Calcea te caligas tuas.* Græci σανδάλια. Sylvanus Episcopus adeo simplicitatis amans fuit, vt sandaliis fœneis publice vteretur, ὑπὸ χορτίνων σανδαλίων. Socrat. lib. 7. capite 30. Nicephorus Callist. libro 14. capite 39. Veteres Monachi humilitatis per omnia cultores, pedes ibant, & iter ineuntes sumebant peram & baculum. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 1.° capite 8. *Ultimus est habitus eorum pellis caprina, quæ melotes vel pera appellatur, & baculus: quæ gestant ad imitationem eorum qui professionis hujus præfiguravere lineas in veteri Testamento.* Idemque collatione 11. capite 3. *Sumpto itaque baculo & pera, vt illis cunctis viam ingredientibus Monachis moris, ad civitatem nos suam, id est, panephysim, itineris dux ipse perduxit.* Benedictini ex quo affluxere opes, cœpere in mulis equitare. Petrus Cluniacensis Abbas libro 1. epistola 27. *Dum cum Domino Vizeliacensi Abbate armatis hostibus pro pace sociorum obvius occurrissem, primo impetu mula nostra ictu lanceæ confossa in partem cedere coacta est.* Et hoc est quod Cluniacensibus objicit Bernardus in Apolog. ad Willelmum Abbatem: *Putasne ibi cuiquam ducentorum solidorum mula parabatur ad equitandum?* Imo & numeroso equorum stipatu vti non erubuerunt, quod aliquatenus emendatum est. Robertus Montensis in Supplement. Sigebert. ad ann. 1180. *Walterius Cluniacensis Abbas Priorem de stallo deposuit, qui solebat ducere in comitatu suo quadraginta equos, & jussit vt esset contentus tribus equitibus.* Fratres Prædicatores & Minores pedibus ire eorum instituti est. Hinc Alcydis Abbatissa Vallis-Ducis insimulata quod Fratres Prædicatores & Minores mollius tractaret, apud Thomam Cantipratensem libro 2. capite 10. *Fratribus*, inquit, *pedes egredientibus, & in cœno lubricatis concedo vestes mundas & tunicas, vt nocte possint quiescere: Monachi autem nostri equites vadunt, & in man-*

ticis suis tunicas & vestes portant. De quodam Priore Prædicatorum narratur, quod jejuniis & laboribus attritus vix asino vehi sustinuerit. Idem Cantipratensis libro 2. capite 1. *Hic postmodum multis jejuniis & laboribus fatigatus, præ nimia debilitate eques ire compulsus est, sed tamen asino usus est pro vectura. Hic semel stans in provinciali Capitulo coram Diffinitoribus & Prioribus se accusaturus, audivit asinum suum hinnitu, ut solent, horrido vociferari, & dixit: Ecce, fratres, asinus meus accusat me, quod non solum dignus tenere Prioris officium, qui invalidus ire pedes, contra ordinem subvehor dorso ejus.*



CAPUT XIX.

Benedictini Monachi nigri: Cistercienses albati, tum grisei.

VETERUM Monachorum pellis nigra aut pulla seu fusca fuit, quia est habitus pœnitentium. Hunc colorem suorum vesti imposuit Benedictus, licet de colore vestium nihil exprimatur capite 55. ipsius regulæ. Benedictini ex veteri instituto magis quam ex regula nigrum colorem in vestibus assumpserunt in signum humilitatis & paupertatis: nigra enim vestis erat schema egentium. Gregorius Turonensis libro 1. Historiæ Francor. capite 17. *Et aspiciens eam in veste nigra, senio jam provectam, putavit esse unam de egentibus.* Cistercienses licet Benedicti regulam secuti sint, ejusque strictiorem observantiam professi sint, albam vestem distinctionis causa susceperunt: unde Benedictini nigrorum Monachorum, Cistercienses alborum nomine audiri cœpere. Ordericus Vitalis libro 8. ad ann. 1094. *In saltibus & campestribus passim construuntur cœnobia, novisque ritibus variisque schematibus trabeata peragrant orbem cucullatorum examina. Albedine in habitu suo præcipue utuntur, qua singulares ab aliis notabilesque videantur. Nigredo in plerisque locis sanctæ Scripturæ humilitatem designat, quem idcirco colorem religiosorum fervor hactenus gratanter gestat; nunc autem nigredinem, qua prisci*

Patres, tam regulares Clerici in cappis, quam Monachi in cucullis, ob humilitatis specimen usi sunt, moderni tanquam ob majoris justitiæ ostentationem abjiciunt: inusitata quoque pannorum sectione suorum ab aliis discrepare appetunt. Inde Benedictinos nigros Monachos passim appellitat Cæsarius Cisterciensis libro 4. capite 15. *Nobilis quidam monasterium in Francia expoliavit, erat autem de Ordine nigrorum.* Et capite 46. ejusdem libri: *Abbas quidam nigri Ordinis modo Monachus in Ordine nostro, narravit mihi*, &c. De his Romanum seu carmen eroticum quod vocant Rosæ:

Aynsi a celluy plus de peine,
Qu'aucun Hermite, ne blanc Moine.

Inde e varietate schematis orta est æmulatio inter Cluniacenses & Cistercienses: de qua Petrus Cluniacensis libro 1. epistola 28. ad Bernardum Abbatem Cluniacensem: *Et vos sancti, vos singulares, vos in universo orbe vere Monachi, aliis omnibus falsis & perditis, secundum nominis interpretationem, solos nos inter omnes constituitis: unde & habitum insolitum coloris prætenditis, & ad distinctionem cunctorum totius fere mundi Monachorum, inter nigros vos candidos ostentatis. Et certe hæc vestium nigredo antiquitus humilitatis causa a Patribus inventa, cum a vobis rejicitur, meliores vos ipsis candorem inusitatum præferendo judicatis.* Et Petrus Cellensis libro 8. epistola 9. *Forte dicitis: Quid ad te de Clarevallensibus, cum Samaritani non coutantur Judæis, & nigra Æthiopissæ facies & vestis differat ab illa veste & facie, quæ apparuit Apostolis in transfiguratione Domini?* Postea Cistercienses floccos griseos sumpsere: inde grisei Monachi dicti, & ex paritate vestium nata est discordia inter Cistercienses & Fratres Minores. Paulus Langius in Chronic. Citizens. *Anno Domini 1275. grisei Monachi, Cistercienses videlicet, in Concilio Ordinis generali Cisterciensi in Archisterio celebrato, statuerunt contra Minores Fratres, quod nusquam ad hospitia deberent suscipi vel admitti, nec in curiis vel grangiis eorum, & forsan ob decretum supradicti Gregorii Papæ,* (id est, decretum Gregorii IX. in Concilio Lugdunensi de Ordinibus Mendicantium ad duos redigendis) *vel parilitatem coloris: antiquitus enim & ipsi Cistercienses floccos gesserunt griseos, ut usque hodie in Monialibus eorumdem cernitur & observa-*

tur, quæ omnes cucullis vtuntur griseis. Secutis sæculis orti sunt varii Ordines variis vestibus distincti. Imo & aliquando ipsi Pontifices mutavere vestem religiosorum, vt Martinus IV. Pontifex Carmelitarum cappas, quæ erant stragulatæ & byrratæ, id est, variæ & villosæ, mutavit in albas. Thomas Walsingan in Eduardo I. ad ann. 1282. *Hic Martinus Papa cappas Fratrum Carmelitarum mutavit in album, quæ prius erant stragulatæ & birratæ.* Inde Carmelitas Bariatorum nomine intelligit Romanum seu eroticum carmen quod vocant Rosæ.

Les Cordeliers & les Barrez,
Tant soient-ils gros & quarrez.



CAPUT XX.

Ne Monachi vestem deponant: Monachi Episcopi facti vestem non mutant.

RELIGIOSI semper debent gestare religionis habitum, nec in scholis vel alibi eum dimittere licet, ne eis detur materia evagandi. Cap. *Ut periculosa ne Clerici vel Monachi* in 6. nec in lectulo etiam ob ægritudinem. Can. *Vidua* 20. quæstione 1. can. *Sanctimonialis* 23. distinct. Idem jussit regula Benedicti capite 22. *Ut fratres vestiti dormiant, vt parati & expediti sint ad surgendum dato signo ad opus Dei*, id est, ad nocturnas vigilias. Sic in cuculla cubabat Bernardus Abbas Clarevallensis, secundum regulam. Ipsius vita libro 2. capite 8. *Adhærebat carni ejus lanea tunica, & diebus & noctibus cuculla vestitus sic ibat, sic cubabat.* Ideo cum Monachi ob delictum e monasterio ejiciuntur, caputium, quod est capitis indumentum, eis abscinditur. Ordericus Vitalis libro 1. de Monacho Nicensi furace: *Sed postea more canis ad suum vomitum reversus est: vnde capitium illi Abbas Theodoricus abscidi fecit, eumque de cœnobio expelli.* Et Monachi etiam in morte non deponunt habitum, & cum eo sepeliuntur. Vita D. Gosuini libro 2. capite vltimo: *Lavatur itaque corpus exanime, deinde vestitur cuculla monachali, ornamentis desuper sa-*

cerdotalibus operitur. Adeo vestis monachalis semel suscepta dimitti non potest, Monachus etiam Episcopus factus vestem non mutat. Ex Concilio generali Constantinopolitano inito anno Christi 896. sub Adriano II. act. 10. canon. 27. & ex Concilio generali Lateranensi habito sub Innocentio III. Cap. pen. extra *de vit. & honest. Clericor.* Sic Basilius ex Monacho Episcopus factus vestem non mutavit. Gregorius Nazianzenus orat. 20. in ipsius funere: καὶ τοῦτο τρίχινον ἔσθημα. *Eique vestis aspera.* Idem colligimus ex epistola ipsius Basilii 79. ἡγούμην αὐτάρκη μαρτύρια εἶναι τῆς ταπεινοφροσύνης τὸ ταπεινὸν τοῦ ἐνδύματος, καὶ ἤρκει μοι πρὸς πληροφορίαν τὸ παχὺ ἱμάτιον, καὶ ἡ ζώνη, καὶ τῆς ἀδεψήτου βύρσης τὰ ὑποδήματα. *Satis indicii ad declarandam animi humilitatem esse putavi, si humili veste induerer, sufficereque mihi ad faciendam ejus rei fidem, crassum & rude pallium & zonam & e rudi corio calceamenta.* Gregorius ipse Nazianzenus ex Monacho factus Episcopus vestem non mutavit. Testatur ipse de se orat. 25. ἢ καὶ τῆς ἐσθῆτός μου τὸ τρίχινον αἰτιᾷ, καὶ τὸ σχῆμα τοῦτο τὸ ἀστεῖον οὐκ εὐφυῶς ἔχουσαν. *An mihi quoque vestis asperitatem objicis, vultusque situm haud satis elegantem?* Vestem non mutavit & Martinus ex Monacho Turonensis Episcopus, qua deceptis militibus qui fiscali rheda vehebantur, ab his male acceptus in via publica. Severus Sulpitius Dialog. 2. capite 4. de ejus virtutibus: *Interim per aggerem publicum plena militantibus viris fiscalis rheda veniebat: sed ubi Martinum in veste hispida, nigro pendulo pallio circumtectum, contigua de latere jumenta viderunt, paululum in partem alteram pavefacta hæserunt,* &c. Vestem non mutasse Martinum Episcopum factum, apertius testatur idem libro 1. de ejus vita: *Eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas erat: atque ita plenus auctoritatis & gratiæ implebat Episcopi dignitatem, ut non tamen propositum Monachi virtutemque desereret.* De Fulgentio Ruspensi Episcopo ex Monacho fertur in ejus vita Jan. 1. quod orario, sicut Episcopi, numquam utebatur, sed pelliceo cingulo, tanquam Monachus. Ansbertum ex Abbate Fontanellensi Rothomagensem Episcopum vestem non mutasse refert Jonas in vita sancti Wlfrani Mart. 20. Monachi debent uti veste viliori & nativi coloris lanæ. Beda in vita sancti Cuth-

berti capite 16. apud Surium 20. Martii: *Unde vsque hodie in eodem monasterio, exemplo ejus obseruatur, ne quis varii aut pretiosi coloris habeat indumentum: sed ea maxime vestium specie sint contenti, quam naturalis ovium lana ministrat.* Monachos qui pulcriorem colorem vestium affectabant, sugillat Bernardus in Apolog. ad Willelmum Abbatem: *Putasne ibi cuiquam galabrunum aut issembrunum quærebatur ad induendum?* Sanctimoniales tamen nigro vel purpureo pallio velari finit Concilium Toletanum X. can. 4. *Ut autem deinceps nihil devocetur in dubium, pallio purpureo vel nigri coloris caput contexat ab initio susceptæ religionis.* Monachis etiam non licet mutare vestem in aliam. Sanctimoniales Donatistarum, quod mitellas mutarent in alias, increpat Optatus Milevitanus lib. 6. *Jam illud quam stultum, quam vanum, quod ad voluntatem & quasi ad dignitatem vestram revocare voluistis, vt virgines Dei agerent pœnitentiam, vt jam dudum Professæ signa voluntatis capitibus postea vobis jubentibus immutarent, vt mittellas alias projicerent, alias acciperent.* Monachos Gallos e monasteriis pulsos hostili vi Normannorum, quod attritis vestibus vestem cæruleam seu blavam, quæ erat familiaris ea ætate, notat Joannes Monachus vitæ sancti Odonis libro 3. init. *Fracta tandem vestimenta, cum quibus de monasterio exierunt, denuo non induebantur similia, sed colorata, quæ nos vulgo dicimus blava.* Monachis etiam non licet vti orario, quod est proprium Clericorum: nec tzangis, quod est barbarici calceamenti genus. Synodus Aurelianensis I. can. 22. *Monacho vti orario in monasterio, vel tzangas habere non liceat.* Can. *Monacho* 27. quæstione 1. Monachi & Canonici regulares debent vti suo quisque habitu: & quod in cap. *Deus qui* extra *de vit. & honestat. Clericor.* præcipitur vt Monachi & Canonici regulares eodem habitu vtantur, pertinet ad Livoniam, quæ regio erat de novo ad fidem conversa, ne populi in fide recentes varietate vestium offenderentur. Laicis & scœnicis non licet vti schemate Monachi vel ascetriæ, vel imitari vel illudere. Novell. Justin. 123. capite vltim.



CAPUT

CAPUT XXI.

Monachi alii comati, alii rasi, alii tonsi in modum coronæ.

MONACHI veteres, alii erant comati, quod genus Monachorum erat ignobiiius, & existimatione hominum deterius. Epiphanius Hæres. 80. *ἀλλὰ καὶ ἄλλῳ τύπῳ προσειλήφθησαν οἱ αὐτοὶ τίμιοι ἡμῶν ἀδελφοὶ, οἱ κατὰ Μεσοποταμίαν ἐν μοναστηρίοις ὑπάρχοντες, εἴτουν μάνδραις καλουμέναις κόμαις γυναικῆς προσβαλλόμενοι, καὶ σάκκῳ προφανεῖ ἐπερειδόμενοι. Est & alia quædam vivendi forma, qua istiusmodi venerandi nostri fratres vtuntur, qui in Mesopotamia in monasteriis quæ mandras appellant, domicilium fixerunt, qui & comas muliebrem in modum promittunt, & cilicium propalam affectant.* Idem in Synops. fidei art. 23. *ἤρεσε δέ τισι καὶ κόμας ἔχειν τριχῶν. Nonnullis vero prolixior coma placuit.* Hieronymus ad Rusticum: *Videns nonnullos accinctis renibus, pulla tunica, barba prolixa, a mulieribus non posse discedere.* Augustinus de opere Monachorum capite 31. *Nam & hoc quo pertinet, quæso, tam aperte contra Apostoli præcepta comari, an ita vacandum est, vt nec tonsores operentur; an quia Evangelicas volucres imitari se dicunt, quasi depilari timent, ne volare non possint: vereor in hoc vitio plura dicere propter quosdam crinitos fratres, quorum præter hoc multa & pene omnia veneramur. Illi enim venalem circumferentes hypocrisim, timent ne vilior habeatur tonsa sanctitas quam comata, vt videlicet qui eos videt antiquos illos, quos legimus, cogitet Samuelem & cæteros qui non tondebantur.* Hinc pallio & promissa barba Monachum fieri negat. Isidorus Pelusiota lib. 1. epistola 220. *οὐκ ἔστιν ἀσκήσεως πληροφορία τρίβωνος καὶ ὑπήνης ἐπίδειξις. Religiosæ vitæ non est perfectio pallii ac promissæ barbæ ostentatio.* Alii erant attonsi, & id genus tonsuræ in Monachis probat Gregorius Nazianzenus orat. 12. *κουρὰ σύμμετρος, moderata tonsura.* Alii severiorem disciplinam profitentes erant tonsi & rasi ad cutem vsque, quod erat schema pœnitentium. Tales visi sunt Monachi in Occidente, vt in Italia, Africa & Gallia. Paulinus epistola 7. ad Severum: *Nos adeant & revisant conservuli & compallidi nostri, non ve-*

ſtibus pictis ſuperbi, ſed horrentibus ciliciis humiles, nec chlamyde curtalini, ſed ſagulis palliati, nec balthco, ſed reſte ſuccincti, nec improba attonſi capitis fronte criniti, ſed caſta informitate capillum ad cutem caſi, & inæqualiter ſemitonſi, & deſtituta fronte præraſi. In Africa vix ferebantur a plebe Monachi tonſi & raſi. Salvianus libro 8. *Intra Carthaginis muros palliatum & pallidum, & reſciſis comarum fluentium jubis, vſque ad cutem tonſum videre tam infelix ille populus quam infidelis, ſine convicio atque execratione non poterat.* In Gallia Monachi erant brevi coma & prolixa barba ſpectabiles, qui erat cultus Clericorum & pœnitentium. Sidonius libro 4. epiſtola 24. *Habitus viro, gradus, pudor, ſermo religioſus, tum coma brevis, barba prolixa: cum ſurgeremus clam percontor aſtantes, quòd genus vitæ de tribus arripuiſſet ordinibus, Monachum ageret, an Clericum Pœnitentemve.* Hilarius Arelatenſis in vita Honorati Abbatis Lirinenſis, & poſtea Arelatenſis Epiſcopi apud Surium 16. Januar. *Rediguntur ad breves capillos luxuriantes comæ, transfertur ad nitorem mentis veſtium ſplendor, cervicis lacteæ decus palliis rigentibus occupatur.* Quam vetus inſtitutum eſſet, Monachos videri tonſos & raſos, ex his ſatis intelliges, quod Monachum, dum initiatur, tonderi ſtatuit Dionyſius Areopagita Hierarch. Eccleſ. capite 6. τῷ σταυροειδεῖ τύπῳ σφραγισάμενος αὐτὸν ὁ ἱερεὺς ἀποκείρει. *Sacerdos ſigno crucis eum conſignatum tondet.* Et paulo poſt tonſuræ myſticam ſignificationem explicat: ἡ δὲ τῶν τριχῶν ἀπόκαρσις ἐμφαίνει τὴν καθαρὰν καὶ ἀσχημάτιστον ζωήν. *Tonſura capillorum ſignificat puram & exercitatam vitam.* Monachi vtriuſque ſexus vt caput tondeant in modum coronæ, jubet Concilium Nicænum ex Arabico can. 76. Julianum Parabutem capillo tonſo ad cutem Monachum ſimulaſſe ſcribit Socrates libro 3. capite 1. ἐν χρῷ τε κειράμενος τὸν τῶν μοναχῶν ὑπεκρίνετο βίον. In Ægypto & Oriente ſacras Virgines tonſas fuiſſe, & ob id cucullatas, teſtis eſt Hieronymus in Sabinianum: *Moris eſt in Ægypti & Syriæ monaſteriis, vt tam virgo quam vidua, quæ ſe Deo voverint, & ſæculo renunciantes, omnes delicias ſæculi conculcarint, crinem monaſteriorum matribus offerant deſecandum, non intecto poſtea contra Apoſtoli voluntatem inceſſuræ capite, ſed ligato pariter ac velato,* &c. De iiſdem Palladius Hiſtoriæ Lau-

ſiacæ capite 41. τῶν οὖν ἄλλων παρθένων τὸ σχῆμα ἦν κεκαρμένων ἐχουσῶν κουκούλλια ἐπὶ τῶν κεφαλῶν. *Virginum erat hujuſmodi habitus, vt eſſent tonſæ, & haberent cucullos in capite.* Et quod can. Gangrenſ. 17. ſancitum eſt, vt ſi qua mulier διὰ ἄσκησιν, religionis obtentu comam ſibi amputaverit, anathema ſit. Can. *Quæcumque* 30. diſtinct. pertinet tantum ad mulieres, quæ deceptæ ab Euchitis ſeu Meſſalianis hæreticis, ſecedebant a viris, & falſo religionis ſtudio comam ſibi detondebant. Monachi maxime ex quo in Clerum recepti ſunt, exemplo Clericorum caput detonſi ſunt in modum coronæ. Beda libro 5. capite 22. *Ita etiam oportet eos qui vel Monachi vitam, vel gradum Clericatus habentes, artioribus ſe neceſſe habent pro Domino continentiæ frænis aſtringere; formam quoque coronæ, quam ipſe in paſſione ſua ſpineam portavit in capite, ſuo quemque in capite per tonſuram præferre.* Et certe Monachi in hunc diem geſtant latiorem coronam, qualem olim ferebant Clerici. Matthæus Pariſienſis in Henrico III. ad annum 1234. *Inter quos Petrus de Rivallis primus in cauſam vocatus apparuit coram Rege inhabitu Clericali, cum tonſura & lata corona, anelacio* (hoc eſt, caſtelli genus) *tamen a lumbali dependente.* Monachi autem in veſte & tonſura laica probabantur, nec tonſuram aut veſtem mutabant ante Profeſſionem. Novell. Juſtin. 5. *De Monach.* capite 2. Et hoc eſt quod vetat Gregorius libro 8. epiſtola 23. Indictione 3. ne Monachi tonſurentur, priuſquam biennium in converſatione impleverint.



CAPUT XXII.

Monachorum mors in cinere & cilicio: eorumdem funus & ſepultura in Capitulo.

QUÆ fuit inter Monachos, dum vivunt & ſpirant, vitæ conjunctio & ſocietas, eadem permanet ad extrema uſque, nec ipſa morte diſſolvitur. Fratribus extremum ſpirantibus totus Conventus vocatur ſigno dato, tabula, id eſt, ſignum defunctorum pulſatur, & Collegium fratrum in cel-

dam infirmorum accurrit prælata cruce, & simul orat pro felici transitu agonizantis. Cæsarius de Miraculis libro 11. capite 6. *Nocte beati Stephani, quæ proxima est natali Domini, pulsata est tabula defunctorum pro eo, & surgentes festinanter advenerunt fratres orationibus munientes fratris exitum.* Et idem capite 8. ejusdem libri: *Dum in extremis ageret frater Hildebrandus, tabula pulsata Conventus accurrit.* Et idem capite 16. ejusdem libri: *Interim pulsata est tabula, & accurrit Conventus, cumque crux introferretur, columba nivea illam præcedens, ostium Infirmatorii Prior intravit.* Moriturus e strato deponitur in cinere & cilicio, id est, super cilicio conspersо cinere, & ibi moritur in modum pœnitentis. In cinere & cilicio mortuus Martinus Monachus & Episcopus, nec aliter Christianum mori congruere suis edixit. Severus Sulpitius ejus discipulus epistola ad Bassulam de obitu ipsius: *Itaque cum jam per aliquot dies vi febrium teneretur, non tamen a Dei opere cessavit, pernox etiam in orationibus & vigiliis, fatiscentes corporis artus servire spiritui cogebat nobili illi strato suo, in cinere & cilicio recubans; & cum a discipulis rogaretur, ut saltem vilia sibi sineret stramenta supponi, Non decet, inquit, filii, Christianum nisi in cilicio & cinere mori: ego si aliud vobis exemplum relinquo, ipse peccabo.* Hoc ritu Benedictini mori solebant in cinere & cilicio. Sic beatus Maurus stratus in cilicio ante altare beati Martini adstantibus discipulis Deo reddidit animam. Faustus in ejus vita apud Surium Januar. 14. *Ante altare beati Martini super cilicium stratus sui decubans, cum exitum suum vivificorum munisset perceptione Sacramentorum, adstantibus discipulis, migravit feliciter ad Dominum.* Petrus Cluniacensis de Miraculis libro 1. capite 4. de Gilberto Monacho: *Cumque sicut mos Christianorum est, & maxime Monachorum, in substrato cilicio & cinere a fratribus compositus jaceret, atque horam vocationis suæ expectaret, frater monasterii, ut ejus exitum orationibus commendarent, venerunt, & eum undique psallendo,* &c. Et idem capite 19. ejusdem libri: *Habetur autem in domo media locus unius corporis capax, ad hoc aptatus, ut fratres ibidem in cinere & cilicio compositi extremum Deo inde spiritum reddant.* De Matthæo olim Monacho Cluniacensi, postea Albanensi Episcopo, apud Cluniacum defuncto, idem

libro 2. capite 22. *Hoc vltimo verbo postquam cunctis sermonibus suis finem dedit, in lectum reclinatus, indeque post modicum ad cilicium cinere conspersum a fratribus translatus est. Sæpe autem eosdem fratres ante rogaverat, ne se casu aliquo nisi in cinere & cilicio Christiano more mori permitterent: timebat enim ne qualibet infirmitatis ejus compassione ducti hoc prætermitterent vel negligerent, in quo sicut & in aliis Martini sui exempla & verba sequi nitebatur, qui sicut omnibus notum est, discipulis moriens prædicabat, non debere Christianum nisi in cinere mori.* De Kerholdo Monacho Ekkeardus Junior de casibus monasterii sancti Galli capite 14. *Exutus vero alba & revestitus, clamoreque familiæ vsque cancellos Galli prosecutus, domum infirmorum per se nemine suffultus, multisque quid facere vellet mirantibus introiit: ibi ergo parumper residens, substerni sibi fœnum terra nuda rogabat, superque cilicium, in quo se quasi nihil mali passus reponens, fratres omnes vocari rogabat.* De Gosuino Abbate Aquicinctensi auctor ejus vitæ libro 2. capite 26. *Tertio igitur Nonas Octobris cum jam spes omnis de recuperatione sanitatis ejus defecisset, jamque cernerent imminere quod audierant ipsum toties prædixisse, pergentem ad Ecclesiam hinc inde supportaverunt, & dum vivificis muniretur Sacramentis, fratres secundum præceptum ipsius cilicium constraverunt in loco fratribus obeuntibus assignato.* Cæsarius de Miraculis libro 11. capite 9. *Moris autem tunc erat, vt aliquo super mattam posito, fratres sicut sine processione occurrerunt, ita sine ordine circa morientem starent, vbi cuique Prior occursus aut devotio locum dedit, laicis fratribus hinc inde circa Monachos stantibus.* Moris pariter Christianorum erat pro agonizantibus preces fieri in Ecclesia. Augustinus Homil. 37. *Videtis certe modo, si cujus vita præsentis sæculi periclitetur, quomodo amici ejus currunt pro ea, quomodo curritur ad Ecclesiam, rogatur Episcopus, vt intermittat, si quas habet actiones, currat, festinet? Quare pro anima omnes contremiscunt, omnibus cæteris rebus intermissis festinandum esse decernunt: omnis festinatio laudatur, omnis tardatio accusatur.* Ubi frater expirasset, scapulare ei tollebatur, cuculla induebatur, & in matta rursus componebatur. Cæsarius de Miraculis libro 11. capite 36. *Reversus infirmum reperit expirasse, non modicum ex hoc turbatus domum clausit, scapulare extraxit, & induit ei cucul-*

lam, ſicque in matta illum ponens, tabulam pulſavit. Goſuinum Aquicinctenſem Abbatem in cuculla ſepultum refert auctor ejus vitæ libro 2. capite vltimo : *Lavatur itaque corpus exanime, deinde veſtitur cuculla monachali, ornamentis deſuper ſacerdotalibus operitur.* Abbonem Abbatem Floriacenſem, qui a ruſticis apud Regulæ monaſterium in pago Aginnenſi, nefarie trucidatus, illotum & in ipſa veſte in qua occiſus erat, ſepultum, quod moris eſſet occiſos ita tumulari, tradit Aimoinus in ejus vita capite 20. *Matutino ſane tempore feriæ quartæ, cum ipſis quibus indutus erat veſtimentis, vti mos eſt ſepeliri interemptos, inlotus etiam lapideo tumulatus ſarcophago.* Monachis commune ſepulcrum in Capitulo. Matthæus Pariſ. in vitis Abbatum ſancti Albani, in Guarino 20. Abbatē, de ſepultura Adæ Cellerarii : *Statutum eſt ab Abbate Gwarino, & a toto Conventu, vt in die quo anniverſarium Adæ hujus Eccleſiæ Cellerarii, qui ob præclara ejus merita in Capitulo meruit obtinere ſepulturam, pronunciatum fuerit,* &c. Apud Cluniacenſes pro Monachis vtriuſque ſexus defunctis tricenarius miſſarum celebrari ſolebat. Petrus Cluniacenſis libro 2. capite 16. pro Ringarda Monacha Marciniacenſi matre ſua: *Orat ergo & per filium mater, & pro matre filius, vt tricenarius miſſarum ei per loca, vbi poſſibile fuerit, perſolvatur, & duodecim pauperes reficiantur.* Et Eloyſa apud eundem libro 6. epiſtola 21. *Mihi quoque quam hoc ancillæ nomine dignari ſublimis humilitas veſtra tam ſcripto quam verbo ſororem vocare non dedignata eſt, ſingulare quoddam velut amoris & ſinceritatis privilegium donaſtis tricenarium, ſcilicet quod mihi defunctæ Conventus Cluniacenſis perſolveret.* Mortui efferuntur cum hymnis ſive lacrymis. Chryſoſtomus in primam ad Timoth. Homil. 14. μεθ᾽ ὕμνων προπέμπουσι τοὺς ἀπελθόντας, προπομπὴν τὸ τοιοῦτον καλοῦσιν, οὐκ ἐκφοράν. *Cum hymnis proſequuntur abeuntes, eamque rem non elationem funeris, ſed pompam & præmiſſionem vocant.* Duo monaſteria, vnum virorum, alterum mulierum, conſtruxit Pachomius Abbas in Tabennenſi agro ad vtramque Nili ripam. Cum virgo obierit, a ſororibus deponitur ad ripam fluminis, & a Monachis effertur ad monaſterium virorum, & ibi ſepelitur μετὰ βαΐων κλάδων ἐλαιῶν, μετὰ ψαλμῳδίας, *cum ramis palmarum & pſalmodia.* Palladius Hiſtoriæ Lauſiacæ cap. 39.



ASCETICΩN

SIVE

ORIGINUM REI MONASTICÆ

LIBER SEXTUS.



CAPUT I.

Variæ regulæ monasteriorum. Regulam Benedicti fere secuta sunt omnia monasteria Occidentis. Regulæ frequens lectio in Capitulo.



ELINEATA vita communi Monachorum, quia ea cohærere & subsistere non valet absque disciplina & certis regulis, quibus disciplina fovetur, non secus ac respublica sine legibus, diu stare non potest: de disciplina regulari, ac primum de diversis regulis, quibus Monachi variis temporibus instituti sunt, hoc libro tractare conducit. Antonius vitæ cœnobiticæ parens & auctor suis regulam non tradidit,

ac magis opere & exemplo quam ſcriptis ſuis præfuit, & vitæ rationem, qua vſuri erant, inſtituit. Sed ejus vita quæ nobiliſſimum habet auctorem Athanaſium, pro regula fuit omnibus qui eum ſecuti ſunt, & eſt quaſi matrix & typus omnium regularum, quas ejus diſcipuli vel alii ſecutis ſæculis condiderunt. Et hoc eſt quod prophetico ſpiritu videtur dixiſſe Athanaſius in ejus vita: ἔστι γὰρ μοναχοῖς ἱκανὸς χαρακτὴρ πρὸς ἄσκησιν ὁ Ἀντωνίου βίος. *Eſt enim Monachis ſufficiens character ad aſceticam Antonii vita.* Poſt Antonium Macarius ſenior & Pachomius varia in Ægypto condidere monaſteria, & vterque regulam tradidit. Regulæ Macarii meminit Palladius Hiſtoriæ Lauſiacæ capite 17. regulæ Pachochomii, quam ferunt ipſi ab angelo traditam, deſcriptam in ærea tabula, & quam Tabennenſibus monaſteriis impoſuit. Idem capite 38. 39. Sozomenus libro 3. capite 13. Vita Pachomii capite 12. Baſilius ex Monacho Epiſcopus Cæſarienſis collectis ex eremo in vnum Monachis, per diverſa monaſteria leges & regulas monaſticas conſtituit, quæ extant inter ejus opera aſcetica. Et hoc eſt quod ait Gregorius Presbyter in vita Gregorii Nazianzeni, Baſilium & Nazianzenum exemplo Moſis ſecedentes in montem, leges monaſticas condidiſſe: quas tamen Euſtathio Sebaſtenſi Epiſcopo tribuit Sozomenus libro 3. capite 13. & Nicephorus Calliſtus libro 3. capite 29. Et hæc eſt regula quam Monachi Græci & alii Orientales in hunc diem coluere. Auguſtinus tres regulas conſcripſiſſe memoratur: primam Clericorum regularium, quæ fere continetur tribus ſermonibus, qui inter ejus opera extant de vita communi Clericorum: alteram Monachorum, de qua nihil certi eſt: tertiam Sanctimonialium, de qua nihil eſt quod dubitemus, cum eam conſignarit epiſtola 109. In occidui orbis partibus primus beatus Martinus Mediolani poſuit monaſterium: inde ab Auxentio Ariano Epiſcopo depulſus tranſiit in Galliam, quo invitatus ab Hilario Pictavienſi Epiſcopo, prope Pictavum extruxit monaſterium. Inde Turonenſis Epiſcopus factus, ſuum apud Turones monaſterium excitavit, fratres ibi collegit octoginta numero, quibus regulam dedit, quam proſa deſcripſit Severus Sulpitius libro 1. de ejus vita, & metro Paulinus libro 1.

de

de ejusdem vita. Inde quæ in Italia, Gallia & aliis Occidentis partibus surrexere monasteria, regulam Patrum Ægyptiorum & Orientalium avide & certatim suscepere. Joannes Cassianus discipulus Joannis Chrysostomi, in Galliam profugus, apud Massiliam duo monasteria condidit, vnum virorum, alterum mulierum, quibus regulam juxta instituta Patrum Ægyptiorum & Orientalium, adhibito temperamento, quod cæli & soli varietati conveniebat, quæ continetur libris decem & duobus, quos edidit de institutis Cœnobitarum: de quo Honorius Augustodunensis de illustribus Ecclef. Scriptor. capite 430. Et ipse Cassianus in præfatione operis, quod dicavit Castori Aprensi Episcopo, satis significat voluisse Castorem, cœnobium quod ab eo primum extructum erat in provincia Narbonensi, regulis Patrum Ægyptiorum & Orientalium institui. *In provincia siquidem*, inquit, *tua cœnobiorum experte, Orientalium maximeque Ægyptiorum volens instituta fundari, poscis præcipisque vt instituta monasteriorum, quæ per Ægyptum ac Palæstinam custodiri conspeximus, ita vt ibi nobis a Patribus tradita sunt, quamvis imperito digeram stylo.* Et infra: *In eo quoque præceptis tuis satisfacere studebo, vt si quid forte non secundum typum majorum antiquissima constitutione fundatum, sed pro arbitrio vniuscujusque instituentis monasterium, vel diminutum, vel additum in istis regionibus comprobavero, secundum eam quam vidimus monasteriorum regulam per Ægyptum vel Palæstinam antiquitus fundatorum, fideli sermone vel adjiciam, vel recidam: nequaquam credens rationabilius quidpiam vel perfectius, constitutionem novellam in occiduis Galliarum partibus reperire potuisse, quam illa sunt instituta, in quibus ab exordio prædicationis apostolicæ a sanctis ac spiritualibus Patribus fundata monasteria ad nos vsque perdurant.* Monachis regulam posuit & Innocentius I. Pontifex: de quo Anastasius in ejus vita: *Hic constitutum fecit de omni Ecclesia & de regulis monasteriorum.* Regulas Ægyptiorum Patrum primi in Gallia arripuere Lirinenses. Sidonius libro 8. epistola 14. ad Principium: *Satis in illo quondam cœnobio Lirinensi spectabile caput, Luporum concellita Maximorumque, & parsimoniæ saltibus consequi affectans Memphiticos & Palæstinos Archimandritas.* In tantum nostris placuit vita Ægyptiorum Pa-

trum, vt legatur de Hospitio Recluso Nicensi, quod solo pane vesceretur & dactylis nonnullis, & per Quadragesimæ dies sustentaretur radicibus herbarum Ægyptiarum, quarum copia ei fiebat a negotiatoribus transmarinis. Gregorius Turonensis libro 6. *Fuit autem apud vrbem Nicensem eo tempore Hospitius Reclusus magnæ abstinentiæ, qui constrictus catenis ad purum corpus ferreis, induto desuper cilicio, nihil aliud quam purum panem sumpsit cum paucis dactylis: in diebus autem Quadragesimæ de radicibus herbarum Ægyptiarum, quibus Eremitæ vtuntur, exhibentibus sibi negotiatoribus, alebatur.* Quod scribit etiam Paulus Diaconus de gest. Longobard. libro 3. capite 1. Aimoinus libro 3. capite 39. Regulam Monachorum ex traditione Patrum composuit & Vigilius Diaconus: de qua Gennadius de Scriptor. Eccles. capite 51. Monasterium Reomaense, quod est in diœcesi Lingonensi, instituit sub regula Macarii Joannes primus Abbas & fundator, auctore Jona in ejus vita libro 1. capite 7. Agaunense monasterium apud Allobroges, vulgo sancti Mauricii, aut *Chablais sur le Rhosne*, varie institutum sub regulis Pachomii, Basilii, Cassiani & Lirinensium. Auctor vitæ beati Eugendi Agaunensis Abbatis apud Surium 1. Januar. *Sic namque quod non omnino illa quæ quondam sanctus ac præcipuus Basilius Cappadociæ vrbis Antistes, vel ea quæ sanctorum Lyrinensium Patrum sanctus quoque Pachomius Syrorum priscus Abbas, siue illa quæ recentior venerabilis edidit Cassianus, fastidiosa præsumptione calcemus: sed ea quotidie lectitantes, ista pro qualitate loci & instantia laboris inuicta potius quam Orientalium perficere affectemus, quia procul dubio efficacius hæc faciliusque natura vel infirmitas exequitur Gallicana.* Monasterium Albigense, in quo Salvius postea Albigensis Episcopus diutius versatus est, sub regulis Patrum institutum: de quo Gregorius Turonensis libro 7. capite 1. *Relicta sæculari militia monasterium expetivit, in quo monasterio diu sub regula a Patribus instituta versatus est.* Cœnobium in Lemovicibus fundavit & instituit Aredius Abbas, vulgo *S. Yrier*, sub variis regulis Basilii, Cassiani & aliorum Patrum. Idem Turonensis libro 10. capite 28. *Aredius Abbas ex familia propria tonsuratos instituit Monachos, cœnobiumque fundavit, in quo non modo Cassiani, verum etiam Ba-*

filii & reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, celebrantur regulæ. Monasteriorum non vna regula fuit, & singulorum ferme monasteriorum propriæ fuere leges & statuta, prout ferebat genius cæli & soli. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 2. capite 2. vbi de ritu psallendi: *Multos namque comperimus per alias regiones, pro mentis suæ capacitate habentes quidem, vt ait Apostolus, zelum Dei, sed non secundum scientiam super hac re diversos typos & regulas sibimet constituisse: atque in hunc modum diversis in locis diversum canonem agnovimus institutum, totque propemodum typos ac regulas vidimus vsurpatas, quot etiam monasteria cellasque conspeximus.* Idemque capite 3. ejusdem libri: *Ideoque diversitates typorum ac regularum per cæteras provincias cernimus vsurpatas, quod plerumque seniorum institutionis expertes, monasteriis præesse audemus, & Abbates nos antequam discipulos professi, quod libitum fuerit statuimus, promptiores nostrorum inventorum exigere custodiam, quam examinatam majorum servare doctrinam.* Alia fuit regula Lirinensium, alia Grinincensium: vtriusque vsum commendat Sidonius libro 7. epistola 17. ad Volusianum, qua eum hortatur vt discipulos sancti Abrahami Abbatis sancti Cyrici in suburbano Arvernæ civitatis monasterio, morte ejus solatio destitutos instituat regulis Lirinensium & Grinincensium: *Ad vicem quæso tu quoque quibus emines institutis, discipulos ejus aggredere solari, fluctuantemque regulam fratrum destitutorum, secundum statuta Lirinensium Patrum vel Grinincensium festinus informa.* Non vna est via, plures sunt viæ quibus pervenitur ad Deum, multas vias muniit Deus, vt earum varietate facilior pateret ingressus. Et hoc est quod ait Chrysostomus in psalm. 127. in illum versiculum: *Qui ambulant in viis ejus.* Hac ratione placuit diversarum regularum institutum, vt quisque eam eligeret, quæ magis conveniret viribus corporis & animi, vel cæli solique varietati. Cæsarius ex Monacho Lirinensi Arelatensis Episcopus, Cæsariam sororem Massiliensi monasterio tradidit monasticis institutis excolendam, eamque postea Arelatensi asceterio virginum a se constructo imposuit, & regulam conscripsit, auctore Cypriano in vita ejus apud Surium August. 27. Sub Cæsarii regula ab Episcopis Galliæ positum

est monasterium Pictavense B. Radegundis. Gregorius libro 9. capite 40. ex epistola Episcoporum ad beatam Radegundem: *Specialiter diffinivimus, si qua de locis sacerdotaliter nostræ gubernationi Domino providente commissis in Pictavensi civitate, vestro monasterio meruerit sociari secundum beatæ memoriæ Domini Cæsarii Arelatensis Episcopi constituta, nulli sit vlterius discedendi licentia.* Fortunatus libro 8. epistola 1. ad ipsam Radegundem:

Regula Cæsarii lineâ nota tibi est

Et infra:

Concipiente fidem Christi Radegundis amore
Cæsarii lambit regula quidquid habet.

Et idem libro 5. epistola 1. ad Martinum Galliciensem Episcopum:

Atque adscita sibi servetur in vrbe Genesi
Regula Cæsarii Præsulis alma pii,
Qui fuit Antistes Arelas de sorte Lirini
Et mansit Monachus pontificale decus.

Post tot sanctissimos Patres Benedictus omnium maximus in occiduo orbe religionis propagator, congregatis fratribus in Sublacensi, tum in Cassinensi monasterio, regulam scripsit, quam laudavit & probavit Gregorius Dialogorum lib. 2. capite 36. *Benedictus scripsit Monachorum regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam.* Eandem laudarunt & probarunt Bonifacius IV. Alexander II. & alii Pontifices. Can. *Juxta.* can. *Sunt nonnulli* 16. quæstione 1. Regulam Benedicti in Galliam devexit Maurus, vnus e nobilioribus ejus discipulis, & in pago Andegavensi Glanafolium monasterium construxit. Aimoinus libro 2. capp. 22. & 25. Adrevald. Florus de Miraculis sancti Benedicti libro 1. capp. 6. 7. & 8. Leo Ostiensis in Chronic. Cassinensis libro 1. capite 1. Ab eo tempore omnia fere monasteria Galliæ regulam Benedicti certatim arripuerunt, & sub ea feliciter militarunt. Concilium Cabillonense II. habitum anno Christi 813. sub Karolo Magno, can. 22. *De Abbatibus vero & Monachis idcirco hic pauca scribimus, quia pene omnia monasteria regularia in his regionibus constituta secundum regulam sancti Benedicti se vivere fatentur: quæ beati Benedicti documenta per omnia demonstrant,*

qualiter eis vivendum sit. Et Capitulare Caroli Magni, quod a Jacobo Sirmondo editum est tom. 2. Concil. Galliæ capite 12. de his quæ inquirenda proponebat: *De conversatione Monachorum, & vtrum aliqui Monachi esse possint præter eos qui regulam sancti Benedicti observant: inquirendum etiam si in Gallia Monachi fuissent, priusquam traditio regulæ sancti Benedicti in has parochias pervenisset.* Et Odilo Abbas in vita sancti Maioli Abbatis Cluniacensis: *Processu vero temporis post transitum videlicet supradicti pijssimi Patris, per beatum Maurum ejus discipulum omnis pene Gallia ejus institutionis & religionis suscepit exordium, deinde per eum & eos quos ipse ad justitiam condiit, per plurima temporum spatia eadem religio ad cumulum perfectionis excrevit.* Jam a tempore ipsius Mauri monasterium sancti Medardi Suessionensis, a Clothario I. fundatum sub regula sancti Benedicti ex Bulla Joannis III. quæ extat apud Chopinum 1. Monastic. tit. 2. numero 19. Nonnulla tamen antiquiora suam regulam tenacius retinuerunt, & tabulis exemptionis monasterii Corbiensis a Bertefrido Episcopo Ambianensi, quæ habentur tom. 1. Concil. Galliæ, permissum vt ipsi Monachi sub regula sancti Benedicti vel sancti Columbani conversari & vivere debeant. Et Altumvillare monasterium a Berchario Abbate conditum sub regula Patrum Benedicti & Columbani, ex Flodoardo Historiæ Remensis libro 2. capite 7. Idem institutum in monasterio Floriacensi, ex testamento Leodebodi Abbatis primi & fundatoris, quod præfixit Helpaldus vitæ Roberti Regis. Columbanus ex Hybernia venit in Galliam, cœnobium Luxoviense in Burgundia ædificavit, & regulam scripsit, quæ recepta est in quampluribus monasteriis, vt Jonense cœnobium fundavit Ado frater beati Audoeni sub regula sancti Columbani. Aimoinus libro 5. capite 41. Multa monasteria extructa in Gallia sub regula sancti Columbani testatur Jonas Abbas in vita sancti Eustachii Abbatis Luxoviensis apud Surium 29. Martii. Gemeticense monasterium in Normania fundavit B. Philibertus, & ex regulis Macarii, Basilii, Benedicti & Columbani propriam concinnavit, quam suis tradidit, vt legitur in ejus vita apud Surium 20. August. Resbacense monasterium sub regula sancti Colum-

bani construxit Audoenus, postea Rothomagensis Archiepiscopus, ex ejus vita apud Surium 24. August. In Concilio Matisconensi I. probata est ab Episcopis regula Columbani, damnato quodam Agrestino desertore monasterii Luxoviensis, qui eam palam insectabatur. Nonnulla tamen monasteria Galliæ jam a Carolo Magno non fuisse in viridi observantia regulæ Benedicti, negandum non est. Ideo in Concilio Remensi II. anno Christi 813. habito, lecta est Episcoporum jussu regula Benedicti, vt ejus memoria recoleretur ab Abbatibus qui aderant, vt patet ex can. 9. Concilii: *Lecta est regula sancti Benedicti, vt ad memoriam reduceretur Abbatibus minus scientibus, si qui forte adfuerint, qualiter & se & suos secundum eandem regulam custodire valerent atque gubernare.* Et de restituenda regula Benedicti editus est can. 25. Synodi Turonensis III. eodem anno habitæ: *Monasteria Monachorum, in quibus olim regula beati Benedicti Patris conservabatur: sed nunc forte qualicumque negligentia subrepente remissius ac dissolutius custoditur, vel certe penitus abolita negligitur: bonum videtur, vt ad pristinum revertantur statum*, &c. Carolus ipse paulo ante obitum jam collabentem disciplinam regularem, & Benedicti regulam restituere sategit, & ob id e cœnobio Cassinensi districtiores Monachos evocavit: sed morte præventus, rem implendam reliquit Ludovico Pio, qui paternæ pietatis heres, & consiliorum patris tenacissimus executor, visitatores generales per omnia monasteria Galliæ instituit pro reformatione Ordinis sancti Benedicti, & eadem de causa Concilium Aquisgranense indixit anno Christi 817. vt legitur in ejus vita, & apud Aimoinum libro 5. capite 10. & apud Leonem Ostiensem Chronic. Cassinens. libro 1. capite 14. & 18. Unde & Patres Concilii Ticinensis habiti anno 855. gratulantur Ludovico Pio, & reformationem Ordinis ei patrique acceptam referunt: *De monasteriis autem virorum seu feminarum, quæ secundum regulam sancti Benedicti, vel secundum canonicam auctoritatem disposita esse debent, quia inspiratio omnipotentis Dei, credimus, cor vestri moderaminis incitavit, ipsi gratias referimus: nam quod jam maxima ex parte ordinem suum amiserint, omnibus est manifestum. quæ vt ad pristinum statum redu-*

cantur, in Domini Dei genitoris vestri ac vestra gloriosa dispositione consistit. Cisterçienses mutata veste regulam Benedicti retinuerunt, eamque jam fere collapsam restituerunt. Sigebertus ad annum 1107. *Abbas Cistercii & fratres ejus non immemores sponsionis suæ, regulam beati Benedicti in loco illo ordinatam vnanimiter statuerunt tenere, rejicientes a se quicquid regulæ refragabatur, fericos videlicet & pelliceas, estamina, caputia quoque & femoralia, pectinia & coopertoria stramina lectorum, ac diversa ciborum in refectorio fercula, sagimen etiam, & cætera omnia quæ puritati regulæ adversabantur: sicque rectitudinem regulæ supra cunctum vitæ suæ tenorem ducentes, tam in Ecclesiasticis quam in cæteris observationibus regulæ vestigiis sunt adæquati seu confirmati.* Proprium statutum addidit Stephanus Abbas Cisterciensis, quod Chartam caritatis vocavit, & a Sede Apostolica confirmari curavit. Sigebertus loco mox laudato: *Unde & scriptum illud Chartam caritatis competenter voluit nominari, quod ea tantum quæ sunt caritatis, tota ejus series redoleat, itaut pene nil aliud vbique sui prosequi videatur, quod nemini quicquam debeatis, nisi invicem diligatis: quæ quidem charta sicut ab eodem Patre digesta, & a præfatis viginti Abbatibus confirmata, sigilli quoque apostolici auctoritate munita est,* &c. Inde secutæ sunt aliæ regulæ, de quibus dicere supersedeo, cum omnibus notæ sint. Hoc vnum addo, quod disciplinæ valde profuit, nimirum moris fuisse, vt regula in Congregatione fratrum seu Capitulo frequentius legeretur, ne ignorata præteriretur. Regula Benedicti capite 66. *Hanc autem regulam volumus sæpius in Congregatione legi, ne quis fratrum se de ignorantia excuset.* Inde Concilium Aquisgranense anno Christi 817. canon. 69. *Ut ad Capitulum primitus Martyrologium legatur, deinde regula aut homilia quælibet legatur.* Sanctimonialibus Dunensis monasterii epistolam quæ est vice regulæ, quaque hebdomada in Conventu legi præcepit Ivo Carnotensis, quæ est epistola 10. *Volo autem & præcipio in summa obedientia, vt omni hebdomada semel in Conventu vestro legatur hæc epistola, quatinus ea quæ inhonesta sunt, sollicite cavere discatis.* Tabulas fœderis icti cum Roma iterum quoque die legi faciebat Philippus Rex Macedonum, ne in vllo perversæ fidei teneretur. Livius libro 44. *Philippus institu-*

rum vsque ad vltimum vitæ diem servabat, quotidie eis in die fœderis icti cum Romanis perlegendi.

CAPUT II.

Primis sæculis Monachi erant in potestate Episcopi. Abbatis jurisdictio in Monachos.

POTISSIMUM disciplinæ regularis vinculum est, jurisdictio & potestas Superioris, sive sit Episcopus, sive Abbas aut Præpositus. Idcirco quæ sit Episcopi aut Abbatis vel Præpositi jurisdictio & potestas in Monachos, primum exponere necesse est. Olim Monachi omnes erant in potestate Episcoporum. Concilium Chalcedonense can. 4. Can. *Qui vere* 16. quæst. 1. Concilium Aurelianense I. can. 11. & 19. can. *Abbates* 18. quæst. 2. can. *Omnes basilicæ* 16. quæst. 7. Non abs jure, quia Episcopi sunt Patres spirituales Monachorum. Cyrillus Alexandrinus epistola 1. ad Monachos Ægyptios: *ὑμᾶς δὲ πατέρας πνευματικοὺς ὄντας, καὶ λόγοις ὑμᾶς ἐναλείφοντας τοῖς εἰς ἀγαθὴν εὐτολμίαν. Nos autem Patres spiritales, qui doctrinis quæ ad animi cultus viresque comparandas haud parum faciunt, vos imbuimus.* Sed ex quo electio Abbatum pervenit ad Monachos, deficere cœpit potestas Episcopalis in Monachos, ac primum cum valde labefactari contigit, commento divisionis jurisdictionis Episcopalis in legem diœcesanam & legem jurisdictionis. Hac enim semel excogitata, monasteria quidem manserunt in potestate Episcopi, quoad ea quæ essent jurisdictionis, nisi specialiter essent exempta. Can. *De persona* 11. quæst. 1. can. *Monasteria* 18. quæstione 2. Cap. *Cum venerabilis. de religios. domibus.* cap. *Dilectus. de offic. ordinar.* Novell. Justinian. 123. Verum monasteria soluta sunt a lege diœcesana in multis, puta a jure processionis publicæ & popularis conventus, vt consulatur quieti Monachorum. Concilium Ilerdense can. 3. Can. *Si ex laicis* 10. quæst. 1. a præstatione Cathedratici. Can. *Inter cætera* 10. quæst. 3. vel quotæ oblationum, quæ a fidelibus eroga-

erogabantur, vt egestas Monachorum sublevaretur. Can. *Cum pro vtilitate* 16. quæst. 1. Sed paulo post fere in totum concidit jurisdictio Episcopalis in Monachos, Pontificiis exemptionibus, quæ valde increbuerunt a Gregorio I. Ab eo tempore Abbatum jurisdictio excrevit, ruina Episcopalis, & Abbas habuit plenam jurisdictionem in Monachos, in his quæ contra regulam intra claustrum admittebantur, salva Episcopo jurisdictione in his tantum quæ extra regulam, vel, vt pessime interpretantur, extra claustrum perpetrarentur. Can. *Hoc tantum* 18. quæst. 1. Quæ distinctio inspecto vsu placuit Patribus Concilii Tridentini sess. 25. *De regular.* capite 14. Dum viguit jurisdictio Episcopalis in Monachos, judicii Episcopalis erat cognitio graviorum delictorum tantum, non leviorum, *ἀνάκρισις τῶν ψυχικῶν σφαλμάτων*, *delictorum mortalium examinatio.* Concilium Constantinopol. I. can. 1. apud Balsamon. Correctio leviorum delictorum semper fuit in potestate Abbatis, alioquin lusoria & inanis foret potestas & præfectura Abbatis. Hujus vsus insigne argumentum est, quod tradit Palladius Historiæ Lausiacæ capite 6. in Ecclesia Nitriensium tres fuisse palmas, e quarum singulis pendebat flagellum vnum *εἰς ἐπιστροφήν*, id est, ad conversionem Monachorum delinquentium: secundum in pœnam latronum: tertium in correctionem peregrinorum. Et quod ait Isidorus Pelusiota libro 1. epistola 149. Episcopi officium esse *ἐπισκοπεῖν τὰς τῶν μοναχῶν ὀλιγωρίας*, *speculari Monachorum negligentias*; non adimit Abbati propriam jurisdictionem in coercitione Monachorum: sed ei tribuit tantum observationem, magis vt moneat, quam vt puniat delinquentes. Correctio Monachorum pertinet ad Abbatem vel Priorem claustralem. Cap. *Reprehensibilis. de appellat.* capite 2. *De sentent. excomm.* cap. *Si religiosus. de elect.* in 6. Non ad Abbatem commendatarium, qui habet nudam administrationem & emolumentum fructuum, nisi sit Cardinalis. Chopin. Monast. libro 1. tit. 2. Auctor Historiæ Pontificiæ jurisdict. libro 4. tit. 7. num. 9.



CAPUT III.

Variæ pœnæ regulares, abstentio a communione mensæ & orationis, jejunium, μετάνοια, prostratio, regradatio, excommunicatio, coercitio virgarum & alaparum, custodi.

DISCIPLINA monasterii est in potestate Abbatis vel Præpositi: vterque habet correctionem Monachorum delinquentium, & ab eo pœnæ regulares varie infliguntur pro modo delicti, quarum seriem hoc loco describere convenit, quo jurisdictionis regularis typus perfectior delineatur. Pro levioribus delictis regularis pœna fuit, abstentio a participatione mensæ communis: pro gravioribus noxis suspensio a societate orationis & psalmodiæ. Basilius sermon. de institutione Monachorum: *Τὰ δὲ ἐπιτίμια ἐπὶ πλημμελείᾳ τινὶ καταγνωσθέντος πρὸς μέτρον τοῦ ἁμαρτήματος ἔστω, καὶ τὸ κωλυθῆναι συστῆναι εἰς ψαλμῳδίαν, καὶ τὸ μὴ παραδεχθῆναι εἰς εὐχῆς κοινωνίαν, καὶ τὸ ἀπόβλητον γενέσθαι εἰς τὴν τῆς τροφῆς μετουσίαν. Iis autem qui in culpa aliqua deprehensi fuerint, ad magnitudinem delicti pœnæ etiam modus accommodatur: videlicet ut vel in communi cum ceteris psalmorum decantationi interesse prohibeantur, vel ad orationis communionem neutiquam admittantur, itemque a cibi communicatione arceantur.* Joannes Climacus scal. 4. *εἰ δὲ σκληρυνόμενοι ἐσκληρύνοντο, ἢ μὴ μεταλαμβάνειν τροφῆς ἄχρι τῆς διαλλαγῆς ἐπετιμῶντο. Quod si duriores medicinam non admitterent, neque reconciliari se paterentur, a mensa tantisper arcebantur.* Regula Benedicti capite 24. *Si quis tamen frater in levioribus culpis invenitur, a mensa participatione privetur, &c.* Et capite 25. *Is autem frater qui gravioris culpæ noxa tenetur, suspendatur a mensa simul & ab oratorio, nullus ei fratrum in ullo jungatur consortio, neque in colloquio.* Ait ab oratorio, id est, a societate orationis & psalmodiæ quæ fiebat in oratorio. Oratorium est Ecclesia monasterii. Gregorius libro 9. Indictione 4. epistola 38. Græcis *εὐκτήριον*. Palladius Histo-

riæ Lausiacæ capite 27. Regulæ Benedicti concordat canon 134. Concilii Aquisgranensis habiti anno Christi 816. *Si vero nec sic se correxerit, separetur a mensa, & a societate fratrum in choro psallentium removeatur*, &c. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 2. capite 15. *Quam culpam, nisi in unum conjunctis fratribus congregatis, publica diluerint pœnitentia, orationi fratrum nullus eorum interesse permittitur.* Et cap. sequent. ejusdem libri: *Sane si quis pro admisso quolibet delicto fuerit ab oratione suspensus, nullus cum eo prorsus orandi habet licentiam, antequam submissa in terram pœnitentia, reconciliatio ejus & amissi venia coram fratribus cunctis publice fuerit ab Abbate concessa.* Idemque libro 4. capite 20. *In septimana cujusdam fratris, cum præteriens œconomus tria lenticulæ grana vidisset jacere in terra, quæ hebdomadario festinanti, dum ea præparat coctioni, cum aqua qua diluebantur, elapsa sunt: confestim super hoc Abbatem consuluit, a quo velut interversor neglectorque sacri peculii judicatus, ab oratione suspensus: cujus negligentiæ reatus non aliter ei remissus est, nisi eum publica pœnitentia diluisset.* Privationi a communione precum additur abstentio a sacra communione. Dorotheus doctrin. 9. καὶ καλεῖ τὸν ἀδελφὸν τὸν ἔχοντα ὑπονοίας ἔχοντα, καὶ ἐπιτιμᾷ αὐτὸν, καὶ ἀφορίζει αὐτὸν ἀπὸ τῆς ἁγίας κοινωνίας. *Vocatoque fratre altero qui suspicionibus suis agebatur, illum acriter increpavit, & communione prohibuit.* Inter regulares pœnas etiam censetur per biduum vel triduum impositum jejunium. Rufinus de vit. Patrum libro 2. capite 29. *Cum autem iterum ac frequenter accusarent eum, & secundum regulam monasticam biduana ac triduana jejunia ei indicerentur, ille omnia patienter tolerabat.* Unum e fratribus ab Abbate liberatum a fornicationis spiritu indicto jejunio & ægrorum cura, ex Evagrio narrat Dorotheus doctrin. 14. ἀσθενέσι μετὰ νηστείας ὑπηρετοῦσαι προστάξας. *Ægris cum jejunio ministrare jubens.* Inter pœnas regulares est μετανοία, *prostratio humi* seu genuflexio. Joannes Moschus in Limonar. capite 105. κατὰ βαθμὸν ἔβαλλον τῷ Θεῷ μετανοίας ἑκατόν. Et infra: καὶ μετὰ τὸ πληρῶσαί με τὰς κατὰ βαθμὸν μετανοίας. *Per singulos gradus centies flectebam genua, & procidebam Deo, cumque implessem inclinationes corporis per singulos gradus.* Et idem capite 184. ἔρχου, καὶ βάλε τριάκοντα μετανοίας, καὶ τάξω σοι ἐν

κιεράπον. Veni huc, & triginta genuflexiones pro me facito, & dabo tibi vnum argenteum. Dorotheus doctrin. 9. καὶ λέγει δέκα ψήματα ψεῦδη, ἵνα μὴ βάλλη μίαν μετάνοιαν. *Et decem mendacia profert, ne vnicam prostrationem deferat.* Joannes Climacus scal. 4. εἰ δὲ καὶ οὐκ ᾔσθετο ἴσως, βαλὼν λοιπὸν μετάνοιαν ὁ ὑπομνήσας ἀνεχώρει. *Quod si non sentiret, tum monitor prostrato ante illum in pœnitentis modum corpore recedebat.* Idem infra eodem tit. καὶ εἴ πού τις τῶν ἐν αὐτοῖς ἀμφιβολίας πρὸς τὸν πλησίον ἤρξατο, παρεὼν ἕτερος, καὶ μετάνοιαν πεποιηκὼς, τὴν ὀργὴν διεσκέδαζεν. *Si quis cum altero jurgari cœpisset, alius qui forte transibat, in pœnitentis modum prostratus iram dissolvit.* Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 4. capite 16. *Si quis vas fictile fregerit, aut ad congregationem tardius occurrerit, vel aliud simile commiserit delictum, publica diluet pœnitentia, cunctisque in synaxi fratribus congregatis, tamdiu prostratus humi veniam postulabit, donec solemnia orationis consummentur.* Inter easdem pœnas censetur regradatio & rejectio in infimum locum. Macedonium vnum e fratribus, & Archidiaconum, id est, primum inter Diaconos monasterii, quod paulo serius foris rediisset ad monasterium, officio depositum, & in ordinem tyronum rejectum, narrat Joannes Climacus scal. 4. ἀφορίζει ὁ ποιμὴν τῆς διακονίας, καὶ ἐν τῷ ἐσχάτων ἀρχαρίων καταπάττει χώρῳ. *A ministerio Pastor deposuit, & in novissimorum tyronum locum redegit.* Ex decreto Urbani II. si Canonicus regularis ad Monachos transeat, revocatur, & in pœnam defectionis rejicitur in vltimum locum, & memorialem cucullam defert. Can. *Mandamus* 19. quæst. 3. Cap. *Intelleximus. de ætat. & qualit. & ordin. præfic.* Et apud Innocentium III. libro 2. epistola 11. Goffridum Vindocinensem libro 2. epistola 12. *Domnus Ernaldus, quem Decanum vestrum dicitis, si sibi secundum justitiam placuisset, teste floccello de capite suo, potius in nostra quam in vestra sorte manere debuisset.* Et hoc genus pœnæ commune est omnibus Clericis. Can. *Presbyter* 82. distinct. can. *Præcipimus* 93. distinct. Et apud Gregorium libro 1. epistola 81. Indictione 9. Primis sæculis antequam Monachi essent recepti in Clerum, in pœnis canonicis, non depositione, vt Clerici, plectebantur, sed excommunicatione pariter ac laici. Synodus Chalcedonensis can. 2. καὶ ἔδει

εἰ μὲν κληρικὸς εἴη, τοῦ οἰκείου ἐκπιπτέτω βαθμοῦ· εἰ δὲ λαϊκὸς ἢ μονάζων, ἀναθεματιζέσθω. *Et ipse siquidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat; si vero laicus aut Monachus, anathematizetur.* Can. *Si quis Episcopus* 1. quæst. 1. Et hæc pœna nota fuit in Monachis ante Chalcedonens. Concil. Monachos enim excommunicatione corripi voluit Augustinus de correptione & gratia ad Valentinum & cum illo Monachos capite 15. *Corripiantur itaque a Præpositis subditi fratres correptionibus de caritate venientibus, pro culparum diversitate diversis, vel minoribus, vel amplioribus, quia & ipsa quæ damnatio nominatur, quam facit Episcopale judicium, qua pœna in Ecclesia nulla major est, potest, si Deus voluerit, in correctionem saluberrimam cedere atque proficere.* Can. *Corripiantur* 24. quæst. 3. Inde etsi jam Monachi in Clerum essent recepti, pro gravioribus delictis excommunicationis pœnam indixit Monachis regula Benedicti capite 23. *Si vero neque sic correxerit, si intelligit qualis pœna sit, excommunicationi subjaceat.* Si Monachus his modis correptus non resipiscat, additur virgarum castigatio, ejusdem regulæ capite 28. *Si quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correctio, id est, ut verberum vindicta in eum procedat.* Unde desumptus est can. 134. Concilii Aquisgranensis. Et hoc genus disciplinæ usu receptum fuit etiam in Canonicis regularibus. Augustinus epistola 159. ad Marcelinum Comitem: *Noli perdere paternam diligentiam, quam propria inquisitione servasti, quando tantorum scelerum confessionem, non extendente equuleo, non sulcantibus ungulis, non urentibus flammis, sed virgarum verberibus eruisti: qui modus coercitionis, & a Magistris artium liberalium, & ab ipsis parentibus, & sæpe etiam in judiciis solet ab Episcopis adhiberi.* Can. *Circumcelliones* 23. quæst. 4. Thomas Cantipratensis libro 1. capite 17. *Cum in Theutoniæ partibus circa annum Domini 1242. adolescens quidam nobilis in lubricitate corporis excessisset, a senibus Concanonicis & Decano ab ingressu Ecclesiæ arctatus est, & infra septa monasterii, quasi pro agenda pœnitentia, in loco ad hoc deputato reclusus, qui humiliter valde pœnam suscipiens flagellabatur interim a Decano, & gravibus conviciis culpabatur.* Ideo Abbas semper virgam ad manum habebat. Gregorius

Dialogorum libro 1. capite 2. *Quadam namque die is qui post venerabilis Honorati exitum monasterii regimen tenebat, contra eundem venerabilem Libertinum in gravi iracundia exarsit, ita vt eum manibus cæderet: & quia virgam qua eum ferire posset, minime invenit, comprehenso scabello suppedaneo, faciem ei ac caput intudit.* Idem libro 2. capite 4. scribit de Monacho errone & vago, quem vt sanctus Benedictus virga percussit, ex eo die in monasterio stabilem continuit. Et Petrus Damiani in vita sancti Romualdi capite 4. *Marinus vero virgam in dextera gerens, Romualdo e diverso sedenti sinistram capitis partem sæpissime verberabat.* Etiam alapis ab Abbate cæsi Monachi correctionis causa. Cassianus collatione 19. capite 1. *Sub occasione istius tarditatis prædictus Abbas Paulus, qui inter turbas ministrantium fratrum sollicite discurrebat, exerta manu palma eum sub omnium percussit intuitu.* Et hoc est quod palmatas vocat Burcardus libro 19. capp. 17. & 25. & Petrus Damiani opusc. 15. capite 18. quia hujusmodi percussio fiebat palma manus. Si tot pœnis non proficeret Monachus in graviora lapsus, coercebatur carcere, vinculis & custodia. Valentem quendam e Monachis Ægyptiis ob vitium elationis per annum ferreis catenis vinctum, narrat Palladius Historiæ Lausiacæ capite 32. *τότε δήσαντες αὐτὸν οἱ ἅγιοι πατέρες σιδήροις ἐπὶ ἔτος ἓν ἀπεθεράπευσαν. Tunc Patres eum anno vno vinxerunt, & in ferreos compedes conjecerunt, & curarunt.* Idem de Erote narrat idem capite sequent. *ὡς καὶ αὐτὸν ὕστερον σιδηρωθῆναι, μὴ θέλοντα τῇ οἴκῳ, μηδὲ τοῖς μυστηρίοις αὐτοῖς προσέρχεσθαι. Ut fuerit etiam ferro vinctus, cum nollet convenire ad sacramenta.* Quod si quisquiam frater incorrigibilis sit, id est, tertium pœnis regularibus tentatus ad sanam frugem non redeat, e monasterio velut membrum putridum abscinditur & ejicitur. Regula Benedicti capp. 28. & 29. Cap. *Ne religiosi. de regularibus.* Et si forte ejectus recipiatur, in vltimum gradum rejicitur, d. cap. 29. Præter pœnas regulares, etiam duriora injungi solebant fratribus probationis causa, vt Isidoro impositum, vt staret in limine monasterii, & cuivis intranti & exeunti supplex posito genu accideret, & precum suffragium peteret, quasi epilepticus esset: quo in pœnitentiæ genere constantem permansisse narrat Joannes

Climacus scal. 4. Inter remedia etiam ad coercendas tentationes carnis, fratribus suadetur mansio ad tempus in hypopeis seu cōnditoriis mortuorum, propter memoriam mortis, σορῶν οἴκησις. Joannes Climacus scalæ Paradis. grad. 15. vbi Scholiast. ὅτι καὶ σοροὶ πρὸς τὸ φυγεῖν πειρασμὸν συμβάλλονται. *Quia mortuorum conditoria ad fugiendam tentationem conferunt.* Duriores sunt pœnæ & coercitiones regulares: sed, o Deus, quam leves, si spectemus mercedem quam proponis in cælo!



CAPUT IV.

Correctio fratrum in Capitulo. Lectio regulæ in Capitulo.

EXPOSITIS, variis generibus pœnarum regularium, quonam loco & quo ritu fiat correctio Monachorum, docere subit. Hujusmodi correctio fit in Capitulo, id est, in loco monasterii, vbi fratres congregantur de rebus monasterii acturi. Concilium Aquisgranense anno Christi 816. can. 133. *Vt quotidie ad collationem veniant, vbi & hanc institutionem & aliarum Scripturarum sanctarum lectiones perlegant, & pro admissis veniam postulent, & sententiam pro qualitate admissi suscipiant, vbi etiam de communi profectu & vtilitate Ecclesiæ pertractent.* Ekkeardus Junior de casibus Monasterii sancti Galli capite 16. *Abbate accito, signum pulsatur ad Capitulum: ibi jussu Abbatis juvenis ille adhuc furens ad columnam Pyralis ligatus acerrime virgis cæditur.* Et infra: *At Ruomo surgens, Decano quidem non jubente, flagello fratrum, quod cominus pendebat, modeste sumpto, maximos illi ictus infregit.* Petrus Cellensis libro 7. epistola 10. *Hactenus Monachi solent judicari in Capitulo, non in consilio; inter Monachos, non inter Presbyteros; ab Abbate, non ab Archidiacono; corporali, non pecuniaria pœna.* Unde Capitulum sumitur pro correctione ipsa, & capitulare pro corripere, corrigere. Ekkeardus de casibus præd. monast. capite 3. *Qui cum labem maximam claustri, impunitatem nominasset, ad Capitulum tamen non-*

quasi cæteris exemplum dando, roccum exuit, & coram se expandit, superque illum se extendit, vtque puniretur pro tali excessu gemens oravit. Inter actus capitulares præter correctionem fratrum, Martyrologium, id est, vita Sanctorum, maxime Martyrum, & regula, id est, capitulum aliquod regulæ, vel homilia Patrum solebat legi in Capitulo & exponi. Concilium Aquisgranense anno 817. can. 69. *Vt ad Capitulum primitus Martyrologium legatur, & dicatur versus, deinde regula aut homilia qualibet legatur.* Et idem Concilium can. sequent. *Vt ad Capitulum lectio tradatur, similiter ad conlationem, si tempus fuerit opportunum.* Matthæus Parisiensis ad ann. 1237. de statutis Benedictinorum: *Fecerunt autem quamplures hæc in Martyrologia scribi, vt sæpius in Capitulo recitata, sicut solet regula beati Benedicti, audientium cordibus inhærerent.*

CAPUT V.

Capitulum generale Cistercienſium quotannis. In aliis Ordinibus receptum ex Concilio generali Lateranensi triennio quoque.

DISCIPLINÆ tuendæ gratia in singulis monasteriis celebratur Capitulum privatum, in quo tractatur de reformatione vel vtilitate monasterii. Præter Capitulum proprium cujusque monasterii, Cistercienses cognita vtilitate rei, statuere vt Capitulum generale totius Ordinis singulis annis haberetur apud Cistercium, quo convenirent Abbates & Priores Ordinis. Bernardus epistola 228. ad Petrum Abbatem Cluniacensem: *Decretum est mihi vltra non egredi monasterio, nisi ad Conventum Abbatum apud Cistercium.* Et vita Bernardi libro 1. capite 7. *Præfatus Episcopus ad Capitulum Cisterciense, ibi coram pauculis Abbatibus qui convenerant, pontificali humilitate & sacerdotali caritate, toto corpore in terram prostratus, petiit & obtinuit, vt toto anno vno in obedientiam sibi traderetur.* Et libro 4. ejusdem vitæ capite 4. *Eodem anno*

Tt

apud Cistercium, juxta morem Abbatibus congregatis, prædictus Papa venerabilis affuit. Helmoldus Historiæ Slavor. libro 1. capite 91. *Hi singulis annis celebrant Concilium apud Cistercium, & decernunt ea quæ utilia sunt.* In hujusmodi Capitulo moris fuit edi statuta ad reformationem Ordinis, quæ vim legis haberent. Innocentius III. in cap. *Nuper Abbates* extra *De decim. Nuper*, inquit, *Abbates Cisterciensis Ordinis in generali Concilio congregati, ad commonitionem nostram provide statuerunt, ne de cætero fratres ipsius Ordinis emant possessiones, de quibus decimæ debeantur Ecclesiis, nisi forte pro monasteriis noviter fundandis.* Matthæus Paris. ad annum 1151. *In Capitulo Cisterciensi statutum est, ne de cætero aliqui novam construerent Abbatiam, quia numerus Abbatiarum illius Ordinis vsque ad quingentas excrevit.* Capituli Cisterciensis quanta fuerit gratia & cultus apud Reges & Principes, & apud Pontifices, ex his intelliges, quod Richardus I. Rex Anglorum Capitulo Cisterciensi centum annuas marchas argenti concessit pro sumptu Conventus. Matthæus Paris. ad annum 1188. *Magnificus autem Rex Richardus ac munificus Monachis Cisterciensibus ad Capitulum generale de diversis terris & longinquis venientibus & convenientibus, centum marcas argenti annuatim percipiendas contulit.* Capitulo Cisterciensi anno 1244. interfuit beatus Ludovicus Rex Francorum vna cum matre & fratribus, & rogatus promisit Patribus se Ecclesiam Romanam defensurum adversus Fridericum II. Imperatorem, teste ipso Matthæo Paris. Capitulo Cisterciensi interfuisse Eugenium Romanum Pontificem, jam observatum ex vita Bernardi. Cisterciensium exemplo commotus Innocentius III. in Concilio generali Lateranensi statuit, vt in singulis regnis vel provinciis quoque triennio fiat commune Capitulum Abbatum & Priorum Abbates proprios super se non habentium, in quo diligens habeatur tractatus de reformatione Ordinis & observantia regulari, in quo eligantur idonei visitatores, qui singula monasteria regni vel provinciæ, correctionis & reformationis causa, visitent *vice nostra*, inquit, id est, tanquam delegati Sedis Apostolicæ. Cap. *In singulis. de statu Monach.* Ad Capitulum provinciale tenentur convenire Abbates tam exempti, quam non exempti. Cap. *Ea quæ* eodem

tit. In Capitulo provinciali fit correctio Monachorum, & idem est reus & accusator sui ipsius. Thomas Cantipratensis libro 1. capite 1. *Hic semel stans in provinciali Capitulo, coram Diffinitoribus & Prioribus se accusaturus, audivit asinum suum, &c.*



CAPUT VI.

Visitatio monasteriorum disciplinæ vinculum.

PRÆCIPUI duo disciplinæ monasticæ axes sunt: Capitulum seu congregatio Capituli, in quo discutiuntur & emendantur culpæ Monachorum; & visitatio frequens monasteriorum. Cap. *In singulis* extra *De statu Monachor.* & his duobus axibus diu sustentatus est Ordo Cisterciensium. Cæsarius de Miraculis libro 1. capite 1. de initiis Cisterciensium: *Quid est visitatio? Disciplinæ conservatio. Duo enim primitivi Patres instituerunt ad vitiorum correctionem & caritatis conservationem, videlicet generale Capitulum, & singulis annis visitationem domorum.* Primis sæculis, queis Monachi erant in potestate Episcopi, officium Episcopi vel Chorepiscopi erat visitare monasteria. Concil. Nicæn. ex Arabico canon. 54. Etiam exempta monasteria ab Episcopo visitari voluit Gregorius Magnus sine gravamine, id est, sine sumptu, sine procurationis onere, libro 7. epistola 18. Indict. 1. Can. *Visitandi* 18. quæstione 2. Disciplinam monasticam jam collabentem impatienter ferens Carolus Magnus, monasteria Galliæ & Germaniæ per Missos vna cum Episcopis visitari curavit. Concilium Moguntinum can. 20. *Deinde dignum ac necessarium est, vt Missi per quæque loca directi, simul cum Episcopis vniuscujusque diœcesis perspiciant loca monasteriorum Canonicorum pariter & Monachorum, similiterque puellarum, si in apto & congruo loco sint posita, vbi commodum necessarium possit acquiri, quod ad vtilitatem pertinet monasterii, sicut in sancta regula dicitur.* Quod comprobatum est Capitular. libro 5. capite 79. Studii paterni tenax Ludovicus Pius, visitatores

generales per monasteria ditionis suæ instituit. Auctor anonymus vitæ ipsius: *Itidemque constituit idem Deo amabilis Imperator Benedictum Abbatem & cum eo Monachos strenuæ vitæ per omnia, qui per omnia monasteria Monachorum euntes redeuntesque uniformem traderent cunctis monasteriis, tam viris quam sanctimonialibus feminis, vivendi secundum regulam sancti Benedicti incommutabilem morem.* Quod etiam scripsere Aimoinus libro 5. capite 10. Leo Ostiensis Chronic. Cassinensis libro 1. capp. 14. & 18. Ab Episcopis monasteria visitari, decretum suadente Carolo Calvo. Concilium Tullense apud Saponarias anno Christi 859. can. 9. *Ut Congregationes Canonicorum & Monachorum ac Sanctimonialium, secundum canonicam institutionem a propriis Episcopis strenue visitentur, & eorum religio & habitus exquiratur,* &c. Nec dispari zelo Innocentius III. in Concilio generali Lateranensi, in Capitulo religiosorum cujusque provinciæ visitatores eligi statuit, qui monasteria provinciæ lustrarent vice Apostolica, id est, tanquam visitatores Sedis Apostolicæ. Cap. *In singulis* extra *De statu Monachor.* Anno Christi 1232. juxta decretum Concilii generalis Gregorius IX. visitatores generales designavit per vniversa monasteria orbis Christiani, & de ea re epistolam scripsit ad Episcopos Angliæ, & aliam ad quendam Abbatem Montis-belli, vnum e visitatoribus delegatis, quas dedit Matthæus Parisiens. in Henrico III. Et Clemens V. in Concilio Viennensi cuncta Monialium monasteria jussit visitari per Ordinarios: exempta scilicet, Apostolica; non exempta, ordinaria auctoritate. Clement. *Attendentes. de statu Monachor.* Denique Concilium Tridentinum sessione 25. *De regular.* capite 8. monasteria exempta, non subdita cuipiam Capitulo generali, vel quæ non haberent proprium visitatorem, ab Episcopis diœcesanis, tanquam Apostolicæ Sedis delegatis, visitari concessit: quod transfusum est in Constitutionem Aurelianens. artic. 11. Blesens. art. 27. 31. & 32. de quo Chopin. Monastic. libro 1. tit. 2. numero 12. Abbas habet quidem penes se correctionem Monachorum: sed si gravior sit culpa, refertur quandoque ad visitatorem. Cæsarius de Miraculis libro 4. capite 24. *Non est diu quod Monachus quidam stimulis invidiæ agitatus & superatus, quen-*

dam ex fratribus suis adolescentem accusavit apud Abbatem, imponens ei crimina pessima: cui cum minus Abbas crederet, ille ad majorem vindictam usque ad visitatoris præsentiam, suam accusationem reservavit. Quid plura tanta apud illum invidi machinatio profecit, ut ipse visitator juveni vitia relata in Capitulo coram omnibus objiceret.



CAPUT VII.

Solitudo Monachorum, & ejus utilitas. Monachis fugienda consuetudo sæcularium, maxime mulierum: Sanctimonialibus etiam medicorum.

AD monasticam disciplinam tuendam mirum quantum prosit solitudo & fuga consuetudinis sæcularium, ejus vtilitatem exemplo vitæ commendavit Christus Dominus noster, qui frequens secedebat in eremum vt doceret & oraret. Tertullianus 4. adversus Marcion. capite 8. in illud Luc. 4. *In solitudinem procedit. Solennis & hujusmodi regio creatoris. Oportebat sermonem illic quoque videri in corpore, ubi egerat aliquando & in nube. Competebat & Evangelio habitus loci, qui placuerat & legi.* Ambrosius in idem caput Lucæ: *Tria sunt enim quæ ad usum proficiunt salutis humanæ, sacramentum, desertum, jejunium. Christus secessit in eremum, ut doceret nos Deum quærendum in solitudine.* Joannes Chrysostomus in Joannem Homil. 41. in illud capit. 6. *Quid autem montem subiit, & ibi sedebat cum discipulis suis.* ἐπιτήδειον γὰρ πρὸς φιλοσοφίαν ἐρημία. *Idoneus siquidem ad Philosophiam locus solitudo.* Deus quærendus in secessu & solitudine, vix est vt eum operiamur in turba. Augustinus in Joannem tractatu 17. in illa verba: *Declinaverat ab eo in turba. Difficile est in turba videre Christum, solitudo quædam necessaria est menti nostræ, quadam sollicitudine intentionis videtur Deus, turba strepitum habet, visio ista secretum desiderat. Noli Jesum quærere in turba, non est tanquam unus de turba.* Joannes ipse in eremo agnovit Christum, eumque demonstravit Judæis dicens: *Ecce agnus Dei,*

ecce qui tollit peccata mundi, Joan. 2. Felix solitudo quæ Monachos parit Deo: Felix solitudo, quæ est familiaris collocutio & conversatio cum Deo! Hieronymus ad Heliodor. *O desertum Christi floribus vernans! o solitudo in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas magni Regis extruitur! o eremus familiarius Deo gaudens!* Auctor sermon. ad fratres in eremo sermon. 3. *Estote solitarii, vt sitis angelis sociati: estote rustici, vt sitis cives sanctorum & domestici Dei: estote muti, vt sitis loquaces: loquimini Deo, vt sitis veraces: contemplate in eremo, vt contemplemini a sanctis in cælo.* Solitarius mundo mortuus est, Deo vivit. Eugenius IV. in can. *Placuit* 18. quæst. 1. *Sedeat itaque solitarius, & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit.* Solitudo quietem mentis conciliat. Chrysostomus in Joannem Homil. 60. *Mulier*, inquit, *domi sedet*, καὶ καθάπερ οἱ τὰς ἐρήμους οἰκοῦντες, οὐδένα ἔχουσι τὸν ἐνοχλοῦντα, *& more eremos habitantium, qui se perturbet, habet neminem.* Eleganter Petrus Damiani libro 6. epistola 5. *At postquam ad cellulam perventum est, imo postquam in me ipse qui fueram exclusus, intravi, mox æstuantis animi fervor extinguitur, contentiosi litigii querela sopitur, tumor, clamor & indignatio præsto deponitur, & omne quod in meis visceribus amarum fuerat, divinitus obdulcatur; ne decipiamur.* Solitudo sola, id est, locus solitudinis, non facit Monachum & beatum, sed mens solitaria & studiosa veræ Philosophiæ. Joannes Chrysostomus in Psalm. 140. οὐ γὰρ ἐρημία ποιεῖ τὸν μόνον εἶ), ἀλλὰ γνώμη φιλόσοφος. *Solitudo enim non facit esse solum, sed mens quæ tenetur studio sapientiæ.* Solitudo ita propria est Monachi, vt Monachus extra cellam sit piscis extra aquam. Hinc Antonius rogatus a Præfecto militum vt apud eum diverteret, non annuit. Quemadmodum enim, inquit, piscis simul atque terram attigerit, emoritur: Monachi extra monasterium versantes dissolvuntur. Athanasius in ejus vita. Sozomenus libro 1. capite 13. Rufinus de vit. Patrum libro 2. capite 109. Inde Monachis jugis mora in monasterio suadetur: vix enim Monachus potest pedem efferre e monasterio, quin profectus damnum sentiat, & de amissis resarciendis laboret. Joannes Cassianus collatione 6. cap. 15. *Ideoque jugis cellæ commoratio retentanda est: toties enim etiam*

reversus quis, velut novus in ea & incipiens habitator titubabit, atque turbabitur quoties ab eadem fuerit evagatus: illam namque quam in cella residens acquisierat animi intentionem, si fuerit relaxata, recuperare rursus non sine labore poterit ac dolore, & per hoc reductus retro, non de amisso cogitabit profectu, quem superadjicere potuit, si e cella non fuisset excussus: sed gaudebit potius, si illum statum de quo recidit, semel ipsum senserit recepisse, &c. Monachis e monasterio egredi non licet, exceptis Apocrisiariis seu Procuratoribus, quibus id officii causa permittitur. L. *Qui in monasteriis* C. *De Episc. & Cleric.* Gregorius lib. 2. Indictione 11. epistola 3. ad Joannem Abbatem: *Non frequenter foras egrediaris, in causis istis Procuratorem institue, & tu ad lectionem atque orationem vaca.* Monachis vitanda est consuetudo sæcularium, ne eorum contagio vitium sæcularitatis contrahant: maxime eis fugienda est consuetudo mulierum. Inde districtius vetatur ne Monachi commatres faciant. Gregorius libro 3. epistola 40. Indict. 12. Can. *Pervenit* 18. quæst. 2. can. *Non licet.* can. *Monachi. de consecrat.* distinct. 4. Sanctimonialibus pariter vitandam consuetudinem laicorum, maxime medicorum, monet Gregorius libro 4. Indictione 13. epistola 4. Imo Patrum sententia fuit Monachos fugere debere mulieres & Episcopos pari cautela, ne avocentur a quiete cellæ: de quo Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 11. capite 17. *Quapropter hæc est antiquitus Patrum permanens nunc usque sententia, omnimodis Monachum fugere debere mulieres & Episcopos: neuter enim sinit eum, quem semel suæ familiaritati devinxerit, vel quieti cellulæ alterius operam dare, vel divinæ theoriæ per sanctarum rerum intuitum purissimis oculis inhærere.* Adeoque solitudo delicatula & morosa est, vt ipsi etiam Monachi inter se mutuo debeant abstinere colloquio. Regula Benedicti capite 48. *Neque frater ad fratrem jungatur horis incompetentibus.* Ideo Monachi singuli debent se continere in singulis cellis, vel saltem cum vno socio operis, vel seniore disciplinæ magistro. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 2. capite 12. *Ideoque cum fuerint orationum canonicarum functiones ex more finitæ, vnusquisque ad suam recurrens cellulam, quam aut solus, aut cum alio tantum inhabitare permittitur, quem scilicet societas ope-*

rationis, vel discipulatus & disciplinæ imbutio copulavit, &c. Denique disciplina solitudinis detrimentum patitur, vel ex ipsis hospitalitatis officiis, & receptione adventantium fratrum, quod in adventu hospitum jejunium solvatur. Joannes Lycopolita apud Rufinum de vit. Patrum libro 1. cap. 1. *Multum*, inquit, *tamen prodest ad hæc obtinenda secretior habitatio & conversatio solitaria, quia interdum per occasionem adventantium fratrum, & euntium ac redeuntium frequentiam, abstinentiæ & parsimoniæ fræna laxantur, & per hujusmodi occasiones venitur paulatim in consuetudinem & usum deliciarum, & sic interdum etiam perfecti jam viri capiuntur.*

CAPUT VIII.

Ne mulieres ingrediantur septa monasterii. Laici non ingrediantur claustrum sine duce & cuculla.

MONACHIS vitandam esse consuetudinem sæcularium, maxime mulierum, jam a nobis observatum est: ideo disciplinæ causa cautum est, ne mulieres admittantur intra septa monasteriorum. Concilium Turonense II. canon. 16. *Ut mulier intra septa monasterii nullatenus introire permittatur.* Gregorius libro 3. epistola 40. ad Valentinum Abbatem: *Ideo hujus te præcepti serie commonemus, ut neque mulieres in monasterio tuo deinceps qualibet occasione permittas ascendere, neque Monachos tuos commatres sibi facere.* Can. *Pervenit* 18. quæstione 2. Eadem fuit sententia veterum Patrum. Basilius sermon. de institutione Monachorum: *αἱ εἴσοδοι τῶν ἀσκητηρίων ταῖς γυναιξὶν ἀποκεκλείσθωσαν.* *Mulieres a monasteriorum ingressu prorsus arceantur.* Gregorius Turonensis de vit. Patrum capite 1. apud Surium Februarii 28. *Non potest fieri, inquit Lupicinus Abbas, ut ego in monasterio sepulcrum habeam, a quo mulierum accessus arcetur.* Et hæc disciplinæ cautio servata in monasteriis Benedictinorum & Cisterciensium. De monasterio Floriacensi testatur Adrevaldus de Miraculis sancti Benedicti libro 1. capite 28. *Porro quia ex antiqua auctoritate sancitum*

ſancitum erat, feminas intra exteriores portas monaſterii haud quaquam tranſitum introrſus habere. Ann 1244. Ciſtercium monaſterium intravit Blancha regina cum Ludovico Rege nato ſanctiſſimo, orationis cauſa, non ſine licentia Summi Pontificis: de quo Matthæus Pariſ. *Comitabatur autem eum nobilis Domina Blancha mater ejus, quæ a Domino Papa privilegium impetraverat, vt liceret ei domos religioſas Ciſtercienſis Ordinis cum duodecim mulieribus orandi gratia intrare.* Nedum mulieribus interdictum aditu monaſteriorum, quin imo & ipſis Monachis interdictum affatu mulierum. Cum matrona nobilis Antiochena rogaret ſe admitti ad Marcianum Abbatem, vt filiæ a dæmone vexatæ ejus gratiam poſtularet, ei reſponſum eſſe narrat Theodoritus de vit. Patrum capite 3. οὐκ εἶν ἔθος τὸν προεστευόντα γυναιξὶ διαλέγεσθαι, *Præſidem loqui cum mulieribus non ſolere.* Mulieres non ſolebat affari Aphrates, niſi pro foribus monaſterii. Idem capite 8. ἔλεγε δὲ ταῦτα ἡ γυνὴ πρὸ τῆς αὐλίου θύρας ἑστῶσα, οὕτω γὰρ εἰώθει τὴν πρὸς τὸ θῆλυ ποιεῖσθαι διάλεξιν. *Hæc autem ad atrienſem januam ſtans mulier dicebat: ibi enim feminas alloqui ſolebat, neque vllam intra januam recepit vmquam.* Eadem religione cum Paulus Abbas ad ſenioris cujuſpiam cellam pergeret vna cum Abbate Archelao, obviæ mulieris vultu territus, velut a facie leonis vel draconis fuga ſe proripuit ad monaſterium. Caſſianus collatione 7. capite 26. In monaſterio ſancti Galli apud Helvetios nefas fuit laicis vel Clericis ingredi clauſtrum monaſterii ſine duce vno e fratribus, & ſine cuculla, ne alieni admitti viderentur. Ekkeardus Junior de caſibus monaſterii ſancti Galli capite 1. *Salomon Capellanus locum autem noſtrum ſibi præ omnibus habitum ſubinde adiit, clauſtrumque ille, quia potens erat, abſque duce, & quod maximæ confuſionis tunc erat, cum lineis veſtibus diatim introiit. Plurima fratribus velut dives opum commoda fecit, quorum cum vni reverendo quidam pelliceum traderet, & ſui eum apud Deum memorem fore rogaret: Pelliceum, ait ille, tuum, ſi volueris, tibi optime repretiabor: nam duas cucullas ab Abbate habeo, quarum vnam tibi, vt clauſtrum decentius nobiſcum in ea introeas.* Et infra: *Sed nos in fraternitatem interdum & laicos recepimus, quibus tamen in laico habitu nequaquam, inquit, in clauſtro abutimur.*

Vu

Et infra: *Abstinuit tandem absque aliquo Patrum, ut moris est, praduce claustrum intrare.* Idem capite 16. *Claustrum autem sancti Galli ab antiqua Patrum memoria tanta venerationi semper est habitum, ut nemini vel potentissimorum sæculi Canonicorum seu laicorum introitus vel etiam introspectus ejus licuerit. Vidi egomet Comites aliosque potentes, loci quoque milites, pro dilectione festis diebus crucem nobiscum per claustrum sequendo; juvenes & senes ad cingulum quosdam barbatos monachicis indutos roccis, nobiscum quaque ivimus ingredi. In refectorio quoque octo de illis, qui tamen emeriti videbantur, circa Abbatem & Decanos, ad mensam monachico consedisse habitu in die Paschæ vidi.* In eodem monasterio laicis maxime nefas erat intrare Capitulum. Ekkeardus capite 9. de Amalungo Ekkeardi fratre: *Huic soli, ut audivimus, laico ab vllius memoria, Capituli domum intrare permissum est.*



CAPUT IX.

Clausura Sanctimonialium restituta.

QUANTA fuerit cura disciplinæ monasticæ in vtroque sexu, id maxime elucet in custodia sacratum virginum. Haud enim satis tuta visa est earum pudicitia, voti solemnis religione, & pœnis prævaricantium, necnon vigilantia Abbatissæ seu Præpositæ. His additum est septum & præsidium murorum, & clausuræ arctioris cautio. A primis sæculis devotæ Deo virgines fuere reclusæ intra monasteria: vnde monasteria virginum φυλάκας, id est, *custodias*, vocat Palladius Historiæ Lausiacæ capite 39. οἰκοδομοῦντες καὶ τὰ τῶν γυναικῶν μοναστήρια καὶ φυλάκας. *Ædificant etiam mulierum monasteria & custodias.* Ideo Sanctimonialibus non licere egredi e monasterio, nisi vrgente necessitate, ac ne sic quidem sine εὐλογίας, id est, permissione ejus quæ præest, & adjecta comite vna e senioribus, ita vt liceat abnoctare a monasterio, decernit can. 46. Synodi VI. in Trullo. Etiam Abbatissæ ipsi non licet egredi e monasterio absque licentia Episcopi; nec

sine graviori causa, puta si evocata fuerit ad comitatum Principis. Concilium Turonense III. canon. 30. *Abbatissæ absque sui Episcopi licentia foras monasterium egrediendi non habeant potestatem, nisi cum ad piissimum Imperatorem nostrum proficisci voluerint.* In eandem sententiam Concilium Cabillonense II. can. 57. *Abbatissa, quæ in civitate monasterium habet, nequaquam de monasterio egrediatur, nisi per licentiam Episcopi sui, aut qui ejus vicem obtinet, nisi forte aut imperialis jussio eam cogat, aut prolixitas itineris id facere minime permittat.* Vel si feudi nomine teneatur præstare fidem & hominium domino feudi, nec admittatur per Procuratorem: tunc licet ei egredi e monasterio cum honesto comitatu, ita vt præstito hominio statim revertatur ad monasterium. Et ne sit occasio egrediendi, si Dominus feudi sit spiritualis, præstetur hominium per Procuratorem. Cap. *Periculoso. de statu regular.* in 6. vel ob publicam causam, ex mandato Pontificis, vt in vrbe grassante lue indicta a Gregorio Magno solemni letania, pestis arcendæ gratia, Abbatissis & Monialibus mandatum vt hujusmodi letaniæ adessent. Gregorius Turonensis libro 10. capite 1. *Omnes Abbatissæ cum Congregationibus suis egrediantur ab Ecclesia sanctorum Martyrum Marcelliani & Petri cum Presbyteris regionis primæ.* Extra causam Abbatissis & Monialibus non licet egredi monasterio. Clausuram Monialium districte curarunt Episcopi Galliarum: inter eos maxime Ivo Carnotensis Episcopus epistola 10. ad Sanctimoniales Dunenses: *Ad hoc enim septa monasterii vobis facta sunt, ne mundi amatores intra castra mundum fugientium recipiatis, ne ad publicum prodeatis, ac de corporali mundi visione tractis introrsum fœdis imaginibus, atque expugnata intus virginitate, corpus quoque corruptioni subjici permittatis.* Labente sæculo de clausuræ rigore multum remissum. De Genta Abbatissa Vallis-Floridæ Cisterciensis Ordinis in Brabantia, narratur, quod aliquando Moniales suas solatii seu relaxationis causa e monasterio educeret. Thomas Cantipratanus lib. 1. capite 10. artic. 3. *Si Moniales suas ad solatium educebat, in medio omnium considebat, & aliquid de Deo, vel de Scripturis, vel etiam de moribus proponebat.* Nec id vitio ducebatur, quia propter consuetudinem aberat scandalum. Tandem ex in-

obſervantia clauſuræ Monialium nomine nimis labefactato, Bonifacius VIII. reſtituit clauſuram, lege data, vt Ordinarius in monaſteriis non exemptis ordinaria, in exemptis apoſtolica auctoritate clauſuram tueri vel conſervare, vel collapſam reſtituere valeat. d. cap. *Periculoſo* in fin. quod repetitum eſt Concil. Tridentin. ſeſſione 25. *De regular.* capite 5. & Conſtitutionibus regiis ſancitum.



CAPUT X.

Ut Monachi bini procedant.

DISCIPLINÆ monaſticæ ſingulare & inſtitutum eſt, vt Monachi extra monaſterium non aliter quam bini procedant, ne ſcilicet careant teſte converſationis. Et hujus inſtituti auctorem habemus Chriſtum. Ad prædicandum Evangelium Chriſtus Apoſtolos binos miſit, Luc. 10. Marc. 6. Hieronymus in Marcum 11. in illa verba: *Miſit duos ex diſcipulis ſuis. Bini vocantur, & bini mittuntur diſcipuli Chriſti, quoniam caritas non conſiſtit cum vno. Unde dicitur: Væ ſoli.* Auguſtinus quæſtion. Evangelic. libro 2. capite 14. *Quod autem binos mittit, ſacramentum eſt caritatis, ſive quia duo ſunt caritatis præcepta, ſive quia omnis caritas minius quam inter duos eſſe non poteſt.* Idem Joannes Chryſoſtomus in Geneſ. capite 14. & Gregorius Homil. 17. Titum ad hoc comitem peregrinationis ſibi ordinatum ait Paulus, 1. Cor. 8. ne ſine teſtimonio. Sanctorum tanquam ſibi videretur accipere ſtipes fidelium, quæ erant diſtribuendæ egentibus. Ab Apoſtolis hujuſmodi inſtitutum tranſit ad Monachos. A primis ſæculis Monachi non aliter quam bini miſſi ſunt extra monaſterium. Rufinus de vit. Patrum libro 2. capite 31. *Dixit ei beatus Antonius: Vade vt videat te ſoror tua. Tunc aſſumpſit ſecum alium Monachum, & perrexit ad locum & domum ſororis ſuæ.* Auctor ſermon. ad fratres in eremo ſermon. 1. *Quando neceſſe eſt, vt aliqui ad ſæculum vadant, caveant ne vadant minus quam duo vel tres.* Hac diſciplina vſi ſunt Benedictini.

Capitulare Aquisgranense anno Christi 817. can. 15. *Vt soli sine alio fratre in via non dirigantur*, nimirum vt testem habeant conversationis & judicem. Et hoc est quod dicitur, Monachos socium habere dominum. Thomas Cantipratanus libro 1. capite 18. *Vulgo dicitur: Miles in obsequio famulum, Clericus socium, Monachus habet dominum.* Inde forte suborta est parœmia vernacula: *Qui a compagnon a maistre.* Eadem etiam fuit disciplina inter Clericos. Concilium Turonense II. can. 20. *Quotiescumque Archipresbyter seu in vico manserit, seu ad villam suam ambulaverit, unus lector Canonicorum suorum, aut certus aliquis de numero Clericorum cum illo ambulet.* Etiam Episcopi ipsi Clericos vel Monachos electos in obsequio habere debent, vt sint testes conversationis. Synodus Romana habita a Gregorio I. anno Christi 595. cujus gesta extant apud eum libro 4. Indictione 13. epistola 44. *De qua re præsenti decreto constituo, vt quidam ex Clericis, vel etiam ex Monachis electi, ministerio cubiculi Pontificalis obsequantur, vt is qui in loco est, regiminis habeat testes tales, qui vitam ejus in secreta conversatione videant, & ex visione sedula exemplum profectus sumant.* Can. *Cum pastoris* 2. quæstione 7. Et ante Synodus Romana in causa Symmachi statuit, Episcopos & Presbyteros secum semper contubernales habere, quos concellaneos seu cellulanos appellat, ne esset locus malignis suspicionibus: de quo Baronius ad ann. 498. Etherium Lexoviensem Episcopum non sine testibus per noctem in lectulo cubasse, refert Gregorius Turonensis libro 6. capite 36. *Etherius Lixoensis Episcopus in stratum suum quievit, habens circa lectum suum multos lectulos Clericorum.* Foris revertentes ad monasterium fratres humi prostrati ad pedes Abbatis, ab eo benedictionis gratiam petebant, vt si qua extra monasterium labes contractæ erat, expurgaretur hoc genere pœnitentiæ. De Mena refert Joannes Climacus scal. 4. *ἀνελθόντα αὐτὸν ἐν τῷ ἡγουμενείῳ, καὶ βαλόντα μετάνοιαν ἔμπροσθεν τῷ ἡγουμένῳ, πρὸς τὸ εὐχήν τε λαβεῖν συνήθως ἱκετεύοντα, εἴασεν αὐτὸν οὕτως χαμαὶ κείμενον ἄχρι τῆς κανόνος ὥρας. Revertentem alicunde domum, & vesperi ad modum pœnitentis ante pedes Præpositi prostratum, & ex more gratiam benedictionis petentem, sic humi abjectum Pater reliquit vsque ad horam canonis.*

CAPUT XI.

Monasteria duplicia vetita.

QUo disciplina monastica tuta sit, & turpium suspicionum tollatur materia, vetantur monasteria duplicia, id est, communia virorum & mulierum, Constitutionibus Justiniani, L. *Sanctissimarum.* C. *De Episc. & Cleric.* Novell. 123. capite 36. Synodo Nicæna II. can. 20. & Constitutione Gregorii I. Can. *Diffinimus.* can. *In nullo* 18. quæst. 2. & apud Gregorium libro 4. epistola 20. Indictione 4. Hujusmodi monasteria quæ erant in Compostellana provincia, sustulit Paschalis II. epistola 10. ad Didacum Compostellanum Episcopum, quæ est anni Domini 1105. *Illud omnino incongruum est, quod per regionem vestram Monachos cum Sanctimonialibus habitare audimus: ad quod resecandum experientia tua immineat, ut & qui in præsentiarum simul sunt, divisis longe habitaculis separentur, prout arbitrio & religiosorum virorum consilio melius visum fuerit, neque in posterum consuetudo hujusmodi præsumatur.* Ne Sanctimoniales vna cum Monachis vel Canonicis regularibus in eadem Ecclesia & choro conveniant officii canonici gratia, vetuit Innocentius II. in Synodo Romana can. 27. *Simili modo prohibemus ne Sanctimoniales simul cum Canonicis vel Monachis in Ecclesia in uno choro conveniant ad psallendum.* Can. *Perniciosum* 18. quæstione 2. Anno Christi 1148. Joannes Gilbertus de Semplingham Anglus, plura construxit monasteria communia servorum & ancillarum Dei, de consilio Bernardi Abbatis Clarevallensis, si credimus Guillelmo Neubrigensi rerum Anglicarum libro 1. capite 16. & inter velatas sepultus est anno Domini 1183. Rogero Hovedeno in Henrico II. Verum harum famæ non pepercit Nigellus ejus ævi Satyricus:

Harum sunt quædam steriles, quædam parientes,
Virgineoque tamen nomine cuncta tegunt.
Quæ pastoralis baculi dotatur honore,
Illa quidem melius fertiliusque parit.

Vix etiam quævis sterilis reperitur in illis,
Donec eis ætas talia posse neget.

Monasteria duplicia virorum & mulierum instituit & beata Brigita, de quibus Antoninus Florent. Chronic. part. 3. tit. 14. §. 4. Monasteria puellarum longius a monasteriis virorum collocari statuit Synodus Agathensis can. 28. *Monasteria puellarum longius a monasteriis Monachorum, aut propter insidias diaboli, aut propter oblocutiones hominum collocentur.* Can. *Monasteria* 18. quæst. 2. Duo monasteria, vnum virorum, alterum mulierum, in agro Tabennensi ad vtramque Nili ripam ex adverso collocavit Pachomius Abbas, caute medio flumine divisa, vt a crocodillis hinc inde tutus esset accessus. Palladius Historiæ Lausiacæ capite 39.

CAPUT XII.

Observatio silentii disciplinæ prior gradus.

PRIMUM disciplinæ monasticæ præceptum est observatio silentii, & hoc junioribus inprimis commendat Abbas Nestero apud Joannem Cassianum collatione 14. cap. 9. *Observate igitur inprimis, & maxime tu Joannes, cui magis ad custodienda hæc quæ dicturus sum, ætas adhuc adolescentior suffragatur, ne studium lectionis ac desiderii tui labor vana elatione cassetur, vt indicas summum ori tuo silentium. Hic est enim primus disciplinæ actualis ingressus*, &c. Silentii ante omnes perobservantes fuere Patres Ægyptii. Nitriensium institutum fuit, vt hospitibus illo adventantibus non liceret cum vllo colloqui ante horam sextam, id est, meridianam. Palladius Historiæ Lausiacæ capite 6. *μὴ συγχωρήσαντες αὐτῷ ἕως ἕκτης ὥρας μηδενὶ συντυχεῖν. Non permittentes ei, vt cum vllo colloquatur vsque ad horam sextam.* De Abbate Nitriensi, nomine Or, illud singulare memorat idem, teste Melania capite 9. ejusdem Historiæ, quod numquam esset locutus ἐκτὸς χρείας, *sine necessitate.* Macarius ipse Ægyptius Quadragesimam transegit *μὴ λαλήσας μὴ μικρὸν, μὴ μέγα, non loquens neque*

submisse, neque alte, vt refert idem capite 20. Joannes ex Episcopo Monachus per annos septem & quadraginta juge silentium coluit: vnde Silentiarius dictus, teste Cyrillo Monacho in ejus vita apud Surium 13. Maii. Inde & Monachos a silentio & quiete, quæ Græcis ἡσυχία, ἡσυχασταὶ dici placuit Novell. Justin. 5. & 133. Silentium adeo est primus gradus disciplinæ, vt Cistercienfibus indictum sit perpetuum silentium intra annum probationis. Cæsarius de Miraculis libro 4. capite 46. *Magister quidam Parisiensis ad Ordinem nostrum venire desiderans, silentium primi anni ex quadam pusillanimitate mentis ita timuit, vt Ordinem nigrorum intraret, ibique probationis annum compleret.* Solitudini juge silentium adjecere Cartusiani, velut condimentum orationis. Bernardus epistola 11. ad Cartusienses: *Verebar nimirum sanctam quam in Domino habetis, importunis scriptitationibus infestare quietem, juge illud vestrum sacrumque silentium a sæculo, susurrium cum Deo vel ad modicum interrumpere, nostraque ingerere auribus secretis penitus occupatis supernis eulogiis.* Apud Benedictinos silentium suis horis & locis qua par est religione servari moris fuit. Innocentius III. in cap. *Cum ad monasterium. de statu Monachor.* Ad Abbatem & Monachos Sublacenses, quæ fuit prima domus in qua initia religionis posuit Benedictus: *In oratorio vero, refectorio & dormitorio continuum silentium servetur.* Silentium indicitur in oratorio, id est, in Ecclesia, per tempus divini officii: ideo Abbas psallentes, si forte a modo psallendi aberrarent, plausu quem manu edebat, coercere solebat: non voce, ne in sacris silentium infringeretur. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 2. capite 11. *Denique si quispiam juniorum vel pro fervore spiritus, vel pro eo quod necdum institutus est, cœperit modum decantationis excedere, psallentis progressio senioris interdicitur plausu, quem dans manu sua in sedili quo sedet, cunctos facit ad orationem consurgere.* Adimpleto officio, vt fratres ad cellas suas redeant cum silentio, præcipit regula Benedicti capite 52. *Expleto opere Dei, omnes cum summo silentio exeant*, &c. Silentium etiam æque imperatur in mensa ac in refectorio, quo interim sacra lectio attentius audiatur, nec quicquam momenti vacet a Deo. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 4. capite 17.

Apud

Apud Ægyptios enim, vel maxime Tabennesiotas, tantum silentium ab omnibus exhibetur, vt cum in vnum tanta numerositas fratrum refectionis obtentu consederit, nullus nec mutire quidem audeat præter eum, qui suæ Decaniæ præest: qui tamen si quid mensæ superinferri vel auferri necessarium esse perviderit, sonitu potius quam voce significat. Inde regula Benedicti capite 38. *Summumque silentium fiat ad mensam, vt nullius mussitatio vel vox, nisi solius legentis, ibi audiatur.* Inde ne in mensa silentium effringeretur, Abbas fratres per signa & nutus revocabat ad preces. Joannes Climacus scal. 4. καὶ γὰρ οὐδὲ ἐπ' αὐτῆς τῆς τραπέζας, τῆς νοερᾶς ἐργασίας, ἐπαύοντο. σεσημειωμένῳ δὲ ἤδη τινὶ ἀγνώστῳ καὶ νεύματι τῆς κατὰ ψυχὴν ἑαυτοὺς προσευχῆς ὑπεμίμνησκον οἱ μακάριοι. *Ne dum ad mensam accumberent, ab cælestium rerum meditatione animum remittebant: nam more quodam per occulta signa & nutus perbeati illi seipsos in animo ad preces revocabant.* Silentium & cuique præscribitur in cella. Joannes Chrysostomus in primam ad Timoth. Homil. 14. ἕκαστος οἴκημα ἀποτεταγμένον ἔν λαβών, ἡσυχίαν διηνεκῶς ἀσκεῖ. *Vnusquisque vero præstitum habens domicilium, silentio perpetuo studet.* Silentium etiam in ipso manuum opere teneri religio fuit. Augustinus de opere Monachorum capite 3. *Et quemadmodum dicit:* (Paulus) *Præcipimus & obsecramus in Christo, vt cum silentio operantes panem suum manducent; non disputent contra manifestissima verba Apostoli, quia & hoc pertinet ad silentium, cum quo debent operantes manducare panem suum.* Ideo in statutis, quæ edita sunt pro reformatione Benedictinorum Concilio Londinensi 1238. silentium statis horis & locis restituitur, & vsus signorum apud Matthæum Paris. *Item statuimus quod silentium semper in debitis locis, temporibus & horis statutis obseruetur, & signa scire studeant omnes necessaria.* Et apud Cistercienses operæ & alia officia regularia ob studium silentii indicebantur per signa & tabulæ sonitum. Cæsarius de Miraculis libro 5. capite 6. *Fratribus ad laborem post Capitulum præparatis, cum starent circa auditorium, & expectarent tabulæ percussionem, essentque aliqui ex eis remissi per otiosam signorum consignificationem.* Inde & ne silentium evertatur multiloquio, Monachi occurrentes salu-

tant duabus voculis *Deo gratias*, tenore parvulis, sensu & caritate latissimis. Augustinus in Psalm. 132. *Hi etiam insultare nobis audent, quia fratres cum vident homines, Deo gratias dicunt. Quid est, inquiunt, Deo gratias? Itane surdus es, vt nescias quid sit Deo gratias. Qui dicit, Deo gratias, gratias agit Deo. Vide si non debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem suum: non enim non est locus gratulationis, quando se invicem vident, qui habitant in Christo.* Inde regula Patris Benedicti capite 66. *Et mox vt aliquis pulsaverit, aut pauper clamaverit, Deo gratias respondeat, aut benedicat.*



CAPUT XIII.

Cilicium interior tunica Monachorum. Notantur qui exteriorem gestabant.

INTER monasticæ disciplinæ exterioris instrumenta maximum locum tenet cilicium: sic vocant interiorem tunicam e pilis camelorum vel caprorum contextam, quæ Monachis, quorum vita est perpetua pœnitentiæ ratio, optime convenit, quia cilicium est signum pœnitentium. Hieronymus in Zachariam capite 13. in illa verba: *Confundentur Prophetæ, & induentur pelle cilicina. Hic enim erat habitus Prophetarum, vt quando populum ad pœnitentiam provocabant, induerentur cilicio.* Et idem ad Lucinium Bœticum: *Ciliciola quotidianæ symbola pœnitentiæ.* Quocirca pœnitentibus ab Episcopo cilicium super caput imponebatur. Concilium Agathense can. 15. *Pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum & cilicium super caput a Sacerdote, sicut vbique constitutum est, consequantur.* Et idem Concilium capite 9. *Episcopus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet: tunc resurgens ab oratione, juxta quod canones jubent, manus eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum operiat.* Can. *Pœnitentes.* can. *In capite* 50. distinct. Exterior vestis veterum Monachorum fuit pellicea,

interior cilicina. Hac vſus Antonius vitæ cœnobiticæ ſignifer. Athanaſius in ejus vita: τὸ δὲ ἔνδυμα εἶχεν, ἔσωθεν μὲν τριχίνιον, ἐπάνω δὲ δερμάτινον, ὃ καὶ ἕως τελευτῆς τετήρηκε. *Veſte amiciebatur interiore cilicio, exteriore pelle, quam ad vitæ finem vſque ſervavit.* Cilicio vſi Monachi Orientales, ex regula quam eis tradidit Baſilius regul. brevior. interrog. 90. ἡ μὲν τοῦ τριχίνου χρῆσις καιροὺς ἔχει ἰδίους· οὐ γὰρ χρείας σωματικῆς ἕνεκεν ἐστὶν ἡ τούτων χρῆσις, ἀλλὰ κακουχίας καὶ ταπεινώσεως ψυχῆς. *Sane cilicini vſus habet opportunitates ſuas: neque enim ad neceſſitates corporis comparatus eſt, ſed ad macerationem & afflictionem animæ.* Joannes Chryſoſtomus in Matthæum Homil. 69. καὶ ἡ στολὴ δὲ αὐτοῖς τῆς ἀνδρείας ἀξία, τοῖς μὲν ἀπὸ τριχῶν αἰγῶν, τοῖς δὲ ἀπὸ τριχῶν καμήλων· εἰσὶ δὲ οἷς καὶ δέρματα, ἤρκεσε μόνον, ἀλλὰ καὶ ταῦτα πάλαι πεπονηκότα. *Amictus autem ipſis fortitudini ſuæ conveniens eſt, etenim aliis caprarum, aliis camelorum pilis veſtes confectæ ſunt: multis coria ſolum, & ex vetuſtate conſumpta ſatisfaciunt.* Cilicio vſum Hieronymum, teſtis eſt Auguſtinus epiſtola 205. *Cilicino ſacco carnem veluti Æthiopis macerans, deſuper panno viliſſimo ſe tegebat.* Et Barlaam Monachus Regem Indorum alloquens, apud Joannem Damaſcenum in ejus vita capite 18. *Veſtes autem nobis ex aſperis ciliciis & ovium pellibus ſunt vetuſtæ omnes, atque ex variis pannis conſutæ, imbecillam noſtram carnem atterentes.* Sic Nicephorus Phocas, quo ſuſpicionem affectati imperii a ſe amoveret, apud Bringam quendam ſuadendo ſeſe de vita monaſtica cogitare, veſtem ſolvit, & interius cilicium ei oſtendit. Zonaras in Romano puero: καὶ τοῖς λόγοις πίστιν ἐδίδου, δείξας αὐτοῖς ῥάκος τὸ τρίχινον ὃ ἐν χρῷ περιέκειτο, τῇ δὲ ἔξωθεν αὐτοῦ περιβολῇ καλυπτόμενον. *Et verbis fidem fecit, oſtenſa lacerna e pilis contexta, quam nudo corpore cæteris veſtibus tectam geſtabat.* Idem Cedrenus pagina 532. Aphtonius ex Abbate Epiſcopus, nec veſtem monaſticam, nec cilicium depoſuit: Theodoritus de vit. Patrum capite 3. οὔτε τὴν ἀσκητικὴν ἐναλλάξας σισύραν, οὔτε τὸν ἐξ αἰγείων τριχῶν κατεσκευασμένον χιτῶνα. *Nec pallium mutans aſceticum, nec tunicam caprarum e pilis contextam.* Romanum depingit idem capite 11. ὁ ἐκ τριχῶν ἐσθήματι κεχρημένον, *cilicina veſte amictum.* Et Paulus Dia-

conus libro 22. *At alii monachico schemate atque cilicino vestimento contegebantur.* Cilicio carnem afflictarunt & Monachi Occidui, vt discipuli beati Martini, de quibus Severus Sulpitius in ejus vit. capite 7. *Plerique camelorum setis vestiebantur, mollior ibi habitus pro crimine erat.* De Monachis Caprariæ insulæ idem insinuat Augustinus epistola 81. ad Eudoxium. *Eustathius*, inquit, *nec Caprariam desiderat, quia nec cilicio jam quærit indui.* Et in vita beati Thomæ Cantuariens. capite 14. *Habitu monachali cum cilicio suscepto.* Et mirabile quod narrat Thomas Cantipratens. libro 2. capite 28. Beatam Virginem resarciisse cilicium ejusdem Thomæ Cantuariensis. Cilicium erat interior vestis Monachorum: & damnantur quidam qui id exterius gestabant, propter vitium elationis. Joannes Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 1. capite 3. *Quamobrem cilicinam vestem, velut circumspectam cunctis atque notabilem, & quæ ex hoc ipso non solum nulla spiritui possit emolumenta conferre, sed etiam elationis concipere vanitatem, quamquam ad necessarii operis exercitium, in quo Monachum semper impigrum expeditumque oportet incedere, inhabilis atque inepta, omnimodis refutarunt.*



CAPUT XIV.

Monachi catenis ferreis vincti.

PRÆTER cilicium alii etiam ferro & catenis palam corpus vinciebant, quod valde notatur a Patribus, propter suspicionem cenodoxiæ, quæ facile ex his irrepit. Hieronymus ad Eustochium: *Viros quoque fuge, quos videris catenatos, quibus feminei contra Apostolum crines, hircorum barba, nudum pallium.* Idemque ad Marcum Presbyterum: *Quid facit sub tunica pœnitentis regius animus? catenæ, sordes & comæ non sunt diadematis signa, sed fletus.* Epiphanius in Synops. fidei de Monachis: ἀπρεπὲς δὲ καὶ τὸ κλοιοῖς περιϊέναι. *Indecens est vinculis collo inditis incedere.* Joannes Chrysostomus

libro 3. adversus vituperator. vitæ monasticæ: Διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς ἐπὶ τὴν ἔρημον ἕλκομεν, οὐχ ἵνα σάκκον ἁπλῶς περιβάλωνται, οὐδ' ἵνα κλοιὰ περιθῶνται, ἀλλ' ἵνα πρὸς τῶν ἄλλων ἁπάντων φύγωσι μὲν κακίαν, ἕλωνται δὲ ἀρετήν. *Quocirca nos ad desertum pertrahimus, non ut cilicio induantur, torquesque ferreos sibi circumdent, aut cinerem substernant solum, sed ut imprimis vitia effugiant, eligantque virtutes.* Et Apollo Anachoreta apud Palladium Historiæ Lausiacæ capite 52. notat τοὺς τὰ σιδηρᾶ φέροντας, καὶ τοὺς κομάντας, *eos qui ferrum gestarent, & comam promitterent.* Et Apollonius apud Rufinum de vit. Patrum libro 1. capite 7. *Culpabat sane valde eos qui vel comam capitis nutriunt, vel ferrum in collo circumferunt, vel aliquid tale, quod ad ostentationem hominum fieri videatur, gerunt.* Eusebium & Jacobum Monachos ferri mole laborantes depingit Theodoritus de vit. Patrum capp. 3. 4. & 21. Damianus Polychronii discipulus ferrum gestare abnuit, veritus ne inde animo superbia intumesceret. Idem capite 24. In Gallia Hospitius inclusus catenis quas ad cutem gestabat, cilicio superinduebatur, ne apparerent. Gregorius Turonensis libro 6. capite 6. *Fuit autem apud urbem Nicensem eo tempore Hospitius reclausus magnæ abstinentiæ, qui constrictus catenis ad purum corpus ferreis, induto desuper cilicio, nihil aliud quam purum panem cum paucis dactylis comedebat.* Idem Paulus Diaconus de gestis Longobardorum libro 3. capite 1. Ferreis catenis collum, manus & pedes vinctus egit S. Senoch. Gregorius Turonensis de vit. Patrum capite 15. apud Surium 24. Octobris: *Rigorem vero hiemis sine ullo pedum tegmine pati contentus erat, manibus ac pedibus simul & collo ferrea catena revinctus.* Ferreorum vinculorum usum jam desuetum restituit Dominicus, inde dictus Loricatus, quia ferrea lorica ad carnem indutus, per tria lustra ferreis vinculis corpus & brachia vinctus vitam toleravit. Petrus Damiani in ejus vita capite 9. apud Surium 14. Octobris: *Hic denique a tribus circiter annorum lustris lorica ferrea vestitur ad carnem, duobus autem ferreis circulis in corpore cingitur, duobus item per brachiorum armos arctatur.* His exemplis Willelmus Dux Aquitaniæ stupendum genus pœnitentiæ egit, lorica

ferrea ad carnem, & desuper cilicio indutus, & casside ferrea caput tectus: sed hæc omnia magis miranda quam imitanda. In Monachis damnatur singularitatis studium, vtpote de inanis gloriæ vitio suspectum. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 11. capite 18. *Quicquid etiam in conversatione fratrum minime communis vsus recipit vel exercet, omni studio vt jactantiæ deditum declinemus, & ea quæ nos possunt inter cæteros notabiles reddere, ac veluti solis facientibus laus apud homines sit conquirenda, vitemus.* Hinc affectationis quosdam Monachos notat idem collatione 8. capite 3. qui male interpretantes illud Evangelii: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus; fecerunt sibi cruces ligneas, easque jugiter circumferentes, non ædificationem, sed risum cunctis videntibus intulerunt.*



CAPUT XV.

Vsus disciplinarum notus antiquis Patribus, restitutus a Petro Damiani. Disciplinæ vapulatio in Capitulo.

QUANTUM fovendæ disciplinæ regulari conducat quotidiana, vel saltem frequens corporis flagellatio, vel ex hoc vno intelligere est, quod ea disciplinæ nomen accepit. Ejusmodi spontaneæ castigationis vsum exemplo commendavit Paulus: de se ipso testatur is, 1. Cor. 9. *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in servitutem redigo.* Hujus generis castigationis auctorem agnoscit Paulum Gregor. Nazianzen. oratione 16. *καλὸν ὑποπιεσμὸς σώματος, καὶ πειθέτω σε Παῦλος ἑαυτὸν ἔπι παιδαγωγῶν. Pulcra res corporis castigatio, & persuadeat tibi Paulus se ipsum pædagogizans.* Disciplinarum vsum non ignotum fuisse Patribus Ægyptiis, credendum est, vel hoc argumento quod fertur a Palladio Historiæ Lausiacæ capite 6. & Heraclid. Paradis. capite 2. in Ecclesia Nitriensi tres fuisse palmas, e quarum vnaquaque pendebat flagellum: vnum ad correctionem Monachorum, al-

terum ad coercitionem latronum, tertium ad correctionem peregrinorum. Antiquum disciplinarum vsum desuetudine sublatum restituit, ac Cassinensibus suasit Petrus Damiani. Leo Ostiensis Chronic. Cassinensis libro 3. capite 21. *Domnus Petrus Damiani ad monasterium Cassinense veniens, cum verbo pariter & exemplo quoscumque posset ferventer accenderet; tandem permissione D. Abbatis ab omni Congregatione obtinuit, voluntaria oblatione in remissionem peccatorum omnium, ut sexta feria per totum annum pane & aqua contenti, disciplinam singuli facta confessione perciperent: insuper & triduanum jejunium in capite Quadragesimæ per annos singulos agerent.* Et Damianus ipse Opusculo 43. ad Monachos Cassinenses: *Observatio sextæ feriæ, dilectissimi, cui vestra sancta devotio dedicavit & jejunii salutaris inediam, & Apostolicorum verberum disciplinam, quot hominum multitudines ad exemplum salutis attraxerit, & tanquam novella divinæ plantationis oliva, in exuberantium germinum propagines pullulaverit, testes sunt non modo monasteria vestra, hoc est, quæ suorum gaudent imitari vestigia magistrorum, sed & multitudines vrbium atque villarum, quæ se communiter ingerentes atque lætantes, id ipsum plausibiliter arripiunt institutum: adeo vt plerique præ devotionis ardore concepto, nisi quantocyus hujus observantiæ suscipiant regulam, non levem se reputent propriæ salutis perferre jacturam, nullatenus ambigentes, quia dum die Veneris per corporalem alimentorum se continentiam mactant, passioni Redemptoris in veritate communicant, atque ad Dominicæ resurrectionis gloriam se pervenire non inaniter credunt, dum Christo in cruce pendente, ipsi quoque suæ carnis illecebras per abnegatæ refectionis patibulum crucifigunt.* Idem libro 5. epistola 8. *Quod igitur de monachici Ordinis exercitiis scripsi, & scoparum præcipue disciplinis Monachus Monacho specialiter misi, nec laicorum, sive etiam Clericorum notitiæ prodenda mandavi. Urbici autem Eremitæ, forenses videlicet Solitarii, Monachi universales, id solum machinati sunt de medio styli currentis excerpere, quod scandalum posset monachici fervoris arcana nescientibus generare. Sed testes mihi sunt fratres, qui sub institutione sanctæ regulæ regulariter vivunt, hoc me apicibus tradidisse, quod ipsi quotidie satagunt operibus exer-*

cere. Idem libro 6. epistola 27. ad Petrum Cerebrosum Monachum: *Hoc itaque disciplinæ genus nequaquam modernis est studiis noviter adinventum, sed ex sacræ Scripturæ potius auctoritate prolatum.* Quod probat variis exemplis, Paulino inter alia, & infra: *Nam & ante nos omnibus fere sanctis monasteriis hæc disciplinæ regula nequaquam fuit incognita, etsi non adeo frequentata: unde & singulos annos pœnitentiæ millenis scopis redimere consueverunt. Tu quoque non disciplinæ regulam, sed longioris disciplinæ detestaris insaniam, nec improbas cum disciplina dici psalmum; sed perhorrescis vt continuetur cum disciplina psalterium.* Idem Opusculo 33. capite 3. ad Desiderium Cassinensem Abbatem: *Sexta quoque feria vivificæ cruci non inconvenienter adscribitur, quæ scilicet dies pendentis in cruce Domini glorioso sanguine purpuratur: qua die omnes fratres nostri, quos vtique monasterialis Ordo connectit, hoc etiam ad cumulum propriæ salutis adjiciunt, vt & se mactent in Capitulo vicaria collisione scoparum, & insuper celebrent in pane & aqua jejunium.* Idem Leo Ostiensis Chronic. Cassinensis libro 4. capite 57. de quodam fratre: *Nam singulis noctibus in cimeterio juxta sancti Apostoli Andreæ basilicam nudus permanens, & psalmos canens, duris scoparum ictibus carnem suam affligere non desinebat.* Intemperantem & indiscretum vsum disciplinarum tamen non probat Petrus Damiani libro 6. epistola 34. ad Eremitas Congregationis suæ: *Non ignoret sancta vestra devotio, dilectissimi, quoniam disciplina ista scoparum, cui tam ferventer insistitis, sicut poterat moderata prodesse, sic agnoscitur indiscreta nocere: propterea scilicet corpora vestra viribus effœta deficiunt, & aliquando, sicut a quibusdam creditur, tot allisionibus tabefacta languescunt, nimirum cum nonnulli vestrum vnum continuum, vel etiam duo psalteria quotidie cum disciplina decurrant.* Disciplinarum vsum suscepere & Cistercienses. Cæsarius de Miraculis libro 1. capite 22. *Nobilis adolescens Dominus Adolphus, nunc Episcopus Osnaburgensis, Canonicus fuerat majoris Ecclesiæ in Colonia. Hic cum tempore quodam ad Campum, domum Ordinis nostri, venisset, & post missam ad orationem in oratorio staret, vidit quomodo Monachi, tam senes quam juvenes, ad vniversa currentes altaria, ad disciplinas*

plinas suscipiendas nudabant dorsa sua, humiliter confitentes peccata sua. Ait, in oratorio, quia disciplinæ vapulatio fiebat quibusdam locis in oratorio, id est, in Ecclesia in qua oratio fiebat: aliis locis fiebat in Capitulo, qui erat locus correctionis; vel in secretis cellæ. Petrus Damiani d. epistola ad Petrum Cerebrosum: *Detestaris illas quæ ex more fiunt in Capitulo disciplinas.* Anselmus Cantuariensis libro 3. epistola 50. *Audivi a Dn. Abbate tuo, quod majoris meriti judicas, cum Monachus se aut verberat, aut ab alio se verberari postulat, quam cum in Capitulo ex præcepto Prælati, non ex sua voluntate, vapulat. Quid non ita sicut existimas? Illud enim judicium quod sponte sibi aliquis indicit regale; illud vero quod per obedientiam in Capitulo sustinet monachicum,* &c. Et Thomas Cantipratensis libro 2. capite 16. *Apud sanctum Victorem Parisiis in monasterio Canonicorum regularium Magister Hugo Canonicus fuit, qui etsi vitæ valde laudabilis fuerit, in hoc tamen minus perfecte fecit, quod disciplinam in secreto vel in Capitulo cum aliis pro quotidianis excessibus non accepit.*



CAPUT XVI.

Humilitatis studium commendatur in Monachis, μετάνοια, prostratio, oscula pedum hospitum adventantium, sessio humi.

DISCIPLINÆ regularis præsidium & arx munitissima est modestia & humilitas, qua nititur obedientia, vnum e tribus religionis votis. Hæc est magistra & fundamentum omnium virtutum. Joannes Cassianus collatione 15. capite 7. *Humilitas est ergo omnium magistra virtutum, ipsa est cælestis ædificii firmissimum fundamentum, ipsa est donum proprium atque magnificum Salvatoris.* Ideo sanctiores Monachi omni studio vitabant omnes fastus & ostentationis illecebras. Fratres sugillabat Abbas Machetes, quod cu-

rationum gratia oleum benedicentes poſcentibus ſæcularibus darent, ob præſumptionis audaciam. Caſſianus de inſtitutione Cœnobitarum libro 5. capite 30: *Monachos qui Exorciſtarum officium affectabant, quaſi gratiam abigendorum dæmonum haberent, increpat.* Idem d. capite 7. collatione 15. *Quapropter numquam Monachos probos, nec morbo cenodoxiæ vacuos, noſtri majores eſſe dixerunt, qui ſemetipſos Exorciſtas coram hominibus profitentur, & inter admirantium turbas, hanc quam meruerunt vel præſumpſerunt gratiam, jactantiſſima oſtentatione diffamant, ſed incaſſum.* Humilitatis ſtudio pene inſanientes Monachi accedentes ad ſeniores, ad eorum pedes provolvi ſolebant. Moſchus Limonar. capite 105. *ἐν μιᾷ οὖν βάλλω αὐτῷ τὴν μετάνοιαν, λέγων· ποίησον ἀγάπην, ἀββᾶ. Die igitur quadam proſtratus ante illum dixi: Fac caritatem, Pater.* Leo Oſtienſis Chronic. Caſſinenſis libro 2. capite 96. *Surgentes tandem illi quatuor fratres, ac de more monaſterii terræ humiliter proſtrati, ſe ſolos, ignorantibus cæteris, hujus facinoris auctores fuiſſe confeſſi ſunt.* Monachi commendantes ſe precibus fratrum, ad eorum genua procidebant. Idem Oſtienſis libro 4. capite 77. *Tunc & Pontius Cluniacenſis Abbas, ob amorem ac reverentiam ſancti Benedicti, una cum duodecim fratribus Caſſinenſe monaſterium petiit, Abbatiſque noſtri Gerardi provolutus veſtigiis, dum perluſtraſſet officinas monaſterii, dixit: Mallem Decanus eſſe Caſſinenſis, quam Cluniacenſis Abbas. Demum fratrum omnium genibus provolutus, illorumque orationibus ſe intente commendans, Hieroſolymam profectus eſt.* Hoſpitum adventantium pedes oſculabantur proſtrati ad terram veteres Monachi. De Damiano Polychronii diſcipulo teſtatur Theodoritus de vit. Patrum capite 24. *οὕτως ἐςὶ τὸ φρόνημα μέτριος, ὡς ἑκάςου τῶν ὡς αὐτὸν ἀφικνουμένων, ἄμφω τὼ πόδε περιπτύσσεσθαι, καὶ τὸ μέτωπον ἐπιτιθέναι τῇ γῇ, εἴτε ςρατιώτης, εἴτε χειροτέχνης, εἴτε ἄγροικος εἴη. Tanta eſt animi modeſtia, ut ſingulorum qui ad eum veniunt, pedes amplectatur, & terræ frontem imponat, ſeu miles, ſeu opifex is fuerit, ſeu ruſticus.* Inde regula Benedicti capite 53. *Omnibus venientibus ſive diſcedentibus hoſpitibus inclinato capite, vel proſtrato omni corpore in terra,*

Christus in eis adoretur, qui & suscipitur. Et hoc genus prostrationis seu inclinationis, μετανοίαν Græci vocabant, quam in monasterio Cluniacensi ob multitudinem hospitum desiisse observari, tradit Petrus Cluniacensis libro 1. epistola 28. *Tanta certe est adventantium fere semper frequentia, ut si omnibus inclinare, vel ante omnes prosterni oporteat, si omnibus manus & pedes abluere expediat, cum eis ab ortu solis ad occasum fratres omnes esse necessarium sit, & tam in metanœis, quam in ablutione manuum & pedum totam diem expendere.* Alii etiam humilitatis studio, falso an vero, humi sedebant. Cassianus collatione 18. capite 11. *Ille nequaquam annuens deprecanti, tantis se subjiciens asserebat flagitiis involutum, ut ne usum quidem hujus communis aeris capere mereretur: psiathii quoque ipsius refugiens sessionem, humi potius residebat.* Nec est quod mireris: hic erat pœnitentium habitus, etiam humi cibum capere solebant. Cæsarius de Miraculis libro 1. capite 42. *Cum ad prandendum in terra more pœnitentium consedissent.*





CAPUT XVII.

Monachorum reverentia & obsequium erga Episcopos & Presbyteros.

SINGULARE quoque disciplinæ monasticæ rudimentum fuit, Monachorum observantia & reverentia erga Episcopos & Presbyteros, dum eis obedire, probari & placere gauderent. Christum Redemptorem omnium in Sacerdotibus & in Ecclesiæ Throno sese cernere prædicabat Pachomius Abbas, vt legitur ipsius vitæ capite 27. Monachi colebant Episcopum vt dominum & rectorem: adventanti in monasterium occurrebant cum hymnis & psalmodia. Cum Ecclesias superioris Thebaidis lustraret beatus Athanasius Alexandrinus Episcopus, accedenti ad Tabennensem eremum properans occurrit Pachomius cum omnibus Monachis, & cum hymnis & psalmis suscepit Pontificem, vt narratur ipsius Pachomii vita d. capite 27. Idem fuit obsequium omnium Monachorum erga Episcopos. Hieronymus epistola ad Theophilum Episcopum Alexandrinum: *Ad adventum, vt reor, tuum non pavet turba Monachorum; sed gaudent, cum certatim tibi procedunt obviam, & de eremi latibulis exeuntes, sua te cupiunt humilitate superare. Quid eos compellit exire? Nonne amor tui? Quis per eremum separatos in vnum cogit? Nonne tua dilectio? amari enim parens debet, amari parens, & Episcopus non timeri.* Monachi etiam parebant Episcopo vt domino & Prælato suo. Cum Athanasius exularet in monasteriis Ægypti, Monachi ei parebant vt Legislatori, ejus præcepta erant eis vice legum & tabularum Mosis: de quo Gregorius Nazianzenus oratione 21. *καὶ τοῦτο ἦν νόμος αὐτοῖς, ὅ τι ἐκείνῳ ἐδόκει· καὶ τοῦτο ἀπώμοτον πάλιν ὃ μὴ ἐδόκει· καὶ πλάκες Μωϋσέως αὐτοῖς τὰ ἐκείνου δόγματα. Et eis lex erat, quod ei videbatur: & rursus interdictum, quod ei non placebat: & tabulæ Mosis ipsis illius dogmata.* Monachi

egrediebantur e monasterio jussu Episcoporum, cum mater epistolas ab Episcopis ad Pachomium impetrasset, vt Theodorum ejus filium, qui erat vnus e Monachis Tabennensibus, videre liceret. Acceptis epistolis Pachomius fratrem evocavit, eique permisit, vt matri sui copiam faceret: de quo Theodoritus de vit. Patrum libro 2. capite 34. Beatus autem Pachomius vocavit ejus filium Theodorum, & dixit ei: *Audivi, fili, quia mater tua advenit propter te; itaque propter epistolas Episcoporum qui scripserunt ad me, vade, & videat te mater tua.* Pior Monachus, etsi sacramento se obligasset e cella non egredi, tamen facile paruit Episcopo ad se eum evocanti. Sozomenus libro 6. capite 29. Nicephorus Callistus libro 11. capite 37. Nathanael vnus e Patribus Ægyptiis, cum Episcopos, a quibus fuerat aditus, non esset discedentes prosecutus, ob voti quo tenebatur e cella pedem non efferendi, religionem, & a Diaconis Episcoporum hac de causa argueretur: ἐγὼ, inquit apud Palladium Historiæ Lausiacæ capite 18. τοὺς κυρίους μου τοὺς ἐπισκόπους σέβω, καὶ πάντα τὸν κλῆρον τιμῶ. *Ego dominos meos & Episcopos colo, & omnem Clerum.* Hieronymus ipse e Presbytero Ecclesiæ Romanæ Monachus, Episcoporum mandatis parere summo studio duxit. Testis ipse de se in Præfatione ad Chromatium & Heliodorum Episcopos: *Sed melius esse judicans Pharisæorum displicere judicio, & Episcoporum jussionibus deservire institi, vt potui.* Etiam Episcopis patuere Sanctimonialium secreta, velut extra omnem suspicionem positis. Theodoritum Cyrensem Episcopum intra septa admisere Marana & Cita Inclusæ: τῆς ἱερωσύνης τὴν προεδρίαν τιμῶσαι, vt narrat de se ipse Theodoritus de vit. Patrum capite 29. Etiam Abbates ipsi provolvebantur ad genua Episcoporum. Extat apud Epiphanium init. libri adversus hæreses epistola Acacii & Pauli Archimandritarum, qua petunt hunc librum ad se mitti, & se excusant quod non possint ob valetudinem per se ipsum petere, & provolvi ad ejus genua, αὐτοὶ κυλινδούμενοι πρὸς τοὺς πόδας σου. Monachis post Episcopum primo loco erant Presbyteri. Singulis diebus dominicis Monachi conveniebant in Ecclesiam

vicanam, & a Parocho sacramenta petebant, vt liquet ex epistola Dionysii Areopagitæ ad Demophilum Monachum. Monachi etiam infimis Clericis se minores credebant, & ab ipsis benedictionem petebant tanquam laici. Theodorito id temporis Lectori, enixe oranti vt benedictionem daret, diu restitit Zeno Ascetes, æquius esse dicens, vt eam ab illo acciperet, ἰδιώτην, id est, laicum, se dicens, illum militem ob Lectoris officium. Testis ipse Theodoritus de vit. Patrum capite 12.





ASCETICΩN

SIVE

ORIGINUM REI MONASTICÆ

LIBER SEPTIMUS.



CAPUT I.

Variæ appellationes Monachorum, Philosophi christiani, angeli, martyres, θεραπευταὶ, Nonni, Patres, καλογήροι, Monachi sancti, Canonici, religiosi. Eremus arx Ecclesiæ, scala Paradisi.



PROXIMO libro expositis his quæ pertinent ad disciplinam regularem, de dignitate Monachorum quæ oritur ex pulcherrima eorum vitæ & conversationis ratione, proximum est hoc libro tractare. Monachi sanctissimo vitæ genere ita admirationem omnium sibi conciliarunt, vt omni honorum genere a populo affecti sint, & variis nominibus digniori-

bus cohonestati. Ob christianæ sapientiæ studium, quæ in eis elucebat, Philosophi Christiani dicti, & veræ Philosophiæ sectatores. Gregorius Nazianzenus oratione 3. τὰς δὲ παρ' ἡμῖν οὐ θαυμάζεις χιλιάδας, καὶ μυριάδας, καὶ ταῦτα, καὶ τούτων ἔτι θαυμασιώτερα φιλοσοφούντων ἐν παντὶ τῷ βίῳ. *Infinitam autem illam apud nos hominum multitudinem non miraris, qui & hæc his sublimiora philosophantur in omni vitæ genere.* Idem oratione 9. in fin. πάντα χορὸν ἱερέων, χορὸν φιλοσόφων, οὐδενὶ δεσμῷ κάτω κατεχομένων, μόνα κεκτημένων τὰ σώματα, καὶ οὐδὲ αὐτὰ παντελῶς. *Omnem chorum Sacerdotum, chorum Philosophorum, nullo vinculo humo detentorum, qui sola corpora, ac ne ea quidem tota, possident.* Joannes Chrysostomus Homil. 17. ad populum Antiochenum: μόνοι δὲ οἱ διὰ τῶν ἔργων ἀληθῶς τὴν φιλοσοφίαν ἐπιδεικνύμενοι. *Soli vero qui per opera vere philosophiam exercent.* Isidorus Pelusiota libro 1. epistola 1. ad Nilum Monachum: οἱ μὲν ἅγιοι τῆς μοναχικῆς φιλοσοφίας κορυφαῖοι καὶ ἡγέμονες. *Sancti viri monasticæ philosophiæ principes & antesignani.* Joannes Climacus scal. Paradis. grad. 27. βραχύτεροι τὴν τῆς ὄντως ἡσυχίας φιλοσοφίαν ἐπιστάμενοι. *Pauciores qui veram solitariæ vitæ philosophiam exacte pernoverunt.* Christianorum sapientissimi. Procopius de bello Persico libro 1. τὸν πύργον ὃς δὴ τῶν Χριστιανῶν οἱ σωφρονέστατοι ἔλαχον, ὥσπερ καλεῖν μοναχοὺς νενομίκασι. *Turrem prope Hipponomum Christianorum sapientissimi forte custodiebant, quos Monachos vocant.* Iidem angeli dicti, quod in humano corpore angelicam fere & cælestem vitam ducerent. Theodoritus libro 4. capite 19. ἄνδρες ἐν Αἰγύπτῳ τὴν τῶν ἀγγέλων πολιτείαν ζηλώσαντες τοὺς μὲν πολιτικοὺς θορύβους ἀπέδρασαν, τὴν ἐν ἐρήμῳ δὲ προείλοντο βιοτήν. *Erant in Ægypto homines qui angelicam plane vivendi rationem summo studio excolentes, a tumultu ac strepitu civili se removerent, vitamque in solitudine degere instituerent.* Joannes Climacus scal. Paradisi gradu 27. ἡσυχαστής ἐστι τύπος ἀγγέλου ἐπίγειος. *Solitarius est terrestris forma angeli.* Eosdem angelos & martyres vocat Chrysostomus Homil. 8. in Matthæum: καὶ νῦν ἐλθὼν εἰς τὴν ἔρημον τῆς Αἰγύπτου, παραδείσου παντὸς βελτίω τὴν ἔρημον ταύτην ὄψει γεγενημένην, καὶ χοροὺς ἀγγέλων μυρίους ἐν ἀνθρωπίνοις σχήμασι, καὶ δήμους μαρτύρων, καὶ συλλόγους παρθένων. *Denique si quis nunc ad Ægypti veniat solitudinem, paradiso quovis omnem illam videbit*

bit eremum digniorem, & innumerabiles angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus, & populos martyrum, & choros virginum. Angelorum & Martyrum gloria simul coronantur Monachi tum ob vitæ puritatem, tum ob laborum & egestatis rerum omnium patientiam, & vitæ contemptum. Cæli cives propter certam pene spem cæli, quia in terris cælo & Deo perfruuntur. Chrysostomus Homil. in Matthæum 56. *οἱ τῆς ἐρήμου πολῖται, μᾶλλον δὲ οἱ τῶν οὐρανῶν πολῖται. Hi dico eremi habitatores, imo vero cælorum cives.* θεραπευταὶ, medici, curatores, quia hoc vitæ genere curantur omnes passiones & vlcera animæ. Dionysius Areopagita de Hierarch. Eccles. capite 6. *οἱ μὲν θεραπευτὰς, οἱ δὲ μοναχοὺς ὀνομάζοντες ἐκ τῆς τοῦ Θεοῦ καθαρᾶς ὑπηρεσίας καὶ θεραπείας, καὶ τῆς ἀμερίστου καὶ ἑνιαίας ζωῆς. Alii cultores, alii Monachos vocantes a puro Dei famulatu & cultu, & individua & singulari vita.* ἀσκηταὶ, exercitati, ob jugem exercitationem, per quam in genere virtutum proficiunt. Gregorius Moral. 22. capite 20. in illa verba Psalmi 83. *Exercitatus sum, & defecit paulisper spiritus.* Exercitatione, inquit, crevit spiritus Dei in me, & spiritus hominis. Nonni, id est, sancti, ob studium sanctitatis quod profitentur. Arnobius in Psalm. 105. *Ille Monachus hoc egit, ille Clericus hoc, illa Sanctimonialis hoc, si ille qui sanctus vocatur & Nonnus, sic agit.* Et idem in Psalm. 140. *Et adulantes nobis invicem in præsenti positi, sanctos nos vocamus & Nonnos.* Inde regula Benedicti capite 63. *Juniores autem Priores suos Nonnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia.* Concilium Aquisgranense anno Christi 817. canon. 54. *Et qui præponuntur, Nonni vocentur.* Cæsarius de Miraculis lib. 1. capite 7. *Hæc mihi dicta sunt a Nonno Frederico Monacho, qui tunc præsens fuit.* Et idem capite 27. ejusdem libri: *Sicut mihi dicere solitus erat Nonnus Conradus senex Monachus noster.* Idemque libro 2. capite 3. *Audi quid mihi dixerit Nonnus Cæsarius Monachus noster, quondam Abbas Prumiæ.* Inde & Sanctimoniales pari significatione Nonnæ. Hieronymus ad Eustochium: *Et quia maritorum expertæ dominatum, viduitatis præferunt libertatem, Castæ vocantur & Nonnæ.* Monachi etiam jam olim dicti Domni, modestiæ & humilitatis causa elisa voce Domini: & hoc proprium nomen fuit Abbati. Regula Bene-

dicti capite 83. *Abbas autem, quia vices Christi agere creditur, Domnus & Abbas vocetur, non sua assumptione, sed honore & amore Christi.* Ea ætate etiam ipsi Reges & Reginæ & Episcopi abstinuere appellatione Domini & Dominæ, & maluere vocari Domni & Domnæ. Gregorius Turonensis libro 9. capite 20. in exemplo pactionis initæ inter Guntranum & Childebertum Reges: *Cum in Christi nomine præcellentissimi Domni Guntchramnus & Childebertus Reges, & gloriosissima Domna Brunichildis Regina Andelaum caritatis studio convenissent.* Et idem capite 43. ejusdem libri ex epistola beatæ Radegundis ad Episcopos: *Domnis sanctis & Apostolica Sede dignissimis in Christo Patribus omnibus Episcopis.* Paulus Diaconus Historiæ Miscell. libro 22. *Gentis Francorum, quibus olim moris erat Domnum, id est, Regem secundum genus suum principari.* Honoris causa etiam Monachi dicti sunt Patres. Hieronymus in Matth. cap. 23. *Quæritur quare adversum hoc præceptum doctorem gentium Apostolus se esse dixerit, aut quomodo vulgato sermone, maxime in Palæstinæ & Ægypti monasteriis, se invicem Patres vocent.* Et idem libro 2. in epistola ad Galat. 4. *Cum Dominus noster in Evangelio præcipiat, nullum Patrem vocandum nisi Deum, nescio qua licentia in monasteriis vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquiescamus.* Eodem vsu Sanctimoniales, maxime Præpositas, Ammas seu Matres dici moris fuit. Palladius Historiæ Lausiacæ capite 42. *καὶ πεσὼν αὐτῆς εἰς τοὺς πόδας λέγει αὐτῇ· εὐλόγησόν με, Ἀμμᾶ.* Et infra: *Ἀμμᾶς ἐστιν, οὕτω γὰρ καλοῦσι τὰς πνευματικὰς μητέρας. Et cadens ad pedes ejus dicit ei: Benedic me Amma. Est Amma, sic enim vocant matres spirituales.* Monachos etiam vtriusque sexus Græci *καλογήρους* vocant, pulcros senes, quod est nomen dignitatis, potius quam ætatis. Palladius Histor. Lausiacæ cap. 103. *δακρύσας οὖν ὁ καλόγηρος. Lacrymatus ergo pulcher senex.* Et idem capite 137. de Amma Talida: *τῇ ταύτης τῆς καλογήρου διδασκαλίᾳ, illius Calogeræ doctrina.* Dorotheus doctrin. 7. *τί ἔχει πρᾶγμα ὁ Θεὸς, καλόγηρε. Quid hoc ad Deum, o Calogere?* vulgo *Calohiers*: de quo Meursius in Gloss. G. B. in voce *καλόγηρος*. Monachi sancti, Canonici regulares, quorum laxior est regula, religiosi dici solebant. Nicolaus I. in can. *Præsens* 20. quæstione 3: *Non*

enim putamus, quod absit, Canonicos religiosos a sanctorum Monachorum vita & consortio sejunctos. Monachi etiam vtriusque sexus, quod toti Dei obsequio mancipati ab aliis vacant, servorum & ancillarum Dei nomen, quod est commune omnium fidelium, proprium fecerunt, vt passim occurrit apud Asceticos auctores. Denique Monachi, quod sine invidia dixerim, Ecclesiæ decus & ornamentum, pulcherrimi flores & lapides pretiosi Ecclesiæ sunt. Hieronymus ad Marcellam, ex personis Paulæ & Eustochii: *Certe flos quidam & pretiosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta, Monachorum & virginum chorus est.* Eremus arx Ecclesiæ, & scala qua ascenditur ad Deum. Gregorius Nazianzenus orat. 2. vbi queritur se de eremo raptum ad Episcopatum: καὶ τῆς ἡμετέρας ἀκροπόλεως ἀποσπάσαι τῆς ἐρημίας, καὶ ἣν ἐγὼ πάντων μάλιστα ἠσπασάμην, καὶ ὡς συνεργὸν μητέρα τῆς θείας ἀναβάσεως, καὶ θεοποιὸν διαφερόντως ἠγάσθην. *Ad nos ab arce nostra extrahendos, hoc est, a solitudine, quam ego omnium maxime amplexus eram, ac velut cooperatricem, & matrem divinæ ascensionis, & deificantem admiratus eram.*



CAPUT II.

Primis sæculis Monachi erant extra Clerum. Constitutione Syricii hi in Clerum admissi. Cur Monachis imperatum mulieres & Episcopos fugere.

MONACHORUM dignitas suis ætatibus crevit: primis sæculis Monachi erant extra Clerum, & inter laicos censebantur. Hinc quaque die Sabbati & Dominicæ vna cum plebe conveniebant ad Ecclesiam proximæ civitatis aut vici, a Presbytero loci sacramenta petebant, & vna cum plebe communicabant. De Zenone testatur Theodoritus de vit. Patrum capite 12. εἰς τὴν θείαν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν πολλῶν κατὰ κυριακὴν ἡμέραν ἐφοίτα, τε τῶν θείων ἐπαΐων λόγων, καὶ τοῖς διδασκάλοις ὑποτιθεὶς τὰ ὦτα, καὶ τῆς μυστικῆς μεταλαμβάνων τραπέζης, εἰς τὸ καινὸν ἐκεῖνο καταγώγιον ἐπανήει. *Veniebat cum po-*

pulo ad divinam Ecclesiam die Dominico, & divinos audiebat sermones, & aures præbebat doctoribus, & mysticæ mensæ particeps factus redibat ad novum illud habitaculum. Joannes Cassianus de institutione Cœnobitarum capite 26. *Vidimus alium in solitudine commorantem, qui numquam se sibi soli indulsisse cibum testatus est; sed etiam, si per totos quinque dies ad ejus cellulam nullus e fratribus advenisset, refectionem jugiter distulisse, donec Sabbato vel Dominico die devotæ Congregationis obtentu procedens ad Ecclesiam peregrinorum quempiam reperisset.* Idem collatione 7. capite 34. *Quamobrem soporis modicum degustantes, discutiamus obrepentem oculis nostris vicina jam luce torporem, ac deinceps pariter ad Ecclesiam procedentes, quoniam nos hoc facere Dominicæ diei solemnitas commonet, reversi post synaxim, ea quæ Dominus ad instructionem communem pro desiderio vestro largitus fuerit, duplicato gaudio conferamus.* Inde notatur quidam Monachus nomine Horon, quod ad Ecclesiam non conveniret, ne quidem die Paschali. Cassianus collatione 2. capite 5. *Et laudatur Paphnutius Abbas, quod jam senior die Sabbati & Dominicæ non desineret e cella millibus quinque dissita venire ad Ecclesiam.* Idem collatione 3. capite 1. de eodem narrat idem collatione 18. capite 15. *Quod quidam e fratribus captato tempore quo Paphnutius ad Ecclesiam die Dominico processurus abesset a cella, furtim submisit codicem suum inter ejus plectas, vt eum furti accusarent.* Itaque Monachi in Ecclesia stabant extra cancellos, qui erat locus Clericorum: ita tamen vt proximi starent, medii inter Clerum & plebem. Dionysius Areopagita epistola ad Demophilum: *τοῖς δὲ τεταγμένοις θεραπευταῖς αἱ πύλαι τῶν ἀδύτων εἰσὶν ἀφωρισμέναι, καθ' ἃς δὴ τελούμεναι παριστᾶσιν, οὐ πρὸς φυλακὴν αὐτῶν, ἀλλὰ πρὸς τάξιν δὲ ἐπίγνωσιν ἑαυτῶν, μᾶλλον τοῦ λαοῦ παρὰ τοὺς ἱερατικοὺς πλησιάζοντες. Iis qui Monachi sunt ordinati, adytorum portæ segregatæ sunt, juxta quas initiantur. & adstant, non ad custodiam, sed vt ordinem recognoscant suum, sintque ipsi populo propinquiores, quam hi qui sacra ministrant, & populo ipsi quoque magis Sacerdotibus accedentes.* Et si is qui e vita excesserat, esset Clericus, ejus corpus deponebatur intra cancellos altaris: si vero Monachus aut simplex laicus, extra cancellos. Idem Eccles. Hierarch. capite 7. *εἰ δὲ τοῖς ἁγίοι*

μοναχοῖς, ἢ τῷ ἱερῷ λαῷ κατετετάχτο, παρὰ τὸ τίμιον ἱερατεῖον αὐτὸν κατακλίνει πρὸ τῆς ἱερατικῆς εἰσελεύσεως. *Sin autem sacris Monachis sanctove populo annumeratus erat, eum ad veneratione dignum chori locum collocat, ante Sacerdotum introitum.* Et cum Dominica die Monachi accederent ad Ecclesiam, faciebant oblationes tanquam laici. Hieronymus ad Heliodorum: *Alia causa est Monachorum, alia Clericorum. Clerici pascunt oves, ego pascor: illi de altario vivunt, mihi quasi infructuosæ arbori, securis ponitur ad radicem, si munus ad altare non defero.* Et dæmon specie pueri qui agebat asinum, panem in sporta ferens, interrogatus ab Abbate Nathanael, quisnam esset, respondit: ἐγὼ δή εἰμι τοῦ δὲ τοῦ μοναχοῦ τὸ μελλάκιον, καὶ ἄρτους ἀποφέρω, ἐπειδὴ ἀγάπη ἐστὶν τοῦ σοῦ γνωρίμου τοῦ δὲ τοῦ ἀδελφοῦ, καὶ αὔριον σαββάτου διαφαύοντος χρεία τῶν προσφορῶν. *Ego sum hujus Monachi minister, & fero panes, quoniam est agape tui noti fratris, & cras illucescente Sabbato opus est oblationibus.* Eorumdem canonica pœna erat, non depositio vt Clericorum, sed excommunicatio vt laicorum. Synodus Chalcedonensis can. 2. εἰ μὲν κληρικὸς εἴη, τοῦ οἰκείου ἐκπιπτέτω βαθμοῦ· εἰ δὲ λαϊκὸς, ἢ μονάζων, ἀναθεματιζέσθω. *Si sit quidem Clericus, proprio gradu excidat: si sit autem laicus vel Monachus, anathematizetur.* Idem Synodus Nicæna II. canon. 5. Synodus Ticinensis apud Aimoinum libro 5. capite 35. *Patratores & incitatores hujus consilii, siquidem Clerici fuerint, deponantur: laici vero & Monachi perpetuo anathemate feriantur.* Eadem de causa in censu Ordinum Ecclesiasticorum, Abbas locatur vltimus post Ostiarium, qui est infimus gradus Clericorum. Can. *A Subdiacono* 93. distinct. Hinc & Augustinus libro 2. de anima & ejus origine, Renatum Monachum appellat laicum. Et Hilarius Pictaviensis libro de Synodis, per laicos propositi superioris, Monachos intelligit, optima ratione, quia licet Monachi sint minores Clericis gradu & ordine, certe proposito sunt majores, quia eorum vita est scopus & exemplum perfectionis evangelicæ. Inde Monachos fratres boni propositi appellat Augustinus sermon. 1. de vita communi Cleric. *Cœpi boni propositi fratres colligere.* Et laicos velut proposito minores, laicos inferioris propositi vocat idem de opere Monachorum init. Professio regularis

scilicet est perfectius melioris vitæ propositum, quo spectantem Arsenium solitum sibi dicere: Ἀρσένιε, διὸ ἐξῆλθες: *Arseni, ad quid venisti?* refert Dorotheus doctrina 10. Postea Monachi ne plebis contagio fœdarentur, cœpere habere proprias Ecclesias seu oratoria, εὐκτήρια, & vnum e gremio Presbyterum, is erat plerumque Abbas, vel vnus e senioribus. Augustinus de moribus Ecclesiæ Catholicæ capite 33. *Vidi ego diversoria Sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus vnus Presbyter præerat vir optimus & doctissimus.* Sic Paphnutius fuit idem Abbas & vnicus Presbyter monasterii sui. Cassianus collatione 3. capite 1. *Hic namque Presbyter congregationis nostræ, id est, illius quæ in eremo Scythi morabatur, fuit*, &c. Et idem collatione 10. capite 1. *Ut præter Abbatem Paphnutium nostræ congregationis Presbyterum, nullus eam* (loquitur de epistola Theophili Alexandrini Episcopi) *cæterorum Presbyterorum, qui in eadem eremo aliis tribus Ecclesiis præsidebant, nec legi quidem aut recitari in suis conventibus prorsus admitterent.* Et nos dispari disciplina Pachomius Abbas, cum tot millia Monachorum sub ditione haberet, non ferebat quemquam inter eos esse, qui ad Clericatus ordinem promoveretur, vt legitur ipsius vitæ capite 24. Tandem excrescente multitudine Monachorum, vt consuleretur inde emergenti penuriæ Clericorum, Syricius Pontifex cum Monachis dispensavit, vt admitterentur ad Clericatum. Can. *Monachos* 16. quæstione 1. & post eum Gelasius I. Can. *Priscis* 55. distinct. Ab eo tempore quamplures Monachi per tempora ab Episcopis etiam inviti in Clerum asciti, ob vtilitatem Ecclesiæ, vt Macarius, Macedonius cognomine κριθοφάγος, Arepsimas, Salomon, Jacobus, Longi fratres, & alii, de quibus Rufinus de vit. Patrum libro 2. capite 99. Theodoritus de vit. Patrum capp. 13. 15. 19. 21. Socrates libro 6. capite 7. Nicephorus Callist. libro 13. capite 10. Ægre tulere Patres, severioris disciplinæ studiosi, fratres suos Clericos fieri, & occasione Clericatus disciplinam relaxari. Ideo illorum sententia fuit Monachos duo inprimis fugere debere, mulieres & Episcopos: mulieres, ne earum consortio fœdarentur; Episcopos, ne ordinarentur. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 10. capite 17. Mo-

nachos inani gloria accedentes ad Clericatum detestatur Cassianus de institutione Cœnobitarum libro II. capite 14. *Nonnumquam vero cenodoxia Clericatus gradum & desiderium Presbyterii vel Diaconatus immittit*, &c. Sciebant divini Patres facile Clericatus gradu intumescere Monachos: ideo ne Monachi Clericatum ambiant, nec delatum respuant, suadet Augustinus epistola 81. ad Eudoxium: *Vos autem, fratres, exhortamur in Domino, vt propositum vestrum custodiatis, & vsque ad finem perseveretis; ac si quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis*, &c. Can. *Vos autem* 16. quæstione 1. Idem fuit consilium Joannis Lycopolitæ, apud Rufinum de vit. Patrum libro 1. capite 1. *Sic ergo, filioli mei, neque fugiendum omnimodis dicimus Clericatum vel sacerdotium, neque rursus omnimodis expetendum.* Ea ætate tamen quamplures Monachi fuere inter Clericos. Hieronymus ad Eustochium: *Quod cum vidisset, occurrente sibi sancto & venerabili Episcopo Isidoro Confessore, & turbis innumerabilibus Monachorum, ex quibus multos sacerdotalis & leviticus sublimabat gradus.*



CAPUT III.

In Monachis ordinandis notabilia quædam.

CONSTITUTIONE Syricii Monachi ad Clericatum admissi sunt ob vtilitatem Ecclesiæ, nimirum ob penuriam Clericorum. Can. *Monachos* 16. quæstione 1. can. *Cum pro vtilitate*, eadem causa & quæst. Verum Monachi ab Episcopis non temere ordinandi sunt. I. Non sunt ordinandi Monachi, nisi ætate maturiores & moribus probati. d. Can. *Monachos*. d. can. *Cum pro vtilitate*. Hieronymus ad Rusticum: *Sic vive in monasterio, vt Clericus esse merearis. Multo tempore disce, quæ postmodum docens.* Et infra: *Si Clericatus te titillat desiderium, discas quod possis docere.* II. Non sunt promovendi ad Ordines sine consensu & testimonio Abbatis. Can. *Monachi* 1. & 2. 16. quæstione 1. can. 1. & 2.

58. distinct. Clement. *Ne in agro.* §. penult. *De statu Monachor.* Ideo desertores monasterii arceantur ab ordinibus, vtpote destituti testimonio Abbatis. Augustinus epistola 26. ad Aurelium : *Et ipsis etiam facilis lapsus, & ordini Clericorum sit indignissima injuria, si desertores monasteriorum ad militiam Clericatus eligantur, cum ex eis qui in monasterio permanent, non tamen nisi probatiores atque meliores in Clerum assumere soleamus.* Can. *Legi* 16. quæstione 1. Ne Monachi ordinentur sine testimonio Abbatis, optima ratione vetitum, ne vagi & desertores & nequiores ordinentur. Ideo in Concilio Arelatensi III. auditæ querelæ Lerinensium adversus Theodorum Episcopum diœcesanum, statutumque a Patribus, ne Episcopus ex toto laicorum grege aliquem Clericum ordinare, nisi Abbate postulante præsumat. Et monasteriis Galliæ id privilegii a regibus dari moris fuit, vt sine Abbatis consensu, Monachi non ordinarentur ab Episcopo. Formular. Marculf. libro 1. tit. 1. Idem concessum monasterio Corbiensi privilegio libertatis a Bertefrido Ambianensi Episcopo. Idem habetur in privilegio a Gregorio I. concesso xenodochio & monasterio Augustodunensi : de quo Gregorius ipse libro 11. epistola 11. cujus pars extat in can. *Hinc est etiam* 16. quæstione 1. III. Monachi non possunt ordinari ab alio, quam proprio Episcopo. Concil. Carthaginens. V. can. 13. Synodus Carthaginensis can. 83. Can. *Si quis* 58. distinct. Hinc a Joanne Hierosolymitano Episcopo graves querelæ excitatæ in Epiphanium Salamynæ Cypri Episcopum ; quod Paulinianum fratrem Hieronymi in monasterio ipsius in Presbyterum ordinasset : de quo se excusat Epiphanius, propria epistola ad Joannem Hierosolymitanum, quæ est inter epistolas Hieronymi, quod Paulinianus esset ex monasterio fratrum peregrinorum, qui nihil ipsius provinciæ deberent, nimirum quia de aliena diœcesi erant : & quod Hieronymus qui erat Præpositus monasterii, præ nimia humilitate non sustinebat sacra fratribus ministrare. Ante Tridentinum Concilium hoc sibi vindicabant regulares, præsertim Mendicantes, tanquam ex privilegio Apostolico, vt a quocumque Antistite ordinari possent. Sed hoc vetuit Tridentinum Concilium sessione 23. de reformat.

reformat. capite 8. quo jubetur vt vnusquisque ordinetur a proprio Episcopo, nec ab alio promoveri possit, obtentu cujusquam privilegii. Religiosi tamen ordinari possunt ab Episcopo, in cujus diœcesi situm est monasterium, in quo versantur. Cap. *Cum nullus. de temp. ordinat.* in 6. Rebuff. consil. 1. Barses & Eulogius Monachi Episcopi creati non vrbis alicujus, sed honoris causa in propriis monasteriis. Zozomenus libro 6. capite 34. Nicephorus libro 11. capp. 23. & 40. Id est, sine actu, sine administratione, ita vt nec Monachos proprios ordinare fas esset. Sic cum Adelbertus Pragensis Episcopus, sede sua pulsus, & Romæ Monachum professus, in Cassinense monasterium secessisset, a quibusdam e senioribus rogatus apud eos morari, non inutilis futurus, cum Ecclesias monasterii dicare, & Monachos ordinare posset, tanquam Episcopus valde moleste hoc tulit, nec dictis audiens fuit, ne ordini Episcopali injuria fieret. Leo Ostiensis Chronic. Cassinens. libro 2. capite 17. IV. Monachi quoque non sunt ordinandi sine examine. Can. *Si quis Monachus.* can. *Monachos.* can. *Monachi.* can. *Cum pro vtilitate* 16. quæstione 1. Concilium Tridentinum sessione 23. de reformatione capite 12. cum aliquando etiam boni Monachi sint Clerici minores, &, vt ait Augustinus in d. epistola 76. *aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat.* V. Regulares quoque ante legitimam ætatem non possunt ordinari. Cap. vltim. *De tempore ordin.* in 6. Concilium Tridentinum loco mox laudato. Tamen Daniel Monachus ob merita puritatis & mansuetudinis, a Paphnutio Abbate, cum multis junior esset ætate, ad Diaconii officium vt ordinaretur prælatus est. Cassianus collatione 4. capite 1. Hodie ex privilegio Innocentii VIII. regulares anno vigesimo-tertio inchoato, imo vigesimo secundo impleto, possunt ordinari in Presbyteros, ac tandem vigesimo secundo incœpto.





CAPUT IV.

E Monachis millia Episcoporum. Judicium Chrysostomi de Episcopis e Monachis promotis.

EX quo Monachi in Clerum asciti sunt, proximus eis gradus fuit ad Episcopatum, & certantibus votis populorum e monasteriis vocati sunt Episcopi. Ob famam vitæ sanctitatis Athanasium, vnum e Monachis, ἕνα τῶν ἀσκητῶν, Alexandrinum Episcopum lectum scimus ex Synodi Alexandrinæ epistola, quæ extat apud ipsum Athanasium Apolog. 2. de fuga. Et Athanasius idem e Monachis multos Episcopos elegit, vt Serapionem, Agathonem, Ammonium & alios: quibus exemplis Dracontium Monachum hortatur, vt suscipiat Hermopolis, quæ est civitas Ægypti, Episcopatum, in epistola ad eum scripta: *οὐ γὰρ σὺ μόνος ἐκ μοναχῶν κατεστάθης, οὐδὲ σὺ μόνος προέστας μοναστηρίου, ἢ μόνος ὑπὸ μοναχῶν ἠγαπήθης. Neque tu solus ex Monachis constitutus.* E Monachis Basilius & Gregorius Nazianzenus Ecclesiam illustrarunt. E monasterio beati Martini Turonensis Episcopi infiniti propemodum emersere Episcopi per totam Galliam. Sulpitius Severus de vita sancti Martini libro 1. *Discipuli vero octoginta erant, qui ad exemplum beati Magistri instituebantur: pluresque ex his postea Episcopos vidimus. Quæ enim esset civitas, aut Ecclesia, quæ non sibi de Martini monasterio, cuperet habere Sacerdotem?* Idem Paulinus de ejusdem vit. libro 1.

Denique mirati tantorum insignia morum
Confines populi, vicinaque mœnia, sanctos
Hinc sibi rectores studio certante petebant.

E Lerinensi cœnobio pariter manarunt quamplures sanctissimi Episcopi, vt Lupus ex Monacho Lerinensi raptus ad Episcopatum Trecensem. Sidonius libro 4. epistola 4. & libro 8. epistola 14. & in ejus vita apud Surium Julii 29. Maximus ex Abbate Lerinensi factus est Episcopus Rhegiensis. Dynam. in ejus vit. apud Surium Novembris 27. Honora-

tus idem primus Abbas & fundator monasterii Lerinensis, postea Arelatensis Episcopus extitit. Hilarius Arelatensis serm. de vita & morte ejus apud Surium Junii 16. Eucherius ex Monacho Lerinensi Lugdunensis Episcopus. Testatur ipse in libro de laudibus eremi, & Cassianus collatione 11. in præfat. quam inscripsit Honorato & Eucherio, a quibus prima anachoreseos instituta se suscepisse fatetur. Hilarius quoque ex Monacho Lerinensi fuit Episcopus Arelatensis. Leo I. epistola 80. Hos omnes percensuit Sidonius in carmine ad Faustum Reiensem:

——— Quantos illa insula plana
Miserit in cœlum mentes, quæ sancta Caprasi
Vita senis, juvenisque Lupi, quæ gratia Patrem
Mansit Honoratum, fuerit quis Maximus ille,
Urbem vel cujus Monachosque Antistes & Abbas
Bis successor agis, celebrans quoque laudibus illis
Eucherii venientis iter redeuntis Hilari.

Hos intelligit Cæsarius Arelatensis Homil. 25. vbi de monasterio Lerinensi: *Si quos accepit filios, reddit Patres, & quos nutrit parvulos, reddit magnos: recte sane, nam quamdiu in monasterio sunt, parvuli haberi debent & filii; & vbi adeo profecere, vt Clerici ordinari meruerint, & magni & Patres redduntur.* Suum monasterium habuit beatus Augustinus, e quo innumeros Ecclesiæ Africæ petiere Episcopos. Possidius in ejus vita capite 11. *Ex monasterio quod per illum venerabilem virum & esse & crescere cœperat, maximo desiderio poscere atque accipere Episcopos & Clericos, pax Ecclesiæ atque vnitas & cœpit primo, & postea consecuta est.* Antonius, vnus e discipulis Publii Abbatis, cum annos amplius 40. Monachorum choro præfuisset, factus est Episcopus, ita tenax propositi, vt nec vestem mutarit, nec cilicium, nec vivendi modum. Theodoritus de vit. Patrum capite 5. Leontius ex Asceta Ancyranus Episcopus. Præsidius multas pro Episcopo rexit vrbes. Nicephorus Callistus libro 11. capite 41. Epiphanius quoque ex Monacho Salaminæ Cypri Episcopus. Idem eodem libro cap.

Theophilus Alexandrinus Episcopus Dioscorum Monachum Sceti, quæ est in Ægypto, Hermopolis Episcopum constituit. Idem libro 3. capite 10. Eustathius ex Monacho-

rum optimo duce Sebastensis Episcopus, cujus quidam esse ferunt, quæ Basilii Magni Ascetica dicuntur. Idem libro 15. capite 29. E beati Benedicti Ordine prodiere quamplures Pontifices & Cardinales, & millia Episcoporum. Inde invitus deductus est ad Pontificatum Gregorius Magnus: vnde in epistola ad Leandrum Hispalensem Episcopum, quæ præponitur libris Moralium, queritur se de portu & quiete monasterii translatum ad curas Pontificatus. Paulus Langius in Chronic. Citizensi: *Cujus rei testis est Joannes Papa ejus nominis XXII. qui industria sua studiosa in annalibus suorum reperit antecessorum, in Ordine nostro Benedictino fuisse Pontifices 24. Cardinales 183. Archiepiscopos & Episcopos 1464. Abbates insignes quindecim millia.* E Cisterciensi Ordine exiere Eugenius III. ex Monacho Clarevallensi & Abbate sancti Anastasii Romanus Pontifex, Stephanus Prænestinus Episcopus, Hugo Ostiensis. Vita Bernardi libro 1. capite 8. *Sed & diversarum regionum civitates ex hoc collegio meruere Episcopos; inprimis Roma summo ornatur Pontifice: Præneste Stephanum habuit totius gloriæ virum: Ostia virum magnum Hugonem.* Monachi e sæculo veniunt in monasterium, vt fruantur amplexu Rachel, id est, contemplationis Dei & orationis; & inviti ab Ecclesia transferuntur in amplexum Liæ, id est, ad curam ministerii Episcopalis: & hoc est quod ait Augustinus libro 22. contra Faustum capite 58. *Quis non videat hoc geri toto orbe terrarum, venire omnes ex operibus sæculi, & ire in otium cognoscendæ & contemplandæ veritatis tanquam in amplexum Rachel, & excipi de transverso ecclesiastica necessitate, & ordinari ad laborem, tanquam Lia dicente: Ad me intrabis,* &c. Feliciter Ecclesia multos e Monachis suscepit Episcopos: multos tamen se novisse qui ex bonis Monachis minores fuissent Episcopi, scripsit Chrysostom. de Sacerdot. lib. 3.



CAPUT V.

Monachi ab initio viles & contempti. In Monachis genus non spectandum. Monachi genere clariores.

AB initio Monachorum nomen vile & exosum erat propter vitæ asperitatem & rei novitatem, & vix quisquam, nisi de plebe, hoc vitæ genus amplectebatur. Hieronymus ad Principiam: *Nulla eo tempore nobilium feminarum noverat Romæ propositum Monachorum, nec audebat propter rei novitatem ignominiosum, vt tunc putabatur, & vile in populis nomen assumere.* Idcirco vt medela adhiberetur falsæ opinioni hominum, qui hoc vitæ institutum ex genere personarum spectabant, in Monachis genus minime esse spectandum, nec plebeios rejiciendos, ait Augustinus de opere Monachorum capite 22. *Non videtis ex quam vili conditione ad monasteria plurimi veniant, qui si non admittantur, grave peccatum est.* Et Monachos genere obscuriores in clariores viros evasisse, observat Chrysostomus in primam ad Timoth. Homil. 11. πολλοὶ γὰρ πολλάκις ἀπὸ μικρῶν ὄντες, καὶ εὐτελῶν, μάκελλον μεταχειρίζοντες μόνον, καὶ οὐδὲ τῆς ἀναγκαίας μόνης ἀπορoῦντες τροφῆς, προσηγορίαν μονάζοντος ἔχοντες, πάντων μᾶλλον ἐφάνησαν, παρὰ βασιλέων ἐτιμήθησαν. ἀλλὰ μικρὰ ταῦτα. *Nempe enim complures sæpe obscuro loco nati, & qui victum antea manuum suarum labore quærebant, necessariisque alimentis egebant, quum se ad Monachorum vitam contulissent, illustriores omnibus evasere, atque a Regibus ipsis honorati sunt. Num parva ista putabimus?* Primus e senatorio genere Paulinus, excusso horrore & pudore nominis, dimissa Therasia vxore, & opibus in pauperes sparsis, Monachum professus est, & in agro Nolano secessum elegit, non sine stupore totius Senanatus. Ambrosius epistola 30. *Paulinum splendore generis in partibus Aquitaniæ nulli secundum, venditis facultatibus, tam suis quam etiam conjugalibus, in hos se induisse cultus ad fidem comperi, vt ea in pauperes conferat quæ redegit in pecuniam.*

& ipse pauper ex divite factus, tanquam deoneratus gravi sarcina, domui, patriæ, cognationi quoque valedicat, quo impensius Deo serviat. Elegisse secretum affirmatur Nolanæ vrbis, vbi tumultum fugitans ævum exigat. Hæc vbi audierint proceres viri, quæ loquentur? Ex illa familia, illa prosapia, illa indole, tanta præditum eloquentia migrasse a Senatu, interceptam familiæ nobilis successionem, ferri hoc non posse. Arsenius Romanæ Ecclesiæ Diaconus clarus in Palatio sub Theodosio, liberorumque ejus Arcadii & Honorii Præceptor, studio melioris vitæ correptus, clam e Comitatu recessit, & in eremum Scythi in Palæstinam secessit, & toto orbe anxie quæsitus a Theodosio; nuspiam repertus vitam finivit, mortalibus incognitus, soli Deo notus. Rufinus de vit. Patrum libro 2. capite 37. Zonaras in Theodosio. Temporibus Zenonis Joannes Episcopus Coloniensis in Armenia, abdicato Episcopatu Monachum professus in monasterio sancti Sabæ Abbatis in Palæstina, & ob admirabilem jugis silentii observantiam Silentiarius est dictus. Ejus vitam scripsit Cyrillus Monachus apud Surium 13. Maii. Cassiodorus vir Patricius, officio Quæstoris cum maxima laude functus apud Theodoricum Regem Gothorum, ex aula secessit, monasterium Classense ædificavit apud Scyllitanam civitatem, quæ erat ejus patria in magna Græcia, vbi consenuit: de quo meminit ipse libro divinar. lect. capite 29. Quid Gregorius I. genere senatorio natus, Monachum professus in monasterio sancti Andreæ ad clivum Scauri in propriis ædibus extructo, teste Joanne Diacono ejus vit. libro 1. capite 6. de quo ipse Homil. 11. in Ezechiel. *Et quidem in monasterio positus, valebam & ab otiosis linguam restringere, & in intentione orationis pene continuo mentem tenere.* Arnulfus ex Majore-domus Episcopus Metensis: ex Episcopo solitarius secessit in eremum, vbi vitam finivit. Sigebertus ad ann. 640. Eodem anno Earcongote filia Earconberti Regis Cantuariorum Angliæ, religionis studio migravit in Galliam, & Deo se tradidit in monasterio Brigensi, quod erat constructum a Fara Abbatissa: adhuc enim pauciora erant monasteria in Anglia. Beda lib. 3. capite 8. *Cujus filia Earcongote, vt condigna parenti soboles, magnarum fuit virtutum, indesinenter semper serviens Deo in mo-*

nasterio, quod in regione Francorum constructum est ab Abbatissa nobilissima, vocabulo Fara, in loco qui dicitur Brige: nam eo tempore necdum multis in regione Anglorum monasteriis constructis, multi de Britannia monasticæ conversationis gratia, Francorum vel Galliarum monasteria adire solebant; sed & filias suas eisdem erudiendas, ac Sponso cælesti copulandas mittebant: maxime in Brige & in Cale, & in Andilegum monasterio. Anno Christi 644. Sigebertus Rex Anglorum Orientalium, relicto regno, & tradito cognato Egrico, monasterium ingressus est, & accepta tonsura cælestem militiam suscepit. Verum hostili manu imminentibus Merciis duce Rege Penda, a suis invitus coactus monasterio egredi ad tuendos fines ab hostibus, conserta manu in prælio occisus est. Beda libro 3. capite 18. Anno Christi 668. Theodericus Rex Francorum vltro religionis causa secessit in Luxoviense monasterium. Testem oculatum habemus Ursinum in vita sancti Leodegarii apud Surium: de quo narratur etiam, quod tutelæ causa vt Ebroini insidiis se subduceret, in idem monasterium se recepit, vbi ad obitum Childerici mansit, a quo Episcopatum repetiit. Anno 653. Judocus Regis Britonum filius spreto regno & sæculo, peregrinus & Eremita in pago Pontino quievit. Sigebertus ad hunc annum. Vulgo *S. Josse*, vbi constructa est cella sancti Judoci: de qua meminit Lupus Ferrar. epistola 11. ad Lotharium. Anno 680. Wamba Rex Gothorum, insidiis Ervegii Comitis hausto letali poculo, sopore correptus, cum morti proximus crederetur, veste monastica indutus ex solemni more, qui ea ætate in Hispania obtinebat. Sed cum ad se rediisset cognito casu, vestem monasticam deponere noluit, & in monasterio vitam finivit. Ex Luca Tudens. libro 3. & gestis Concilii Toletani XII. cap. 1. Anno 704. Edilredus Rex Merciorum in Anglia, postquam regnasset annos triginta & vnum, Coenredo regno relicto, monasticam vitam amplexus est. Anno 737. Ceolvulphus Anglorum Nordanhumbrorum Rex, idem ipse, ad quem Beda scripsit libros de rebus gestis Anglorum, Eadberto regno tradito, in Monachum tonsus est. Beda in Epitome. Rogerius Hoved. ad ann. 764. Anno 740. Ina Rex Occidentalium Saxonum in Anglia, abdicato regno Monachum professus

eſt, & vna vxor ejus Edilburga velum aſſumpſit. Anno Domini 746. Carlomannus Caroli Martelli filius natu major, rebus bello paceque geſtis clariſſimus, hortante beato Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino, relicto regno fratri Pipino, Romam migravit, vbi ſuſcepto ſchemate monaſtico, ac poſtea constructo monaſterio in monte Soracte, in honorem ſancti Silveſtri Papæ, qui ibi olim diutius latuerat, ibi per tempus moram fecit. Sed vt vitaret frequentiores ſalutationes, nobilium Francorum, qui Romam veniebant, clam ſeceſſit in Caſſinenſe monaſterium, vbi diu ignotus tum coquinæ miniſterio, tum aliis vilioribus officiis ſumma cum humilitate & demiſſione animi inſerviens, ſanctiſſimam vitam duxit. Eginartus in vita Caroli Magni. Anaſtaſius in Zachar. Regino 2. Chronic. ad ann. 746. Walafrid. Strabo in vita ejuſdem Carlomanni apud Surium 16. Novembris. Leo Oſtienſis Chronic. Caſſinenſ. libro 1. capite 7. Vita Bonifacii libro 1. capite 36. Anno 750. Rachis Longobardorum Rex, cum Peruſiam obſidione vallatam teneret, aditus a Zacharia Pontifice, non modo obſidionem ſolvit, verum etiam ejus ſuaſu poſt aliquot dies Romam pergens, depoſita pupura, monaſticam veſtem aſſumpſit ab ipſo Zacharia Pontifice. Anaſtaſius in Zacharia, Leo Oſtienſis Chronic. Caſſinenſ. libro 1. capite 8. Anno 758. Eadbertus Rex Nordanhumbrorum in Anglia, dimiſſo regno filio ſuo, Monachus tonſus. Beda in Epitome. Anno 855. Lotharius diviſis ditionibus inter liberos, Prumienſe monaſterium ingreſſus, vbi habitu ſuſcepto vitam finivit. Regino 2. Chronic. Hugo Rex Italiæ in Burgundiam reverſus, ibi monaſterium conſtruxit ſub titulo ſancti Petri, ibique pecuniis traditis Monachus effectus eſt. Leo Oſtienſis libro 4. capite 64. Anno 974. Romualdus Ravennas nobiliſſima Ducum ſtirpe oriundus, in cœnobio Claſſenſi fit Monachus, e quo ad vitam eremiticam tranſiens, clariſſimam ſectam Eremitarum inſtituit, qui dicuntur Camaldulenſes. Ejus vitam ſcripſit Petrus Damiani apud Surium 19. Junii. Romualdi ſimul & Guarini Abbatis conſilio Petrus Urſeolus Dux Venetorum, in Galliam clam ſeceſſit, & in monaſterio ſancti Michaelis de Cuſano in Vaſconiæ finibus, Monachum profeſſus eſt, vbi cum

cum maxima sanctitatis laude vitam finivit. Andreas Dandulus Historiæ libro 8. capite 15. Petrus Justinianus rerum Venetarum libro 1. Arnoldus Wion in Martyrol. 11. Januar. Manuel Comnenus, sentiens se in extremis vitæ esse, pœnitentiæ causa habitum monasticum postulavit, quo a suis indutus expiravit. Nicel. libro 7. Idem de Theodoro Lascari Juniore, & de Andronico Juniore scripsit Nicephorus Gregor. libro 3. & libro 9. Anno 1194. Henricus frater Ludovici Junioris Francorum Regis, factus est Monachus Ordinis Cistercienfis. Vita Bernardi libro 4. capite 3. Inde Belvacensis Episcopus. Petrus Cluniacensis libro 6. epistola 2. & 3. Et Theobaldus Comes Campaniæ se & sua tradidit Clarevallensi monasterio, & Monachum professus est. Ejusdem Bernardi vita libro 2. capite 8. Guillelmus Comes Montispessulanus factus est Monachus Cisterciensis in monasterio Grandis-Sylvæ in pago Tolosano. Ejusdem Bernardi vita libro 4. capite 1. Eodem tempore Cistercienses Monachi facti sunt complures alii viri nobiles, vt Gaufridus de Perona, & alii. Ejusdem vita Bernardi libro 4. capite 3. Anno 1251. Fridericus II. in extremis vitæ habitum Cistercienfium suscepit. Matthæus Parisiensis. Anno 1074. Hermannus Marchio, filius Bertholdi Ducis Zeringensis, Cluniaci vitam monasticam amplexus est, vbi vita perfunctus est. Bertholdus Constantiensis ad hunc annum. Humbertus Delphinus Viennensis mœrore orbitatis filii vnici, Delphinatum consensu procerum primogenito Francorum Regis in perpetuum concessit, & Prædicatorum Ordini se dicavit.



CAPUT VI.

Monachi ex Episcopis. Seniorum e cœnobiis secessus in eremum. Laicorum secessus.

QUAMPLURES ex Monachis Episcopi per tempora Ecclesiam illustrarunt, & rursus quamplures ex Episcopis Anachoretæ & Solitarii eremum nobilitarunt. Narcissus Episcopus Hierosolymitanus, non ferens calumniam qua impetebatur, relicta sede migravit in eremum, inscientibus cunctis quo evasisset, vsque ad Gordiam tertium successorem, sub quo e latebris in medium prodiit, & sedem recepit. Eusebius libro 6. capp. 9. & 10. Pari studio solitudinis Palladius Santonensis Episcopus tempore Quadragesimæ in eremum secedebat. Gregorius Turonensis libro 8. capite 13. *Erat autem eo tempore dies Quadragesimæ sanctæ, & Episcopus in insulam maris orationis causa secesserat.* Idem de Eparchio Arvernensi Episcopo narrat idem Turonensis lib. 1. cap. 21. *Ferunt etiam ipsum in arce Cantobennici montis monasterium collocasse, vbi nunc oratorium est: & ibi se diebus Quadragesimæ sanctæ recludebat; die autem cœnæ dominicæ cum magno psallentio, comitantibus Clericis civibusque, ad Ecclesiam suam revertebatur.* Idem de Bernardo Ambianensi Episcopo fertur in vita Valerici apud Surium 1. Aprilis: *In eo autem loco Ambianensis Pontifex beatus Bernardus, diebus Quadragesimæ divinæ solitus erat contemplationi vacare.* Idem de Eadberto Lindisfarnensi Episcopo narrat Beda libro 4. capite 30. *Qui tum forte in remotiori ab Ecclesia loco, refluis vndique pelagi fluctibus cincto, solitarius manebat: in hoc etenim semper Quadragesimæ tempus agere, in hoc quadraginta ante dominicum natale dies, in magna continentiæ, orationis & lacrymarum devotione transigere solebat.* Episcopis tamen non licet renunciare Episcopatui, vt intrent monasterium, sine consensu Summi Pontificis. Can. *Suggestum* 7. quæstione 1. Can. *Sciscitaris* eadem causa quæstione 5. Cap. *Nisi cum pridem. de renunciat.* Bernardus

in vita Malachiæ: *Et primo quidem Malachias, quod altius infixerat animo, cum multis lacrymis implorabat, licere sibi vivere & mori in Claravalle, permissu & benedictione Summi Pontificis.* Rigordus in Philipp. A. ad annum 1213. *Gaufridus Sylvanectensis Episcopus sentiens se tam ætate quam corpulentia ponderosa insufficientem oneri quod jam per triginta annos portaverat, impetrata a Summo Pontifice, sicut in Jure cautum est, licentia, renunciavit Episcopatui, & transtulit se ad Monachos Karoli loci, Cisterciensis Ordinis.* Etiam Monachis non licet a monasterio secedere ad cellas, quæ intra septa monasterii ab eo sepositæ sunt, nisi post emeritos labores, nec absque consensu Abbatis. Concilium Agathense can. 2. Can. *Monachum* 20. quæstione 4. Nec hujusmodi secessus in eremum probatur, nisi in senioribus diutina conversatione in monasterio probatis. Cassianus collatione 18. in Præfat. *Ut non solum hi qui adhuc in Congregatione laudabili subjectione perdurant; sed etiam illi, qui haud longe a vestris cœnobiis secedentes, Anachoretarum sectari gestiunt disciplinam, pro conditione locorum ac status sui mensura plenius instruantur.* Unde tria inter genera Monachorum, secundum est Anachoretarum, qui prius in monasteriis instituti, & diuturna conversatione probati, solitudinis secretum elegere. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 5. capite 36. collatione 18. capite 4. Regula Benedict. capite 1. Inde cœnobia, primas scholas Anachoretarum vocat Cassianus collatione 18. capite vltimo: *De primis cœnobii scholis ad secundum anachoreseos gradum tendere cœperamus.* Idemque collatione 19. capite 2. *Ille velut imparem se anachoreticæ disciplinæ, & sublimitate tanta perfectionis indignum, ad Juniorum scholas revertisse dicebat.* Loquitur de Abbate Joanne, qui ab eremo transiit ad cœnobium, velut impar perfectioni, quæ desideratur in Anachoretis. Secessus e cœnobio in eremum desiderat virum perfectum, & in regulari disciplina consummatum. Tutior est vita cœnobitica, quæ habet socium sublevantem, & periculosum consilium anachoreseos, etiam in cœnobiis probatis. Bernardus in Cantica sermon. 33. *Ubi pascas, vbi cubes in meridie. Et tunc meridies, id est, major claritas, apparet tentans, cum quasi boni majoris imaginem præfert. Quotiens, verbi causa, suggessit*

anticipare vigilias, quoad solemnia fratrum illuderet dormitanti? Quotiens produci jejunia, vt divinis obsequiis eo inutilem redderet, quo imbecillem? Quotiens bene proficientibus in cœnobiis invidens, obtentu quasi majoris puritatis, eremum petere persuasit, & cognoverunt miseri tandem quam verus sit sermo quem frustra legerunt: Væ soli. Idem in Cantica sermon. 64. *Quantos ex monasteriis spiritu ferventes eremi solitudo suscepit, & aut tepefactos evomuit, aut tenuit contra eremi legem non modo remissos, sed etiam dissolutos.* Laicis quandoque patuit secessus in monasteriis ad tempus orationis causa. Cæsarius de Miraculis libro 4. capite 37. *Miles quidam Bonnensis, Henricus nomine, tempore quodam quadragesimali, carenam fecit apud nos,* &c. Alias eisdem secretum ruris fuit pro monasterio. Hieronymus ad Principiam de laudibus Marcellæ: *Suburbanus ager vobis pro monasterio fuit, & rus electum pro solitudine.* Paulinus epistola 29. ad Aprum oratorem: *Postquam a foro recessisset, vt Deo se daret. Et ideo rarus, vt scribis, vrbium frequentator familiare secretum taciti ruris adamasti,* &c.



CAPUT VII.

Gratia curationum, & Clerum exorcizandi datur Monachis.

INTER charismata & gratias veterum Monachorum primaria fuit gratia curationum, & donum exorcizandi, id est, adjurandi & abigendi dæmones. In his maxime claruere multi sancti Anachoretæ, quamvis laici, nulloque ordine Ecclesiastico insignes, vt Antonius, Paulus simplex, Hilarion, Macarius, & alii, qui oleo benedicto morbos curabant, & signo crucis dæmones pellebant. Athanasius in vita Antonii. Hieronymus in vita Hilarionis. Palladius Historiæ Lausiacæ capite 20. Quænam esset Patrum virtus in juvandis dæmoniacis, hoc casu satis liquebit, quod dæmon qui servum coquum graviter vexabat, a Petro Monacho inter-

rogatus, qui data sibi esset potestas in servum, tale emisit responsum, referente Theodorito de vit. Patrum capite 9. ancillas Heliopoli, quæ est vrbs Ægypti, ludentes inter se, auditis gestis Monachorum Antiochensium, & quanta in dæmones præditi essent potestate, dæmoniacas & furiosas per ludum simulasse: coquum autem illum pellicea amictum, quæ erat vestis Monachorum, solemni ritu eas adjurasse. Quæ dum fierent, omissis ancillis coquus a dæmone correptus est. Beati Patres oleo signo crucis benedicto ægros curabant. De Hilarione Hieronymus in ejus vita: *Concurrebant Episcopi, Presbyteri, Clericorum & Monachorum greges, matronæ quoque Christianorum, grandis tentatio; & hinc inde ex vrbibus & agris vulgus ignobile: sed & potentes viri, & judices, vt benedictum ab eo panem vel oleum acciperent.* Et infra: *Benedicto itaque oleo universi agricolæ atque pastores tangentes vulnera certam salutem resumebant.* De Abbate Benjamin Palladius Historiæ Lausiacæ capite 14. κατηξιώθη χαρίσματος ἰαμάτων, ὡς πάντι, ᾧ ἂν χεῖρας ἐπιθῇ, ἢ ἔλαιον εὐλογήσας ἐδίδου, πάσης ἀπηλλάττετο ἀῤῥωστίας ὁ ἐνοχλούμενος. *Dignatus fuit gratia curationum, adeo vt cuicumque manus imposuisset, aut quod benedixerat oleum dedisset, qui laborabat, liberaretur ab omni ægritudine.* De Macario idem capite 20. παραδίδωσιν οὖν αὐτὸν τῷ πατρὶ αὐτοῦ ἀλείψας αὐτὸν ἐλαίῳ ἁγίῳ. *Et tradidit eum patri, cum vnxisset oleo sancto.* De Joanne Lycop. idem capite 43. ἔλαιον δὲ διδοὺς, πλείστους τῶν καμνόντων ἐθεράπευεν. *Dans autem oleum curavit multos ex iis qui laborabant.* Eodem pharmaco vsus in Gallia Maxentius Abbas, pagi Pictaviensis: de quo Gregorius Turonensis libro 2. capite 37. *Hujus vero brachium beatus Confessor cum oleo benedicto contrectans, imposito signo crucis restituit sanum.* De Eparchio Recluso Engolismensi libro 6. capite 8. *Pusularum malarum venenum crucis signo sæpe compressit, dæmonas de obsessis corporibus oratione abegit.* Sed quia erant quidam, qui famæ sanctitatis captandæ causa, licet laici, officio Exorcistarum defungi præsumebant, hac de re eos notat Cassianus collatione 15. cap. 7. *Quapropter numquam Monachos probos, nec morbo cenodoxiæ vacuos nostri majores esse dixerunt, qui semetipsos Exorcistas coram hominibus profitentur, & inter admirantium turbas, hanc quam vel meruerunt*

vel præsumpserunt gratiam, iactantissima ostentatione diffamant: sed in cassum, &c.



CAPUT VIII.

Monachorum iudicium spectatum in rebus fidei & Ecclesiæ. Principum, Episcoporum & plebis cultus erga Monachos.

VETERES Monachi dum famam toto orbe fugiunt in eremo, veram & æternam nacti sunt: & dum in cellula latent, vniverso orbe spectaculum fuere. Et certe tantam de his virtutis opinionem plebs vniversa concepit, vt eorum iudicium in causis fidei velut sacrum oraculum desideraretur. Eos Ariani acerrimos adversarios experti, omnibus technis & artibus petierunt, vt in partes suas eos adducerent, quos plebs facile secutura esset. Nicephorus Callist. libro 11. capite 27. ἐπείτοι γε πολλοὶ τηνικαῦτα, καὶ θεσπέσιοι ἄνδρες ἦσαν τῶν κατ' Αἴγυπτον καὶ Θηβαΐδα μοναστηρίων προεστηκότες, τὴν Ἀρείου δόξαν μάλιστα ἐκτετραμμένοι· οἷς τὰ πλήθη ἑπόμενα, τὰ ἴσα φρονεῖν περὶ πολλοῦ ἐποιεῖτο. *Quandoquidem multi ea tempestate venerandi in Ægypto & Thebaide viri monasteriis præibant, Arii opinionem maxime aversantes: quos plebs ipsa sequuta, vt eadem cum illis de religione sentiret, maximi faciebat.* Ægyptii, Syri & Cappadoces Arianis aliisque hæreticis restiterunt, fidei signiferos secuti Monachos: tanta in dogmatibus fidei erat eorum auctoritas. Sozomenus libro 6. capite 27. τὸ γὰρ τῇδε πλῆθος τοὺς διαλάμψαντας μοναχοὺς τῆς ἀρετῆς τῶν ἔργων ἐθαύμαζον, ὀρθῶς αὐτοὺς δοξάζειν ἐπίστευε, καὶ τοὺς ἄλλους φρονοῦντας, οἷά γε μὴ καθαρεύοντας νόθων δογμάτων ἀπεστρέφοντο, ὥσπερ Αἰγύπτιοι τοὺς παρ' αὐτοῖς μοναχοῖς ἑπόμενοι, ἐναντίως εἶχον πρὸς τοὺς Ἀρείου. *Nam populus in hisce regionibus Monachos propter virtutem & recte facta magnopere admiratus, eos vere de fide sentire credebat, & qui aliter sentirent, illos vtpote doctrinis adulterinis corruptos detestabatur: non aliter sane atque Ægyptii, qui Monachorum suorum doctrinam secuti, Aria-*

nis strenue restiterunt. Hoc argumento potissimum probavit Petrus Alexandrinus Episcopus, Lucium, non Episcopum, nec Catholicum, sed hæreticum hostem, lupum & invasorem esse, quod cum nulli Episcopi & Clerici, nulli Monachi ad Pontificiam Sedem cum hymnis & more solemni deduxerint. Theodoritus libro 4. capite 20. *οὐ προῆγον τοῦτον μονάζοντες ὕμνους ἐκ γραφῶν ἀναμέλποντες. Non illum deduxerunt Monachi hymnos ex sacris literis depromptos concinentes.* Cæsario Episcopo Nazianzeno per animi simplicitatem in Arianismum lapso, cum Monachi ab ipsius communione sese segregassent, statim ab eo abscessit non exigua pars plebis: *τῇ ἀξιοπιστίᾳ τῶν ἀσκητῶν ἀπλῶς ἐξακολουθήσαντες, Monachorum auctoritatem aperte secuta*, vt ait Gregorius Presbyter in vita Gregorii Nazianzeni. Ecclesia Antiochena laborante schismate tres inter Episcopos, Paulinum, Meletium & Luciferum, spectatum est testimonium Monachorum, vt ille potior haberetur, quem Monachi sequebantur. Hieronymus ad Damasum: *Hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat, Monachorum circa manentium gregis antiqua in me insurgit auctoritas.* Electionem Innocentii II. factam in schismate cum Leone, hoc argumento maxime comprobavit Bernardus epistola. 126. ad Episcopos Aquitaniæ, quod omnium Monachorum assensu niteretur. *Itaque*, inquit, *Camaldulienses, Wallumbrosani, Cartusienses, Cluniacenses, & qui de Majori-monasterio sunt, mei quoque Cistercienses, Cistemblenses, Cadumenses, Tironenses, & Saviniacenses: vniversitas denique & vnanimitas fratrum tam Clericorum, quam Monachorum, regularis vitæ probatæque conversationis sequentes Episcopos, tanquam greges pastores suos, Innocentio firmiter adhærent.* Ne Canonici sedis Episcopalis Episcopum eligant absque consilio religiosorum virorum, statuit ipse Innocentius II. in Synodo generali Romæ habita. Can. *Obeuntibus* 63. distinct. Et hoc in electione Archiepiscopi Senonensis observandum consuluit Bernardus epistola 202. ad Clerum Senonensem: *Expectandum proinde suffraganeorum consilium Episcoporum, expectandus assensus religiosorum, qui sunt in Episcopatu, atque in commune tractandum commune negotium.* Quid sancti Anachoretæ Imperatorum & Principum literis & gra-

tia honorati: Antonii amicitiam coluit Constantinus, & literas honorifice scriptas ad eum misit. Athanasius in ipsius vita. Sozomenus libro 1. capite 13. Theodosius expeditionem instruens adversus Maximum tyrannum, Joannem Abbatem Lycopolitam de eventu belli consuluit, & victoriæ prænuncium ab eo accepit. Augustinus de Civitate Dei libro 5. capite 26. Rufinus libro 2. capite 32. Palladius Historiæ Lausiacæ capite 43. Cassianus collatione 24. capite vltimo. Et in hoc centuplum accipiunt Monachi, qui e servili genere vel obscuris natalibus, vltra votum ad majora perveniunt. Idem eodem loco: *Nonne obsecro etiam in hoc centuplum gratiam evidentissime, qui fideliter Christo deserviunt, consequuntur, dum pro nomine ejus a summis Principibus honorantur: ac licet ipsi humanam gloriam non requirant, venerabiles tamen, etiam in persecutionum angustiis, judicibus cunctis ac potestatibus fiunt: quorum vilitas etiam mediocribus forsitan despicabilis esse potuisset, vel pro obscuritate natalium, vel pro conditione servili, si in sæculari conversatione mansissent.* Monachos singulari observatione & cultu prosequebantur Episcopi. Episcopi suum monasterium habuere, & Monachos contubernales, socios & testes conversationis. De se ipso testatur Athanasius Apolog. 1. de fuga sua: *οἱ σὺν ἡμῖν ἐκεῖ ὄντες μοναχοὶ, καί τινες τῶν κληρικῶν ἀνελθόντες εἵλκυσαν ἡμᾶς. Monachi mei; & nonnulli ex Clericis inter abeundum me secum abstraxerunt.* Quanti Monachos fecerit Augustinus, ex eo intelliges, quod librum de gratia & libero arbitrio scripsit ad Valentinum & cum illo Monachos. Ut veris Monachis suus honor tribuatur decernit Synodus Chalcedonensis canon. 4. *οἱ ἀληθῶς καὶ εἰλικρινῶς τὸν μονήρη μετιόντες βίον, τῆς προσηκούσης ἀξιούσθωσαν τιμῆς. Qui vere & sincere monasticam vitam degunt, convenienti honore afficiantur.* Can. *Quidam* 18. quæstione 2. Monachos vt Deum & angelos colebat Thomas Cantuariensis Episcopus, vt legitur ipsius vitæ cap. 16. *Religiosos viros tanta reverentia excipiebat, vt credi posset se in eis divinam præsentiam aut angelos venerari.* Honoris causa plebs benedictionem poscens decidebat ad genua Monachorum. Hieronymus in vita Hilarionis: *Gregatim ei cum vxoribus & liberis obviam processere, submittentes colla, & voce*

Syra

Syra Barach, id eſt, Benedic, inclamantes. Rufinus de vit. Patrum libro 2. capite 120. *Ingreſſuſque cellulam, tam ſe quam infantem projecit in terram, vt eſt moris poſtulantium benedictionem.* In hoc cultus genere propenſior fuit plebs Anglicana in Clericos & Monachos. Beda libro 3. capite 26. *Tota enim tunc fuit ſollicitudo doctoribus illis Deo ſerviendi, non ſæculo; tota cura cordis excolendi, non ventris: unde & in magna erat veneratione tempore illo religionis habitus, ita vt vbicumque Clericus aliquis, aut Monachus adveniret, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus exciperetur; etiam ſi in itinere pergens inveniretur, accurrebant, & flexa cervice vel manu ſignari, vel ore illius ſe benedici gaudebant.* Eodem ſpiritu coibant agmina peregrinantium ad luſtranda monaſteria Ægypti & Orientis. Joannes Chryſoſtomus in primam ad Timoth. Homil. 14. προθυμότερος γίνου ἐν ταῖς εὐχαῖς, περιεργάζου καὶ ἁγίους ἄνδρας, τοὺς ὄντως ἁγίους, τοὺς ἐν ταῖς ἐρημίαις καθημένους, τοὺς οὐ δυναμένους ἐπαιτεῖν, τοὺς προσανέχοντας τῷ Θεῷ· βάδιζε μακρὰν ὁδὸν, δίδου διὰ σαυτοῦ. *Studioſior ad orationis opus accurre ſollicite, & ſanctos viros inquire, qui re vera ſancti ſunt, qui in ſolitudinibus ſedent, qui mendicare non valent, qui Deo ſemper ac jugiter vacant. In longinquam abi peregrinationem, per te ipſum eroga.*

CAPUT IX.

Reverentia Monachorum inter ſe. Ordo Monachorum ſpectatur a die Profeſſionis. Ordinum regularium gradus.

QUA reverentia Monachi coluntur ab aliis tum laicis, cum Clericis, eadem ipſi vti debent inter ſe. Ideo fratres invicem ſe appellant, quod eſt nomen neceſſitudinis & caritatis. Joannes Chryſoſtomus in epiſtola ad Hebræos Homil. 25. ἐὰν γάρ τις ἀδελφὸς ὀνομαζόμενος ᾖ, φησι, ἀδελφὸν ἐνταῦθα λέγων πάντα τὸν πιστὸν ἁπλῶς, οὐ τὸν μονάζοντα. *Si enim quis frater, inquit, nominatur inter nos, fratrem in hoc loco omnem fidelem ſimpliciter intellige, non Monachum ſanctum.* Can.

Ad mensam 11. quæstione 3. Ac inter fratres, ne puro, id est, nudo & simplici nomine, Petrus, Joannes, quis appelletur: sed Priores Juniores fratres appellitent, Juniores Priores suos Nonnos, quod est nomen dignitatis, statuit regula beati Patris Benedicti capite 63. *In ipsa autem appellatione nominum nulli liceat alium puro nomine appellare: sed Priores Juniores suos fratres nominent, Juniores autem Priores suos Nonnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia.* Appellationis ratio habetur inter Monachos ad tuendam reverentiam inter eos, quæ mutuis continetur obsequiis. Minoris est majorem appellare nomine meriti, id est, dignitatis: contra majoris est minorem appellare nomine proprio, vt recte observat Servius in illum locum 1. Æneidos: *Tuus, o regina, quid optes. Inferioris personæ reverentia est, majorem meritis appellare, non nomine: contra majoris est juniorem nomine tantum vocare.* Sic Dido sororem Annæ nomine compellat, illo loco 4. Æneid. *Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent?* Reverentiæ etiam tuendæ gratia inter Monachos spectatur ordo Professionis, propter quam primus, secundus & tertius designantur. Theodoritus de vit. Patrum capite 3. ὡς δὲ ἔγνωσαν τὸν ζητούμενον· τρίτος δὲ ἦν τῆς μονῆς, ἀλλ' οὐ πρῶτος. *Vbi ergo cognoverunt quem quærebat: erat autem is tertius monasterii, non primus.* Ordinem conversionis, id est, Professionis, inter fratres suos tam in choro, Capitulo, quam aliis locis, servari voluit regula Benedicti d. capite 63. *Ordines suos in monasterio ita conservent, vt conversionis tempus & vitæ meritum discernit, vtque Abbas constituerit. Ergo secundum ordines quos constituerit, vel quos habuerint ipsi fratres, sic accedant ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum, in choro standum. Et in omnibus omnino locis ætas non discernatur in ordine, nec præjudicet,* &c. Clerici sæculares ordine præcedunt omnes regulares, quia Ecclesia fundata est in ordine sæculari. Can. *Alia causa.* can. *Sic vive.* can. *Si clericatus* 16. quæstione 1. Barbos. de Paroch. part. 1. capite 9. num. 12. Ex constitutione Pii IV. Canonici regulares præcedunt Monachos Benedictinos, hos sequuntur alii omnes Monachi, juxta ætatem Ordinis. Inter Mendicantes primas tenent Fratres Prædicatores, secundas Fratres Mino-

res, tertias Eremitæ sancti Augustini, quartas Carmelitæ. Guido Papa quæstione 511. num. 5. Et hoc ordine censentur Fratres Mendicantes in cap. vnic. §. *Sane. de religios. domibus* in 6. Et Monachi districtioris regulæ gradu potiores sunt Monachis laxioris regulæ. Cap. *Quod Dei timorem.* extra *De statu Monachor.* Joannes Andreas ad cap. *Sane. de regular.* Felin. ad Rubr. *De major. & obedient.* Not. ad cap. *Quorumdam. de elect.* in 6. Si quæ de præcedentia oriantur controversiæ inter ecclesiasticas personas, tam sæculares quam regulares, in processionibus & aliis, Episcopi est eas summatim & de plano componere. Concilium Tridentinum sessione 25. *De regular.* capite 13. Capella Tolos. quæstione 489. Chopin. de S. Polit. libro 2. tit. 6. num. 16. & 2. monastic. tit. 3. numero 23.



CAPUT X.

Monachi gaudent privilegiis Clericorum. Monachi exempti a jurisdictione Episcopi, a decimis laborum suorum. Excusantur a tutelis & curationibus: immunes a vectigalibus.

MONACHI ex quo in Clerum asciti sunt, facile ob merita religionis a Sede Apostolica donati sunt omnibus privilegiis Clericorum. 1. Quia Monachi pariter atque Clerici malignitate sæculi passim expositi erant injuriis & insidiis laicorum, & impune vim patiebantur ab eis. Innocentius II. in Synodo Lateranensi, qua Petrus Leo schismaticus damnatus est, vt consuleretur securitati Clericorum & Monachorum, maxime inter turbas schismatis, legem dedit, vt si quis in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathemate teneatur, nec ab alio quam Summo Pontifice, vel ejus mandato absolvatur. Can. *Si quis suadente* 17. quæstione 4. Hujus Synodi decreta laudat Ottho Frisingens. libro 7. capite 23. Idem sancitum in Synodo Londinensi anno Christi 1142. Matthæus Paris. *In Synodo Lon-*

dinensi sancitum est ibi & generaliter constitutum, ne aliquis qui Ecclesiam cœmiteriumque violaverit, vel in Clerico, aut viro religioso manus injecerit violentas, ab alio quam ipso Papa possit absolvi. II. Monachis remissum est jusjurandum, propter religionem Professionis quæ habet vim jurisjurandi. Puta ex Constitutione Henrici II. quæ extat libro 2. Leg. Longobard. tit. *De Advoc.* & Constitutione Honorii II. Monachi perinde ac Clerici non tenentur jurare de calumnia, imo nec debent. Cap. 1. extra *De juram. calumn.* & soluti sunt ab omni juramento. Cap. *Etsi.* extra *De jurejur.* Hoc jure Abbas Cassinensis professionem fidei Innocentio II. Romano Pontifici præstare abnuebat, hoc colore, quod Monachis neque per Evangelium, neque per regulam beati Benedicti fas esset jurare. Leo Ostiensis Chronic. Cassinens. libro 4. capp. 97. 109. & 110. Et Abbates Episcopis non negabant quidem promissionem obedientiæ, sed absque sacramento: quare discordiæ sopiendæ causa, quæ erat circa id inter Episcopum & Abbatem quendam, Fulbertus epistola 41. suasit Episcopo vt reciperet promissionem obedientiæ sine jurejurando: *Igitur si Abbas sancti Benedicti de vestro contemptu culpam suam recognoverit, & illam deinceps subjectionem promiserit, quæ vobis canonice debetur, hortor & suadeo vt recipiatis. Sacramenta vero & cætera quæ ad mundanam legem pertinent, propter amorem regis Domini missa faciatis, vt religionem magis quam sæcularem ambitionem vos sectari cognoscat.* III. Ut consuleretur quieti Monachorum, & tuitioni disciplinæ regularis, quæ non fert extraneum cognitorem, hoc eis concessum est, vt liberi & soluti essent a jurisdictione Episcopi in his quæ spectant ad regulam, salva Episcopo sua jurisdictione in his quæ sunt extra regulam. Can. *Hoc tantum.* can. *Abbates* 18. quæstione 2. Cap. *Monachi.* extra *De sentent. excommunic.* Concilium Tridentinum sessione 23. *De regular.* capite 14. & Constitut. Aurel. art. 11. IV. A Sede Apostolica Monachis concessum est, vt possint sepelire eos qui apud se eligunt sepulturam, salva Parocho quarta funeris. Cap. *In nostra.* extra *De sepultura.* Clement. *Dudum* eodem titulo. Concilium Tridentinum sessione 25. *De regul.* cap. 13. V. Ex privilegiis Sedis Apostolicæ, vt consuleretur egestati

Monachorum, eis omnibus fere indultum est, vt non solverent decimas de laboribus suis, id est, de prædiis, quæ propriis manibus, aut suo sumptu excolerent. Primus Gregorius VII. Monachos absolvit ab onere præstandi decimas laborum suorum, cujus privilegium refertur ab Alexandro III. in Concilio Lateranensi part. 13. capite 9. & post eum Paschalis II. in can. *Decimas* 16. quæst. 1. Privilegio modum imposuit Adrianus IV. illud restringens ad decimas novalium, de quibus olim decimæ non solvebantur. Cap. *Commissum. de decim.* Joannes Saresber. Policratic. libro 7. capite 21. *Inde est quod cum ad iniquum compendium avaritiæ privilegia trahi conspiceret beatus Adrianus, volens ea omnino revocare, licentiam eorum hac moderatione compescuit, vt quæ de laboribus vsurpant, circa novalia duntaxat interpretetur.* Idemque Pontifex solis Cisterciensibus, Templariis & Hospitalariis indulsit decimas laborum suorum, id est, prædiorum, quæ propriis manibus vel sumptibus excolunt: cæteris vero remisit tantum decimas prædiorum, quæ propriis manibus vel sumptibus colerent. Quæ omnia confirmavit Alexander III. cap. *Ex parte. de decim.* cap. *Cum ordinem. de rescript.* Imo ne hujusmodi privilegio Ecclesiæ vltra modum gravarentur, Innocentius III. in Concilio generali Lateranensi, secutus statutum Capituli Cisterciensis, vetuit ne privilegium de non solvendis decimis, Cisterciensibus & aliis regularibus concessum, locum haberet in terris alienis, & in posterum adquirendis, etiam si eas propriis manibus & sumptibus excolerent. Cap. *Nuper.* extra *De decim.* In antequæsitis privilegium Cisterciensium, & aliorum regularium de non præstandis decimis laborum confirmavit Alexander IV. capite 2. §. *Statuimus. de decim.* in 6. Hujusmodi tamen exemptiones valde moleste tulerunt censores ejusce sæculi. Petrus Blesensis epistola 82. ex persona Richardi Archiepiscopi Cantuariensis, ad Monachos Cistercienses: *Vota & linguæ omnium in vestræ sanctitatis præconium laxarentur, nisi raperetis quod alienum est, nisi Monachis & Clericis decimas auferretis. Et quæ est hæc injuriosa immunitas, vt exempti sitis a decimarum solutione, quibus obnoxiæ terræ erant, antequam vestræ essent, & quæ solutæ sunt hactenus non perso-*

narum obtentu, sed territorii ratione. Si in vestram possessionem terræ devolutæ sunt, quare in hoc periclitatur alienum jus? Nam ad vos terræ juxta communem æquitatem cum suo onere transierunt, &c. Et Saresberiensis loco modo laudato: *Primo quidem dum religio paupertate gaudebat, & in aliorum necessitates aut vsus effundebat viscera inopiæ suæ, indulta sunt privilegia professionibus, quæ necessitate cessante, & frigescente caritate, potius avaritiæ, quam religionis instrumenta creduntur*, &c. VI. Monachi vna cum Clericis excusantur a tutelis & curis. L. *Generaliter.* C. *De Episc. & Cleric.* Imo Monachi, ne volentes quidem, possunt esse tutores vel curatores. Authent. *Presbyteros.* C. eodem tit. VII. In generali interdicto ex privilegio Sedis Apostolicæ regularibus licet voce remissa, foribus clausis, non pulsatis campanis, horas canonicas recitare, & sacra celebrare. Cap. *Quod in te.* extra *De pœnitent. & remiss.* cap. *Alma mater. de sentent. excommunicat.* in 6. Clement. 1. eodem tit. VIII. Ex privilegiis Sedis Apostolicæ regulares habent jus prædicandi suis in Ecclesiis, & audiendi confessiones sæcularium. Clement. *Dudum. de sepultur.* de quo plenius alio loco dicemus. IX. Professi in religione approbata, licet defecti natalibus, admittuntur ad Ordines & beneficia regularia alia a prælaturis. Cap. 1. extra *De filiis Presbyter.* Can. *Presbyterorum.* can. *Nisi* 56. distinct. quia professio purgat vitium natalium. Novell. Justinian. 5. de Monach. vt & solvit jugum servitutis. Authent. *Verum.* C. *De Episcop. & Cleric.* X. Monachi & Canonici regulares possunt esse Vicarii Episcoporum, quia sunt habiles ad ministeria ecclesiastica. Glossar. in can. *De præsentium* 16. quæstione 1. & in can. *Si quis* 58. distinct. Joannes Andreas in capite vltimo *De Cleric. ægrot. vel debilit.* Non sine licentia superioris sui. d. Can. *Si quis.* Concilium Tridentinum sessione 25. *De regular.* capite 4. Rebuff. in Prax. tit. *De Vicar. Episcop.* numero 30. & 31. Et Monachi ex quo in Clerum admissi sunt, sunt secundarii & adjuvæ Ecclesiæ. Augustinus in Psalm. 132. *Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus. Ergo illud primum unguentum descendit in Apostolos, descendit in illos qui primos impetus sæculi sustinuerunt. Sed si*

nequaquam a barba descendisset unguentum, modo monasteria non haberemus: sed quia descendit & in oram vestimenti, secuta est Ecclesia de veste Domini, peperit monasteria; nam vestis sacerdotalis Ecclesiam significat. Sane religiosi mendicantes arcentur a vicariatu Episcoporum. Clement. 1. *De regular.* Rebuff. d. tit. *De vicar.* num. 32. De his tractant Guido Papa quæstione 563. Marcus quæstione 1285. part. 1. Flamin. Paris. *De resignat. benefic.* libro 9. quæstione 4. num. 5. Sbrozz. *De offic. vicar.* libro 1. quæst. 37. 38. & 40. Nec modo privilegiis Pontificum, verum etiam Imperatorum cohonestati sunt Monachi. Constitutionibus Imperatorum hi erant immunes a vestigalibus. Basilius epistola 304. ad Censitorem: οἶμαι μὲν τινὰ ἤδη τύπον κεκρατῆσθαι παρὰ τῇ τιμιότητί σου τῶν μοναζόντων ἕνεκεν, ὡς μηδὲν ἡμᾶς δεῖσθαι ἰδιάζουσαν χάριν ἐπ' αὐτοῖς αἰτεῖν, ἀλλ' ἐξαρκεῖν αὐτοῖς εἰ τῆς κοινῆς μετὰ πάντων ἀπολαύσειαν φιλανθρωπίας. Et infra: ἐπιστέλλω τῇ τελείᾳ συνέσει σου τοὺς πάλαι μὲν ἀποταξαμένους τῷ βίῳ, νεκρώσαντας δὲ ἑαυτῶν τὸ σῶμα ὡς μήτε ἀπὸ χρημάτων, μήτε ἀπὸ τῆς σωματικῆς ὑπηρεσίας δύνασθαί τι παρέχειν τοῖς δημοσίοις χρήμασιν, ἀφεῖναι τῆς συντελείας. *Apud tuam dignitatem etiamnum reor constitutionem obtinere in gratiam Monachorum edictam, ut non sit mihi opus privatam iis gratiam mea causa indulgendam postulare, sed sufficere ipsis ut fruantur, & contenti sint communi & in omnes diffusa benignitate. Ad tuam prudentiam literas hasce mitto supplicaturas: velis jubeas immunes esse contributione omni, eos qui mundo quidem olim renunciarunt; corpus vero suum mortificarunt, ut ne possint aliquid vel de re sua familiari, vel de ministeriis & laboribus corporalibus, publicis adjicere vectigalibus, aut in fiscum inferre.*



CAPUT XI.

An monasteria exempta sint a lege diœcesana. Explicatur canone 3. Concilii Ilerdensis.


JURE communi monasteria subjecta sunt Episcopo in his quæ sunt legis jurisdictionis: an autem soluta sint in his quæ sunt legis diœcesanæ, ex parte tantum vel in totum, non satis convenit inter interpretes Juris canonici. Ut hæc facilius explanentur, sciendum est quod jurisdictio Episcopalis tria potissimum complectitur: ea quæ sunt ordinis, quæ jurisdictionis, & quæ legis diœcesanæ. Ordinis sunt ordinatio Clericorum, seu collatio ordinum, consecratio basilicarum, confectio chrismatis, benedictio sacrarum Virginum, consignatio seu confirmatio baptizatorum. Can. *Perlectis vers. ad Episcopum* 25. distinct. Jurisdictionis sunt canonica obedientia, subjectio & reverentia, institutio & destitutio sive degradatio Clericorum, correctio & reformatio, ac censuræ ecclesiasticæ, & jurisdictio causarum omnium quæ ad forum Ecclesiasticum pertinent. Cap. *Conquerente*. cap. *Dilectus. de offic. ordinar.* Quod ad ea quæ sunt legis diœcesanæ, lex diœcesana sumitur duobus modis, latius vel strictius. Latius sumpta continet vniversum jus Episcopi, & jurisdictionem Episcopalem: quo sensu accipienda est in cap. *Auditis. de præscript.* cap. *Quod super his. de majorit. & obedient.* cap. *Veniens. de VS.* in 6. cap. *Cum in magistrum. de elect.* vbi jus diœcesanum pro lege diœcesana. Et ita Matthæus Parisiensis in Henrico I. ad ann. 1109. *Episcopo Lincolniensi subtracto, huic novo Pontifici lege diœcesana subjicitur Comitatus.* Ea strictius sumpta continet eam partem jurisdictionis Episcopalis, quæ segregatur a lege jurisdictionis: & tunc legis diœcesanæ sunt Synodus, id est, jus cogendi Synodum, synodaticum & cathedraticum, quarta decimarum & mortuariorum, visitatio annua, & visitationis nomine procuratio, & moderatum auxilium quod caritati-

vum

vum subsidium vocant : quæ omnia colliguntur ex d. cap. *Conquerente*, & d. cap. *Dilectus*. cap. *Ad abolendam* in fine. *De hæretic*. cap. *Veniens. de V S.* in 6. Sane jure communi monasteria subjiciuntur Episcopo lege jurisdictionis, nisi probentur exempta. d. Cap. *Conquerente*. d. cap. *Dilectus*. cap. *Cum venerabilis. de religios. domibus*. can. *De persona* 11. quæstione 1. Can. *Omnes basilicæ* 16. quæstione 7. Can. *Abbates*. can. *Monasteria* 18. quæstione 2. Hoc jure coercitio Monachorum spectat ad Episcopum in his quæ sunt extra regulam. d. can. *Abbates*, & can. *Hoc tantum*, eadem causa & quæstione. Capitul. libro 6. capite 137. Vel Abbates post benedictionem præstant professionem & obedientiam Episcopo, salvo ordine. Cap. *Sane. de excess. Prælat.* cap. *Ne Dei Ecclesiam. de simon.* de quo Fulbertus epistola 41. Sed an monasteria in totum vel ex parte tantum exempta sint a lege diœcesana, liquido non convenit. Sentientes monasteria omnino libera & soluta esse a lege diœcesana, nituntur can. *Si ex laicis* 10. quæstione 1. desumpto ex can. 3. Concilii Ilerdensis : *Si ex laicis quispiam a se factam basilicam consecrari desiderat, nequaquaquam eam sub monasterii specie, vbi congregatio non colligitur, a diœcesana lege audeant segregare.* In eandem sententiam adducitur can. *Cum & pro vtilitate* 16. quæstione 1. *Ea vero quæ in jure monasterii de facultatibus offeruntur, in nullo diœcesana lege ab Episcopis contingantur.* Sed nequaquam ea est sententia horum canonum qui conjungendi sunt tanquam partes ejusdem canonis, vt monasteria omnino absolvantur a lege diœcesana. Sed in quibusdam nempe, vt solvantur a processione publica, & populari conventu, vt consuleretur quieti Monachorum. Quod confirmatum est a Gregorio I. libro 4. epistola 87. Can. *Luminoso* 18. quæstione 2. Et ne occasione legis diœcesanæ & potestatis Episcopalis quicquam in suos vsus converterent Episcopi, de oblationibus quæ a fidelibus offerrentur Monachis, quod jure singulari constitutum est, vt per hoc consuleretur inopiæ Monachorum. Idemque placuit Gregorio I. libro 2. epistola 58. ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum : *Itaut in eodem monasterio neque fraternitas tua, neque Presbyteri, præter diligentiam disciplinæ aliquid molestiarum infe-*

vant, aut si quid pro diversorum devotione commoditatis accesserit, sive aurum, sive argentum, sive prædium, sive vestimentum, omnibus modis constructio præfata possideat, cum ancillis Dei in eodem loco deservientibus debeat proficere quicquid offerri ibidem contigerit. Et revera si integrum canonem repetamus, tantum abest vt in omnibus Monachi lege diœcesana soluti intelligantur: quin etiam in cæteris lex diœcesana defenditur, ex eo quod in priori parte comprobantur canones Concilii Agathensis, & Concilii Aurelianensis. *De Monachis vero id observari placuit, quod Synodus Agathensis & Aurelianensis noscitur decrevisse.* Quo intelliguntur can. 27. 28. & 38. Agathens. & can. 11. Aurelianensis I. ex quibus constat Monachos Episcopis omnino fuisse subjectos. Et quod magis probat, monasteria non omnino soluta esse a lege diœcesana, negari non potest, Abbates tanquam lege diœcesana subditos, teneri venire ad Synodum, vt habetur in cap. *Quod super his. de major. & obed.* Quod jam olim vsu probavit Gallicana Ecclesia. Concilium Aurelianense I. can. 11. ex can. *Abbates* 18. quæstione 2. Concilium Turonense can. 2. in can. *Episcopus* 18. distinct. & Concilium Altissiodor. can. 7. *Ut medio Maio omnes Presbyteri ad Synodum in civitatem veniant, & Kalendis Novembris omnes Abbates ad Concilium conveniant.* Ad dedicationem basilicæ in honorem sancti Benigni Martyris Divionensis, a Gregorio Episcopo Lingonensi vocati Abbates diœcesis. Gregorius Turonensis de Miraculis libro 1. capite 51. *Sed sanctum sepulcrum nescio qua causa faciente foris evenit, quod ille convocavit ad hoc obsequium Abbates atque alios religiosos viros.* Ad translationem reliquiarum beati Desiderati Presbyteri, ab Agricola Arvernensi Episcopo acciti Abbates diœcesis. Idem de gloria Confessorum capite 86. *Post hæc ædificato ex xenodochio leprosorum Sacerdos suburbano in ejus basilicam collectis Abbatibus & omni Clero beatum corpus transtulit.* Eodem jure monasteria sunt subjecta visitationi Episcopi, & eo nomine debetur procuratio. Cap. *Cum ex officii.* extra *De præscript.* cap. *Sopitæ. de censib.* Gregorius libro 7. epistola 18. cap. *Visitandi* 18. quæstione 2. Alias monasteria sunt libera ab onere cathedratici. Concilium Toletanum VII. can. 4. Can. *Inter cætera* 10. quæ-

ſtione 3. Et hoc eſt quod voluit Gregorius I. in can. *Quam ſit neceſſarium* 18. quæſtione 2. *Vt nullis canonicis juribus deſeruiant.* De oblationibus tamen quæ fiunt monaſteriis, pars debetur Epiſcopo, eulogiæ vel xenii nomine, duobus caſibus: primo, ſi id actum ſit in dedicatione Eccleſiæ; altero, ſi id conſuetudine præſcripta obtinuerit. Can. *Eleutherius*, can. vltim. 18. quæſtione 2. Synodus Carthaginenſis canone 83, apud Balſamonem.



CAPUT XII.

Origo & cauſa exemptionum, earum vis & effectus. Romanus Pontifex ordinarius exemptorum. Exemptionum clades. Exemptionibus modus impoſitus.

IURE communi monaſteria omnia erant ſubjecta Epiſcopo, Synodi Chalcedonenſis can. 4. Can. *Quidam* 18. quæſtione 2. Etiam in Gallia, vbi maxime valebat poteſtas Epiſcoporum. Synodus Aurelianenſis I. can. 11. *Abbates pro humilitate religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant.* Can. *Abbates* eadem cauſa & quæſtione. Ante Gregorium I. vix auditum nomen libertatis & exemptionis Monachorum. Quod enim in Concilio Arelatenſi III. Lerinenſe monaſterium ſolutum eſt a juriſdictione Epiſcopi, limitatum fuit quoad adminiſtrationem temporalium, ſalva Epiſcopo cura diſciplinæ monaſticæ & rerum ſpiritualium. Primus Pontificum Gregorius I. propenſior in Monachos ob memoriam commilitii, fuerat enim Monachus, vt conſuleretur quieti Monachorum, ex quo tuti eſſent ab injuriis & moleſtiis quas patiebantur ab Epiſcopis, quamplura monaſteria exemit a juriſdictione Epiſcoporum, vt monaſterium Ariminenſe, monaſterium ſancti Caſſiani Maſſiliæ, monaſterium Claſſenſe Ravennatis diœceſis, monaſterium Auguſtodunenſe. Teſtis ipſe Gregorius libro 1. epiſt. 41. & 43. Can. *Luminoſo* 18. quæſtione 2. Idem libro 6. epiſtola 12. libro 7. epiſtola 18. Can. *Quam ſit neceſſarium* eadem cauſa & quæſt.

Ddd ij

Idem libro 11. epistola 10. Can. *Hinc est* 16. quæstione 1. Cassinense monasterium, caput Ordinis beati Benedicti, exemptione donavit Zacharias Pontifex. Leo Ostiensis Chronic. Cassinens. libro 1. capite 4. *Ab hoc etiam Papa sanctissimo prædictus Abbas* (Petronax) *privilegium primus accepit, vt hoc monasterium cum cellis omnibus ad se pertinentibus vbicumque terrarum constructis, ob honorem ac reverentiam sanctissimi Patris Benedicti, ab omnium Episcoporum ditione sit liberum, ita vt nullius juri subjaceat, nisi tantum Romani Pontificis.* Monasterium Fuldense in Germania a Bonifacio Episcopo Moguntino constructum ad ejusdem preces a jurisdictione ordinarii exemit idem Pontifex. Testem ipsum habemus epistola 14. ad eundem. Monasterium majus Turonense exemit Victor III. Hujus monasterii exemptionem Pontificiam tuetur Ivo Carnotensis epistola 108. *Manifeste scitis non aliunde exarsisse istam malivolentiam, nisi inde quod interdicente Sedis Apostolicæ decreto, non potest Turonensis Archiepiscopus in majori monasterio publicas missas celebrare, erga Monachos imperiose agere, bona monasterii prout libuerit vsurpare.* Eodem fere jure in Oriente Patriarcha Constantinopolitanus per σαυροπήγιον, id est, *crucis fixionem*, in vniverso suo tractu extruebat monasteria libera & soluta a jurisdictione Episcopi loci, & immediate ad se pertinentia, quæ inde dicebantur Patriarchica: de quibus Balsamo juris Orientalis libro 2. novel. 8. & in can. 7. Synod. Constantinopolit. sub Photio. In Occidente monasteriorum exemptio non ita reservata erat Summo Pontifici: quin etiam ipsi Episcopi sui juris esse præsumerent, eximere monasteria a sua jurisdictione in sua quisque diœcesi; vel etiam Reges ipsi de Episcoporum assensu, vt patet ex formulis Marculfi libro 1. capite 1. vbi memoria celebrantur exemptiones monasteriorum Lirinensis, Agaunensis, Luxoviensis, in hunc modum factæ. Sic Clodoveus II. monasterium sancti Dionysii absolvit a jurisdictione Episcopi Parisiensis de consensu Landerici ipsius vrbis Episcopi, idque in Synodo apud Clipiacum. Aimoinus libro 4. capite 41. & cœnobium sancti Basoli a propria jurisdictione exemit Nivardus Rhemensis Archiepiscopus. Flodoardus libro 2. capite 7. & Corbiense mona-

sterium a Bertefrido Ambianensi Episcopo solutum a propria jurisdictione, postulantibus Clothario III. Rege & Batilde conjuge, extat præcept. tom. 1. Conciliorum Galliæ apud Sirmondum. Exemptionem Corbiensis & Dionysiani cœnobiorum confirmavit Alexander II. epistol. 13. & 15. Frequentior exemptionum causa fuit vis & oppressio Episcoporum. Gregorius VII. libro 2. epistola 69. ad Cunibertum Taurinensem Episcopum: *An ignoras quod sancti Patres plerumque & religiosa monasteria de subjectione Episcoporum, & Episcopatus de parochia metropolitanæ sedis propter infestationem præsidentium diviserunt, & perpetua libertate donantes, Apostolicæ Sedi, velut principalia capiti suo membra, adhærere sanxerunt.* Quandoque tamen exemptioni locum dedit voluntas & devotio fundatorum. Bernardus de considerat. ad Eugenium libro 3. *Nonnulla tamen monasteria sita in diversis Episcopatibus, quæ specialius pertinuerint ab ipsa sui fundatione ad Sedem Apostolicam, pro voluntate fundatorum, quis nesciat? Sed aliud est quod largitur devotio, aliud quod molitur ambitio impatiens servitutis.* Sic Willelmus Pius, Dux Aquitaniæ, & Comes Arvernorum, cœnobium Cluniacense in pago Matisconensi a se fundatum lege fundationis subjecit Romano Pontifici, sub censu annuo decem & duorum aureorum, vt patet ex ipsis tabulis fundationis, quas edidit Andreas Quercetanus in Bibliotheca Cluniacensi, quibus congruit Ordericus Vitalis Historiæ libro 12. Et ante monasterium Fuldense a Zacharia exemptum, precibus ipsius fundatoris, id est, Bonifacii Moguntini Episcopi, vt modo dictum est. Jus exemptionis est, quod exemptum liberat a potestate & jurisdictione ordinarii, & eum transfert ad immediatam & ordinariam jurisdictionem Romani Pontificis. Et per exemptionem Summus Pontifex fit ordinarius exemptorum. Can. *Nulla* 93. dist. ne exempti sint acephali, & sicut locustæ sine rege. Can. *Quidam* 24. qu. 3. can. *Abbatibus* 18. quæst. 2. Gloss. in cap. *Auctoritate. de privileg.* in 6. Atque ita Cisterciensibus insultantibus Cluniacensibus, quasi proprium Episcopum habere detrectarent, recte respondit, Cluniacenses suum habere Episcopum Romanum Pontificem, ad quem immediate pertinerent ex lege fundationis. Locus est elegans libro 1. epi-

stola 28. ad Bernardum Abbatem Clarevallensem: *Hunc unum solum*, inquit, *& maximum nos habere Episcopum gloriamur, huic soli specialiter obedimus: ab hoc solo, si causa, quod absit, exigeret, interdici, suspendi, atque excommunicari possemus. Hoc ipsius sanctæ Sedis irrefragabilis sanxit auctoritas, nec unius tantum, sed multorum decreta inde apud nostram matricem Ecclesiam conservantur: hoc ipsi ita condiderunt, non ut hanc, de qua loquimur, Cluniacensem Ecclesiam alteri Episcopo prius eam possidenti auferrent; sed a fundatoribus qui eam in proprio alodio construxerant, rogati in propriam retinuerunt, atque soli Romano Pontifici eam in æternum subjacere decernentes, pluribus hoc privilegiis confirmaverunt.* Idem Goffridus Abbas Vindocinensis, & ipse exemptus, libro 2. epistola 27. *Acephali non sumus, quia Christum Salvatorem caput habemus, & post ipsum Romanum Pontificem.* Inde locus exemptus dicitur esse de diœcesi, non in diœcesi, quia quoad jurisdictionem Episcopalem perinde habetur ac si existeret extra diœcesim. Geminianus in cap. *Cum Episcopus. de offic. ordinar.* in 6. Fridericus Senensis consil. 16. Exemptionis beneficio velut vinculo exemptus ita tenetur Summo Pontifici, ut non possit renunciare beneficio sine licentia Summi Pontificis, id est, nisi in manibus ejus. Cap. *Dilecti. de renunciat.* cap. *Si Abbatem. de elect.* in 6. nec possit renunciare exemptioni per se sine licentia Summi Pontificis. Cap. *Cum venerabilis. de consuetud.* nec compromittere de libertate monasterii sine licentia ipsius Pontificis. Cap. *Cum tempore. de arbitr.* Alia jura exemptionis sunt, quod Episcopus diœcesanus non potest visitare monasteria, nec cathedram ibi collocare, vel missas publicas celebrare, ne popularis conventus præbeatur occasio. d. Can. *Luminoso.* Et hoc fuit jus monasterii majoris Turonensis. Ivo Carnotensis epistola 108. & Carrosensis. Innocentius III. reg. 13. epistola 18. Et exempti ordinationes Clericorum, consecrationes altarium a quocumque Episcopo petere possunt. Cap. *Constitutus. de religios. domibus.* Licet exemptiones sint privilegia & beneficia Ecclesiæ Romanæ, quæ inferioribus Ecclesiis privilegia concedere potest. Can. *Privilegia* 1. & 2. & per totum 25. quæstione 2. tamen quasi factas in necem & damnum Episcoporum, valde insectati

ſunt religioſiſſimi Patres. Bernardus Abbas Clarevallenſis vtcumque Sedi Apoſtolicæ devotiſſimus, de conſideratione ad Eugenium libro 3. *Subtrahuntur Abbates Epiſcopis, Epiſcopi Archiepiſcopis, Archiepiſcopi Patriarchis ſive Primatibus. Bona-ne ſpecies hæc? Mirum ſi excuſari queat, vel opus. Sic factitando probatis vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed juſtitiæ forte non ita: facitis hoc, quia poteſtis; ſed vtrum & debeatis, quæſtio eſt. Honorum, ac dignitatum gradus & ordines quibuſque ſuos ſervare poſiti eſtis, non invidere.* Et infra: *Nolo autem prætendas mihi fructum emancipationis ipſius: nullus eſt enim, niſi quod inde Epiſcopi inſolentiores, Monachi etiam diſſolutiores fiunt; quid quod & pauperiores? Inſpice diligentius talium vbique libertorum & facultates & vitas, ſi non pudenda admodum & tenuitas in his, & in illis ſæcularitas invenitur.* Idemque epiſtola 42. ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum: *Miror quoſdam in noſtro ordine monaſteriorum Abbates hanc humilitatis regulam odioſa contentione infringere, & ſub humili, quod pejus eſt, habitu & tonſura tam ſuperbe ſapere, Vt cum ne vnum quidem verbulum de ſuis imperiis ſubditos prætergredi patiantur, ipſi propriis obedire contemnant Epiſcopis, ſpoliant Eccleſias vt emancipentur, redimunt ſe ne obediant.* Idem Richardus Cantuarienſis Archiepiſcopus epiſtola ad Alexandrum III. apud Petrum Bleſenſem epiſtola 68. accuſat Abbatem Malmeſburienſem, quod omiſſo Sareſberienſi Epiſcopo diœceſano benedictionem expetierit a Wellenſi Epiſcopo, & infert eum dixiſſe: *Viles ſunt Abbates & miſeri, qui poteſtatem Epiſcoporum prorſus non exterminant, cum pro annua auri vncia plenam a Sede Romana poſſint aſſequi libertatem.* Et infra: *Quid eſt eximere ab Epiſcoporum juriſdictione Abbates, niſi contumaciam ac rebellionem præcipere, & armare filios in parentes? Videant, quæſo, iſta, & judicent, qui judicant orbem terræ, ne inde emanare videantur injuriæ, vnde jura ſumuntur.* Et rurſus: *Scimus equidem quod ob quietem monaſteriorum, & Epiſcoporum tyrannidem, has exemptiones plerumque Romani Pontifices indulſerunt; verumtamen in contrarium res verſa eſt, monaſteria enim quæ hoc beneficium damnatiſſimæ libertatis, ſive Apoſtolica auctoritate, ſive, quod frequentius eſt, bullis adulterinis adepta ſunt, plus inquietudinis, plus inobedientiæ, plus inopiæ incurrerunt,* &c. Etiam Epiſcopi poſ-

sunt eximere Ecclesias a sua jurisdictione, non in totum; nisi accedente consensu Summi Pontificis. Cap. *Constitutus. de religios. domibus.* cap. *Cum venerabilis. de censibus.* Et hoc distat exemptio Ecclesiæ quæ fit ab Episcopo, ab ea quæ fit a Summo Pontifice, quod Pontifex potest eximere Ecclesias in totum a jurisdictione ordinarii, propter plenitudinem potestatis. Hoc commune est inter hanc & illam, quod in exemptione Ecclesiarum vterque potest, sicut consuevit, sibi reservare annuum censum seu pensionem in signum subjectionis. d. Cap. *Constitutus.* d. cap. *Cum venerabilis.* Ut Albanensis Episcopus in exemptione Ecclesiarum, quæ erant vnitæ monasterio Cryptæ Ferratæ, sibi reservavit annuam pensionem octo denariorum: quod probat. Innocentius III. in d. cap. *Constitutus.* Sic monasterium Cluniacense & Vindocinense singula præstant annuum censum duodecim solidorum, ex tabulis fundationis ipsius monasterii Cluniacensis, & Goffrido Vindocinensi libro 1. epistola 9. & 13. Monasterium Vezeliacense libram argenti quotannis. Innocentius III. libro 1. epistola 150. Pleraque monasteria vnciam auri. Petrus Blesensis epistola 68. Monasterium sancti Michaelis in Germania, marmotimum, hoc est, denarium aureum. Albertus Argentinensis in Chronic. Et ideo per exemptiones Ecclesias depauperari, tum propter præstationem annui census, cum propter sumptum qui fiebat pro adipiscenda exemptione, aiunt Bernardus & Petrus Blesensis. Exemptionibus primum modus impositus est in Concilio Constantiensi anno Christi 1416. & sopito schismate quamplures exemptiones quas Clemens Antipapa, vt fautores vndique sibi conciliaret, indulserat, a Martino V. rescissæ sunt. Tum in Concilio Tridentino exemptiones fere evacuatæ, plerisque casibus concessa justa potestate Episcopis in exemptos, tanquam Apostolicæ Sedis delegatis, vt in casu visitationis monasteriorum, in quibus non viget disciplina regularis, & quæ non parent Capitulo generali sess. 25. *De regular.* quod comprobatum est Constit. Blesens. art. 27. in collatione Ordinum, sess. 23. *De reform.* cap. 10. & in casu tuendæ vel restituendæ clausuræ Monialium, sess. 25. *De regular.* cap. 5. de quo ante cautum est in cap. vnic. in fin. *De statu regular.* in 6. & aliis casibus qui satis noti sunt omnibus.



CAPUT



CAPUT XIII.

Monasteria sunt in mundeburde regio. Horum causæ pertinent ad curiam Principis.

MONASTERIORUM dignitatis accedit & illud argumentum, quod monasteria in Gallia sunt in mundeburde regio, id est, sub tuitione & defensione regia, perinde ac Ecclesiæ Episcopales, vt patet ex formulis Marculfi, libro 1. capite 24. cui congruit Synodus Confluentina: *Volumus vt Ecclesiæ, & Casæ Dei, & Episcopi, & Dei homines Clerici, & Monachi, & Nonnæ, talem mundeburdem & honorem habeant, sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt.* Ecclesiæ & monasteria sunt sub mundeburde regio, tum quod Ecclesia est in Republica Optato libro 3. tum quod pleræque Ecclesiæ & monasteria Regem fundatorem vel benefactorem agnoscunt: vel quia ab initio privati fundatores, vt tuta essent a prædis & injuriis laicorum, ea passim advocatiæ & tutelæ Principum commendarunt. Synodus Meldensis can. 41. *Providendum est regiæ majestati, vt monasteria quæ ab hominibus Deum timentibus in sua proprietate constructa, prædecessores illius causa defensionis & mundeburdi susceperunt, vt libera libertate remota spe hereditaria de illorum propinquitate ibidem religio observaretur, & nunc in allodium sunt data, qualiter vota fidelium inconvulsa permaneant.* Et Synodus Ticinensis can. 16. *Suggerendum est beatissimis Imperatoribus, quia hi qui monasteria & xenodochia sub defensione sacri Palatii posuerunt, ideo fecisse probantur, quod a nullo melius quam a summis potestatibus protegenda crediderunt.* Sic Wifredus Comes Bituricensis, & Oda ejus conjux, fundatores monasterii Stradensis, Pipini Regis tutelæ id credidere. Auctor vitæ sancti Genulfi libro 2. capite 8. *Quibus*, inquit, *vt se tempus obtulit opportunum, continuo de rebus eidem loco delegandis testamentum faciunt, Domnique Pipini Regis adeuntes præsentiam vota suggerunt, & locum sibi rebus decretis per testa-*

mentum, ejus potestati committunt, vt ipsius auctoritate atque Francorum deinceps Regum providentia tueretur. Sic eidem Pipino Regi monasterium sancti Galli apud Helvetios, tuitionis gratia tradidit Waltramus Comes. Ratpertus Monachus de casibus monasterii sancti Galli cap. 1. *Postea vero tempore præcedente, atque statu monasterii in melius proficiente, præfatus Waltramus eundem Abbatem Othmarum Pipino Regi præsentavit, ipsique Regi monasterium, quod adhuc hereditario jure in sua tenebat potestate, cum ipso pariter Abbate contradidit: ea videlicet causa, vt ipse Abbas ejusque successores idem monasterium regia auctoritate retinentes, nullius deinde violentia premerentur; sed tantummodo Regum jussionibus obedirent.* Nonnumquam etiam ipsæ Ecclesiæ & monasteria vltro tutelæ regiæ sese dederunt, vt Carolo Magno Laurishamense monasterium. Chronic. Laurishamense ad ann. Christi 776. *Gundelandus igitur Abbas in juris sui quieta possessione, tum dictante justitia, tum regia auctoritate confirmatus, Laurishamense monasterium cum omnibus illuc pertinentibus in manus & mundeburdem gloriosi Regis Caroli tradidit, quatenus privilegiis insigniretur regalibus.* Imo & ipsum monasterium sancti Galli Ludovici Pii tuitionem primum expetiit, si fides Sangallensi de gestis Caroli Magni libro 1. *Quod adeo verum est, vt cum fidelis ejus Abba noster Hart, nunc autem vester inclusus, ei retulerit, quod reiculæ sancti Galli, non ex regalibus donariis, sed ex privatorum traditiunculis collectæ, nullum privilegium aliorum monasteriorum, vel communes cunctorum populorum leges haberet, & ideo neminem sui defensorem, vel advocatum reperire potuissent, ipse cunctis adversariis nostris opponens advocatum se vilitatis nostræ coram cunctis principibus suis profiteri non erubuerit.* Regiæ advocatiæ præcipuum jus fuit, quod Ecclesiarum & monasteriorum, quæ illa potirentur, causæ nullo medio deferrentur ad curiam Principis, vt observatur ex prædicta formula Marculfi, & ex Synodo Ticinensi: quo jure causam de rebus monasterii Laurishamensis adversus Heimericum Comitem, ad audientiam Caroli Magni deductam refert Chronic. Laurishamense: *Heimericus Comes filius Cancronis, mortuis patre & avia, cernens præfatum locum ex parvo & modico ad tantam rerum & famæ provectum eminentiam, nitebatur eum sibi proprietatis ti-*

tulo vendicare: cujus rei actione ad palatium delata, & allegatione utriusque partis audita, juxta legem Francorum diffinitum est, Gundelandum Abbatem jure possidere quod sibi fuerat a fratre sine contradictione collatum, nec Heimericum posse repetere, quod pater ejus & mater probantur sospites in scriptis tradidisse.



CAPUT XIV.

Abbates Patres & Magistri. Abbatum jura Episcopalia. Abbatum varia privilegia.


UT Monachorum dignitas comparatione majorum magis magisque elucescat, Abbatum qui eis præsunt, quænam sit dignitas & potestas, scire opportunum est. Antequam Monachi admissi essent in Clerum, Abbates & Monachi etiam plebi Clericorum primas dabant. In Synodo Romana sub Sylvestro habita can. 7. Abbas censetur post omnes Ordines Ecclesiasticos, & post ipsum Ostiarium, cujus est infimus gradus, & post Abbatem Monachus. Can. *A Subdiacono* 93. dist. Ex quo vero Monachi in Clerum assumpti sunt, adunatis Sacerdotii & sanctitatis meritis, ad dignitatis Episcopalis apicem fere pervenerunt. Antea Præfecti Monachorum Abbates quidem, id est, Patres & Magistri inter Monachos dicebantur. Abbas est nomen dignitatis, idem sonat quod Pater. Hieronym. libro 2. in epist. ad Galat. capite 4. *Abba Pater, Abba Hebraicum est, id ipsum significans quod & Pater, & hanc consuetudinem in pluribus locis scriptura conservat, ut Hebraicum verbum cum interpretatione sua ponat. Cum autem Abba Pater Hebræo Syroque sermone dicatur, & Dominus noster in Evangelio præcipiat nullum Patrem vocandum, nisi Deum: nescio qua licentia in monasteriis vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquiescamus.* Idem Augustin. 3. de consensu Evangelist. 4. & de verb. Apostol. sermon. 13. Jo. Chrysostom. in epist. ad Roman. Homil. 14. appellationem Magistri signat. Hieronym. in vit. Hilarion. *Eodem ferme tempore Hadrianus discipulus ejus de Palæstina supervenit,*

vbi Hadrianus infelix volens Palæstinam reverti, & pristinam sub nomine Magistri quærens gloriam, multas ei fecit injurias, super hoc quia alter locus referendi non est. Hoc tantum dixerim in terrorem eorum, qui Magistros despiciunt, quod post aliquantulum temporis computruerit morbo regio. Abbates dicebantur Patres & Magistri, quia Monachi eis subditi erant, tamquam liberi patri, & discipuli magistro. Sed hujusmodi dignitas claudebatur ambitu monasterii, & latebat inter Monachos. Sed postquam Clero aggregati sunt, post Episcopos primarii facile evasere. Augustin. libr. de salutar. documentis cap. 62. *Expectatur enim dies judicii, aderit ille æquissimus judex, qui nullius potentis personam accipiet, cujus palatium auro argentoque nullus Episcopus, nec Abbas, nec Comes corrumpere poterit.* Exinde Abbates numerantur inter Prælatos & Ordinarios. Cap. *Ne pro defectu. de elect.* Cap. *Quanto. de offic. ordinar.* cap. vlt. eod. tit. in 6. Et Monachi honorem & obsequium Abbati post Deum deferre tenentur. Auctor sermon. ad fratres in erem. serm. 1. *Illum qui vobis præest, post Deum omnes sicut decet Dei famulos honorate.* Hinc honoris causa Monachorum inclinationes & prostrationes ad pedes Abbatum. Pallad. in Lausiac. cap. 42. *καὶ πεσὼν αὐτοῦ εἰς τοὺς πόδας λέγει αὐτῇ, εὐλόγησόν με, ἀμμᾶ. πεσοῦσα δὲ καὶ αὐτὴ εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ ἔλεγεν, σύ μοι εὐλόγησον, κύριέ μου. Et cadens ad pedes ejus, dicit ei, Benedic Amma; cadens autem ad pedes ejus ipsa quoque dicebat, Tu mihi benedic, Domine mi.* Damascen. orat. 1. de imaginib. *βαλὼν μετάνοιαν τοῦ Ἰωάννῃ. Joanni venerandus ad pedes se abjiciens.* Dorotheus doctrin. 4. *ἔβαλον αὐτῷ μετάνοιαν, ἵνα λάβω συγκατάθεσιν παρ' αὐτοῦ, καὶ ἀναχωρείσω. Inclinato corpore illi reverentiam exhibebam, ut data venia, & accepta benedictione discederem.* Cæsarius de Miracul. lib. 4. cap. 10. *Ad* Gloria Patri *inclinamus, necnon & Abbati, aliisque in multis locis, in quibus ordo hoc præcipit.* Ante Concordatum in electione Abbatis, vel Prioris Conventualis, qui super se Abbatem non habet, servabatur forma cap. *Quia propter*, vt in electione Episcopi. Hodie sublata electione, nominatio pertinet ad Regem, collatio ad Summum Pontificem. Ex Concordat. §. *De monasteriis. de regia ad Prælatur. nominat.* Ab eo tempore Abbatiæ & Prioratus Conventuales sunt de be-

neficiis quæ dicuntur consistorialia, quia super illis providet Papa in consistorio ad regiam nominationem, & bullæ super his expediuntur in Cancellaria sub plumbo. Abbates in quibusdam habent jura Episcopalia, vt Tonsuram & alios minores Ordines suis, id est, professis Regularibus sui monasterii, non aliis, conferre possint, modo sint benedicti & Presbyteri. Synod. Nicæn. II. can. 14. Can. *Quoniam* 69. dist. Cap. *Cum contingat. de ætat. qualit. & ordin. præfic.* Can. *Statuimus. de suppl. neglig. Prælat.* Cap. *Abbates. de privileg.* in 6. Conc. Trident. sess. 23. *De reformat.* cap. 10. Conc. Pictaviens. ann. Chr. 1109. *Ut nullus præter Episcopum coronas benedicere præsumat, exceptis Abbatibus qui illis tantummodo coronas faciant, quos in Regula beati Benedicti militaturos susceperint.* Gregor. Tur. de vit. Patr. cap. 6. apud Surium tom. 4. *Tunc Abbas ista nunciis referentibus puerum Clericum fecit.* Minores Ordines ab Abbatibus posse conferri insinuat Alexander III. in cap. *Requisivit. de ordinat. ab Episcopo qui renunciavit Episcopatui*, dum [illegible] [illegible]odi Ordines a non Episcopo quandoque conferri ait, haud dubie referens se ad Abbates qui habent jus minores Ordines conferendi. Abbates etiam possunt plebem solemniter benedicere in Ecclesiis pleno jure sibi subjectis, post Missarum & Matutinarum solemnia, non aliis in locis, nec in itinere, in transitu, nisi ex privilegio speciali, d. cap. *Abbates.* Et Conc. Trident. d. cap. 10. sess. 23. Cæsarius de miracul. lib. 3. cap. 35. *Et chorum more Abbatis circumiens, Monachis benedixit.* Inter Abbates fuere quidam dignitate & potestate præstantiores, vt Abbas Cassinensis, Abbas Cluniacensis, Abbas Vindocinensis, Abbas S. Columbani in Britannia, Fuldensis in Germania. Ex privilegio Victoris II. Abbas Cassinensis habet προεδρείαν & primam vocem in omni Conventu Ordinis inter omnes Abbates. Leo Ostiensis Chronic. Cassinens. libro 2. cap. 97. *In omni præterea Episcoporum Principumque conventu, superiorem Abbatibus omnibus sedem, & in consiliis eorum atque judiciis, priorem nihilominus sui hominibus Ordinis sententiam illi pariter & ejus successoribus omnibus Apostolica auctoritate firmavit.* Et idem dictus est Abbas Abbatum, reprehenso Abbate Cluniacensi, qui idem nominis vsurpabat. Leo Ostiensis lib.

4. cap. 62. *Quo etiam tempore dum Pontius Cluniacensis Abbas ad Synodum veniens Abbatem Abbatum se jactaret, rogatus a Joanne Cancellario, an Cluniacenses a Casinensibus, aut Casinenses a Cluniacensibus Regulam sumpsissent; respondit, non modo Cluniacenses, verum omnes in Romano orbe Monachos, Regulam Patris Benedicti a Casinensi accepisse cœnobio. Ergo, inquit Cancellarius, si a Casinensi monasterio tanquam a vivo fonte monasticæ religionis norma manavit, jure a Romanis Pontificibus Casinensi Abbati hæc prærogativa concessa est, vt ipse solus qui tanti Legiferi Vicarius est, Abbas Abbatum appelletur.* Quo ex loco intelligimus etiam Abbatem Cassinensem esse Vicarium natum Sedis Apostolicæ. Abbas Fuldensis tanta dignitate præcellit, vt in Comitiis Imperii Imperatori ad dextram assideat. Willelm. Malmesbur. de gest. Reg. Anglor. lib. 2. cap. 12. *Fuldense cœnobium est in Saxonia sancti Galli corpore insigne, & prædiis ditatum permagnificis. Ejus loci Abbas sexaginta millia bellatorum Imperatori præbet in hostem, habetque ex antiquo privilegium, vt in præcellentibus festivitatibus ad dextram ejus consideat.* Idem Continuator Bedæ libro 2. cap. 22. Abbas S. Columbani in Anglia, quod monasterium constructum a B. Columbano Hyberno Apostolo Anglorum, in insula cui Hydesti nomen, ex donatione Pictorum præest vniversæ provinciæ Pictorum, ipsis etiam Episcopis. Beda lib. 3. cap. 4. *Habere autem solet ipsa insula rectorem semper Abbatem Presbyterum, cujus juri & omnis provincia, ac ipsi etiam Episcopi ordine inusitato debeant esse subjecti, juxta exemplum primi doctoris illius, qui non Episcopus, sed Presbyter extitit & Monachus.* Abbas Cluniacensis est Cardinalis natus Ecclesiæ Romanæ, ex privilegio Callixti II. qui cum apud Cluniacum ageret, hoc privilegii impertiit Pontio Abbati, & ejus successoribus, vt essent Cardinales nati, & hoc titulo eum per annuli traditionem investivit : de quo Petrus Cluniacensis lib. 6. epist. 46. *Senatui Romanorum Episcoporum, vel Cardinalium non tantum adjungebar, sed & quandoque adjungi cogebar, &c.* Abbas quoque Vindocinensis est Cardinalis natus. B. Priscæ Ecclesiam in titulum Cardinalem Abbati Vindocinensi cum dignitate Cardinali concessit Alexander II. confirmavit Gregorius VII. Verum factione Guiberti pseudo-

Pontificis ademptam a Paschali II. repetiit Goffridus Abbas Vindocinensis, & prius ejusdem investituram recepit ab Urbano II. de quo ipse Goffrid. lib. 1. epist. 10. & 26. In Episcopalibus Synodis & Conciliis Abbates primum locum obtinent post Episcopos. Cap. *Ex ore sedentis. de privilegiis.* Sed Abbati Fuldensi hoc jus præcipuum est, quod in conventu Episcoporum assidet Episcopo Moguntino. Lambert. Schafnaburgens. de reb. gest. Germanor. ad ann. 1063. *Consuetudo erat in regno per multos retro majores observata, ut semper in conventu Episcoporum Abbas Fuldensis Archiepiscopo Moguntino proximus assideret.* Idem in supplement. Helmod. lib. 3. cap. 9.



CAPUT XV.

Abbatum insignia Episcopalia: his modus adhibitus a Clemente IV. Abbatum sigillum authenticum.

NONNULLI etiam Abbates ex privilegio Sedis Apostolicæ habent insignia Episcopalia, baculum seu virgam, mitram, annulum, sandalia, dalmaticam, seu tunicam, chirothecas. Quod minus probarunt sanctissimi Patres, quos inter Bernardus epist. 42. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum. *Verum aperte indicant quidam horum quid cogitent, dum multo labore ac pretio apostolicis adeptis privilegiis, per ipsa sibi vendicant insignia Pontificalia, utentes & ipsi more Pontificum, mitra, annulo, atque sandaliis. Sane si attenditur rerum dignitas, hanc Monachi abhorret professio: si ministerium, solis liquet congruere Pontificibus.* Goffrid. Abbas Vindocinens. libr. 2. epist. 26. *Certe non plus in concessione ornamentorum sacerdotalium, ab Apostolica Sede Abbatibus indulgetur, quam illi qui sine vitæ meritis & Ordinibus sacris, Episcopus eligitur.* Et Petrus Blesensis epist. 90. ad Guillelmum Abbatem: *Retulit mihi quidam nuncius vester, qualiter Dominus Papa vos mitra proprii capitis & aliis ornamentis Episcopalibus insignivit. De benedictione gaudeo, sed insignia Episcopalis eminentiæ in Abbate*

nec approbo, nec accepto: mitra enim & annulus, atque sandalia in alio quam in Episcopo, quadam superba elatio est, & præsumptuosa ostentatio libertatis. Talium vsus est in Ecclesiis dedicandis, in consecrandis virginibus, in Ordinibus celebrandis. Quare igitur his vtitur, aut potius abutitur, qui vti talibus prohibetur? Virga vsi sunt veteres Abbates, disciplinæ & correctionis, non dignitatis demonstrandæ causa. Virga percussit Benedictus Fratrem ante tempus e choro abeuntem. Gregor. Dialog. 2. cap. 4. Annuli vsus recentior in Abbatibus: vsu annuli interdictum aliis quam Episcopis, in Concilio Generali Lateranensi sub Innocent. III. cap. pen. extra *de vit. & honestat. Cleric.* Ex privilegio tamen Pontificalibus ornamentis vsi sunt Abbates, vt Abbas Lobiensis, de quo auctor vitæ D. Gosuini lib. 1. cap. 23. vbi ait hunc in Abbatem Lobiensem expetitum. *Rectorem loci minus quidem Episcopo, sed esse plus Abbate, cujus in Missarum solemniis ornaret annulus manum, sandalia pedes, corpus tunica vniversum.* Richerio Abbati Cassinensi, & successoribus sandaliorum, dalmaticæ & chirothecarum vsum in diebus solemnibus concessit Leo IX. quod Friderico Abbati confirmatum est a Victore II. Leo Ostiens. lib. 2. cap. 82. & 97. Cum vero graves querelas excitarent Episcopi, quod participio ornamentorum Abbates pene pares fierent Episcopis, & inde nasceretur confusio dignitatum, Clemens IV. hunc modum adhibuit, vt in Conciliis & Synodis Abbates exempti mitris auriphrygiatis, sed absque gemmis, laminisque aureis vel argenteis vterentur: non exempti, simplicibus & albis ac planis; in aliis vero utrisque mitris liceret vti, quas Sedis Apostolicæ indulta permiserint, cap. *Ut Apostolicæ. de privileg.* in 6. Præter ornamenta Episcopalia Abbates & Priores Conventuales habent sigillum authenticum propria imagine & nomine insculptum. Synodus Londinensis habita anno Christi 1237. Præside Othone Diacono Cardinali, Legato Sedis Apostolicæ in Anglia, apud Mattheum Parif. *Quoniam tabellionum vsus in regno Angliæ non habetur, propter quod magis ad sigilla autentica credi est necesse, vt eorum copia facilius habeatur, statuimus vt sigillum habeant non solum Archiepiscopi & Episcopi, sed etiam eorum Officiales: item Abbates, Priores, Decani,*

Archi-

Archidiaconi, & eorum Officiales, Decani rurales, necnon Ecclesiarum Cathedralium Capitula, & cætera quæque Collegia & Conventus cum suis rectoribus, aut divisim, juxta eorum consuetudinem, vel statutum, pro varietate quoque cujuslibet prædictorum habeat unusquisque sigillum, nomen, puta, dignitatis, officii, collegii, & etiam illorum proprium nomen, qui dignitatis vel officii perpetui gaudent honore, insculptum notis & characteribus manifestis. Hinc Anselmus ex Abbate Beccensi jam electus Cantuariensis Archiepiscopus, nondum consecratus, lib. 3. epist. 10. *Sigillum*, inquit, *hæc epistola non habet, quia Abbas jam non sum, & Archiepiscopus nondum sum, nec me delectat pingi quod non sum.* Hujusmodi sigillum authenticum dicitur, propter auctoritatem qua pollet, quia plenam fidem facit absque tabellione & testibus. Cap. 2. cap. *Inter electos*, cap. *Quod super his. de fid. instrument.* cap. 2. *De offic. ordinar.* in 6.



CAPUT XVI.

Quando Abbates vocati ad Concilia generalia.

EX quo Monachi in Clerum admissi sunt, Abbates primum post Episcopos gradum etiam in Conciliis Ecclesiasticis facile obtinuerunt. Primum Abbates ab Episcopis vocati ad Synodum Episcopalem. Concil. Turonens. can. 2. Can. *Episcopus* 18. dist. Concil. Autissiodor. can. 7. necnon ad alios conventus sacros, ut ἐγκαίνια Ecclesiarum, translationes reliquiarum, ab Episcopis adhibiti sunt Abbates: de quo Gregor. Turonens. de miracul. Sanctorum lib. 1. cap. 51. 56. Idem de glor. Confess. cap. 86. Gregor. VII. lib. 5. epist. 23. Inde in ordinatione Abbas jurat se venturum ad Synodum in ordine Romano. Synodo Cameracensi interfuit Gosuinus Abbas Aquiscinctensis, & in ea solemnem orationem habuit, mandante Lietardo Cameracensi Episcopo. Ejus vit. lib. 2. cap. 22. *Residente Synodo Cameraci, verbum Domini commisit erogandum Gosuino.* Ad generalia Concilia serius vocati sunt Abbates. In Ephesino pri-

mum Eutyches Abbas fortiter disputavit adversus Nestorium, & Dalmatius Archimandrita Synodi epistolas publice recitavit. In Synodo Chalcedonensi Eutychetis Abbatis damnationi post Episcopos subscripsere plures quam duo & viginti Archimandritæ, sed non prius quam invitati essent ab Episcopis vt subscriberent. In actione prima ejusdem Synodi Abbas Martinus requisitus a Constantino quodam, vt ipse subscriberet actis Concilii Ephesini II. respondit, μὴ εἶ) ἐμὸν τὸ ὑπογράφειν, ἐπισκόπων δὲ μόνων. *Non est meum subscribere, sed Episcoporum tantum est.* Ad Synodum VI. vniversalem Constantinus Pogonatus petiit ab Agathone Papa mitti de quatuor monasteriis Bysantinis, ab vnoquoque monasterio Monachos quatuor, vt patet ex epistola Imperatoris quæ præfixa est actis Synodi. Tum in consessus ordine Abbates post Episcopos locantur. Synodo VII. quæ est Nicæna II. interfuere quamplurimi Abbates & Monachi. Et cum sacrarum imaginum cultus omnium Episcoporum sententia & subscriptione firmatus esset, sancta Synodus dixit: Æquum est, vt & venerabiles Monachi pronuncient. Et venerabiles Monachi dixerunt: Si ordo ita exigit, pronunciabitur à nobis vt mandatis, vt legitur actione secunda hujus Synodi. Ab eo tempore Abbates ad Concilia generalia cœpere vna cum Episcopis sententiam dicere, & eisdem subscribere. Synodum ex Episcopis & Hegumenis, id est, Præfectis Monachorum, adversus Theodorum Hegumenum studii, qui a communione Tharasii Patriarchæ CP. discesserant, congregavit Nicephorus Imperator: de quo Paulus Diaconus lib. 24. Histor. miscell. *Tunc Nicephorus Imperator occasione percepta, cum Episcopos & Hegumenos congregasset, Synodum adversus illos celebrari præcepit, per quam a monasterio & vrbe dejecti exilio sunt destinati.* A Gregorio VII. ad Synodum Romanam invitati Abbates. Testis ipse Gregor. lib. 1. epist. 43. Consilio Pisis celebrato ab Innocentio II. adversus Leonem Antipapam interfuere Petrus Abbas Cluniacensis, & alii nobiliores Abbates Galliæ, qui in reditu capti, & omnibus spoliati ab his qui erant partium Leonis: de quo Petrus ipse Cluniacensis lib. 1. epist. 27. Eidem Consilio interfuit Ber-

nardus Abbas Clarevallensis, vt fertur ejus vit. lib. 2. cap. 2. *Affuit per omnia in consiliis, & judiciis, & definitionibus omnibus sanctus Abbas.* Concilium generale Lateranense celebraturus Innocentius III. Abbates convocavit ex vniverso orbe, cujus rei testem locupletem ipsum habemus. Cap. *Nuper Abbates*, extr. *de decim.* Concilio Tridentino post Episcopos adsedere & subscripsere Abbates.

CAPUT XVII.

Officiales temporales, stipatus Abbatum.

UTRIUSQUE dignitatis, spiritualis & temporalis, insignibus claruere Abbates: in spiritualibus post Episcopos primi, in temporalibus post Duces & Comites. Etiam majores Officiales, puta Bajulos seu Senescallos, Pincernas, Dapiferos in obsequio habuere. Camerarium, Marescallum, Pincernam, & alia id genus ministeria jam olim ostentavit Abbas S. Dionysii. Bajulum suum itineris comitem & martyrii testem apud locum Regulæ, secus Garumnam, habuit Abbo Abbas Floriacensis. Aymoin. Floriacensis ejus vit. capite 17. *Talibus impulsus allegationibus, impendente jam vltimo vocationis suæ die, secundo iter arripuit, hos ex Monachis itineris comites assumens supra nominatum Remigium, meque qui hæc scribo Aymoinum, cum Guillelmo suæ venerantiæ, juxta Abbatum morem, tum bajulo.* Abbati Prumiensi vni e nobilioribus Germaniæ, adfuit suus Pincerna & Dapifer, prout ea ætate moris erat. Cæsarius de Miracul. lib. 5. cap. 2. *Miles quidam Henricus nomine de castro Falkinstein oriundus, Pincerna fuit Cæsarii Monachi nostri, tunc Abbatis Prumiæ.* Et idem capite 30. ejusdem libri: *Duo juvenes seculares nondum milites, ex quibus vnus erat Dapifer Abbatis Prumiæ.* Quæ fuerit Abbatum pompa in numero vectionum, id est, equorum & stipatorum, pudet dicere. Bernard. & ipse Abbas in Apologia ad Willelmum Abbatem: *Quod enim specimen humilitatis est cum tanta pompa & equitatu in-*

cedere, tantis hominum crinitorum ſtipari obſequiis, quatinus duobus Epiſcopis vnius Abbatis multitudo ſufficiat, mentior ſi non vidi Abbatem ſexaginta equos, & eo amplius, in ſuo ducere comitatu. De ſtallo, id eſt, gradu depoſitus Prior Cluniacenſis, quod ſexaginta equis ſtipatus procederet, & ad ternos redactus. Robertus Montenſis in Supplement. Sigeberti ad ann. 1180. *Walterius Cluniacenſis Abbas, Priorem de ſtallo depoſuit, qui ſolebat ducere in comitatu ſuo quadraginta equos, & juſſit vt eſſet contentus tribus equitibus.*






ASCETICΩN

SIVE

ORIGINUM REI MONASTICÆ

LIBER OCTAVUS.



CAPUT I.

Utilitas Monachorum. Monachi eversores paganismi, defensores fidei Catholicæ.



NE Monachorum & Abbatum dignitas insano populi studio magis quam eorum meritis parta videatur, ac ne otiosum & ignavum hominum genus immerenter coli, & de publico ali credamus: quæ semper fuerit vtilitas Monachorum, hoc libro enarrare par erit. Quam vtiles Ecclesiæ futuri essent Monachi, satis a cunabulis testatum fecere, cum grassante persecutione, martyrio & fuso sanguine fidem christianam illustrarunt, vt scribit Eusebius libro 8. capite 10. Iidem

que admiratione vitæ, & opinione sanctitatis, miraculis & verbo prædicationis, ethnicæ superstitionis reliquias sustulere in Ægypto & aliis partibus. Augustinus de verbis Domini sermone 50. *Illic autem in Ægypto quomodo pastor est iste, qui norunt, agnoscunt; qui non norunt, requirant, quam magnum illic gregem colligat, quantam numerositatem sanctorum atque sanctarum habeat contemnentium penitus mundum. Grex ille tantum crevit, vt etiam inde superstitiones expulerit.* Maximini persecutione in Ægypto deflagrante in Episcopos & Monachos Antonius martyribus Alexandriam ductis, id est, Monachis ex eremo raptis, præsto fuit martyrii desiderio flagrans. Athanasius in ejus vita: μετὰ ταῦτα κατέλαβε τὴν ἐκκλησίαν ὁ κατὰ Μαξιμῖνον τὸ τηνικαῦτα γενόμενος διωγμός· καὶ τῶν ἁγίων μαρτύρων ἀγομένων εἰς Ἀλεξάνδρειαν, ἠκολούθησε καὶ αὐτὸς, ἀφεὶς τὸ μοναστήριον. *Post hæc persecutio illa quæ Maximinum auctorem habebat, Ecclesiam invasit: sanctos itaque martyres Alexandriam ductos relicto monasterio & ipse comitabatur.* Necnon Ariana persecutione in Ægypto surgente, idem Episcoporum & fratrum hortatu, ex eremo properavit Alexandriam, & Arianos fortiter impugnavit. Athanasius in ejusdem vita: εἶτα παρακληθεὶς παρά τε τῶν ἐπισκόπων καὶ τῶν ἀδελφῶν πάντων κατῆλθεν ἀπὸ τοῦ ὄρους, καὶ εἰσελθὼν εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν, τοὺς Ἀρειανοὺς ἀπεκήρυξεν. *Deinde vocatus ab Episcopis & fratribus omnibus de monte descendit, ingressusque Alexandriam Arianos exterminavit.* Post mortem Athanasii a Lucio pseudo-Episcopo Alexandrino, secta Ariano, gravem persecutionem, cruciatus, exilia passi sunt Ægyptii Monachi, qua par erat constantia, & Nicænam fidem vnanimes defenderunt, & miraculis sancierunt. Socrates libro 4. capite 17. Theodoritus libro 4. capite 20. Sozomenus libro 6. capite 19. Rufinus 10. Historiæ capite 2. Nicephorus libro 9. capite 4. Cassianus collatione 18. capite 7. Clericis Constantinopolitanis in causa Nestorii inter se tumultuantibus, Episcopos & Monachos litis componendæ causa se quamprimum ad eos missurum scripsit. Cyrillus Alexandrinus epistola 8. καὶ ἐπιλεξάμενος ἄνδρας εὐλαβεῖς καὶ φρονίμους, ἐπισκόπους τε καὶ μονάζοντας ἐξαποστελῶ πρώτῳ καιρῷ. *Eligens enim viros pios ac prudentes, tum Episcopos, cum Monachos quoque, quos etiam primo quoque tem-*

pore ad vos mittam. Dalmatius Archimandrita cum per octo & quadraginta annos latuisset, multoties interpellatus, vt in publicum procederet ad fundendas preces pro sedando terræ motu, recusavit: processit tamen aliquando, cælesti voce admonitus, vt audiret lectionem, & promulgationem epistolæ synodicæ Concilii Ephesini, cui & primus ipse subscripsit. Zelum Ægyptiorum Monachorum in rejicienda Nestoriana hæresi laudat & Cyrillus Alexandrinus epistola ad Monachos Constantinopolitanos. Fidem Concilii Chalcedonensis animose propugnarunt Monachi Palæstinæ, & hac de causa a communione Petri Chnaphei Episcopi Antiocheni sese segregarunt, eumdemque valde infensum habuere. Quare Petrus in epistola ad Acacium Constantinopolitanum Episcopum nisus est Monachos suspectos reddere de studio novarum rerum. Evagrius libro 3. capite 17. οὐκ ἀγνοεῖται, καὶ οὐδὲ λέληθε τὴν ὑμετέραν θεοφίλειαν, τὸν παρ' ἡμῖν λαῶν ὁ ζῆλος, καὶ ἐλαφρεία, καὶ τῶν νεωτερίζειν ἐθελόντων μοναζόντων. *Tuæ enim pietati minime obscuram, aut ignotam esse arbitror populi qui apud nos est, æmulationem, Monachorumque levitatem novis rebus studentium.* Idem Nicephorus Callist. libro 16. capite 33. Tempore Iconoclastici furoris Theodosius & Sabas Archimandritæ secum duxere Hierosolymam multitudinem Monachorum circiter decem millium, quos cum major basilica vna cum populo non caperet, in basilica sancti Stephani convenere, in qua Helias Patriarcha vna cum iisdem Theodosio & Saba vna voce Nestorium, Eutychem, & alios qui Concilium Chalcedonense non reciperent, anathematizavit. Ex vita sancti Sabæ, quæ extat Synodi VII. act. 1. Pari consilio cum Basiliscus damnasset Concilium Chalcedonense, ab Acacio Episcopo Constantinopolitano accitus Daniel Stylita, cum Monachis ei restitit, & fidem Concilii miraculo comprobavit. Nicephorus Callist. libro 16. capite 6.





CAPUT II.

Monachorum preces publicæ. Eorum consilio vsi Imperatores. Monachi defensores & adjutores Episcoporum.

MONACHI mundo crucifixi, id est, Christi exemplo crucem, labores, jejunia, vigilias, vestis asperitatem, & deformem cultum patiuntur, vt passionibus suis aliena peccata redimant, & homines Deo concilient. Joannes Chrysostomus Homil. 31. ad Antiochenos: ταῦτα καὶ μοναχοὶ πάντες ἀκουέτωσαν, καὶ οἱ τὰς τῶν ὀρέων κατειληφότες κορυφάς, καὶ οἱ διὰ πάντων σταυρώσαντες ἑαυτοὺς τῷ κόσμῳ, ἵνα κατὰ δύναμιν τὴν ἑαυτῶν, τοὺς τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτας συγκροτῶσιν, ἀλείφωσιν εὐχαῖς, ὁμονοίᾳ, ἀγάπῃ. *Hæc omnes audiant & Monachi, qui montium occuparunt cacumina, quique modis omnibus seipsos mundo crucifixerunt, qui pro viribus Ecclesiarum Præfectos adjuvent, horumque curas leniant, precibus, concordia, caritate.* Homines sibi laborant, Monachi omnia communia habent, nihil proprium. Eorum agones, id est, preces publicæ sunt: ii jugiter orant pro vniverso mundo, licet mundo nullo vinculo teneantur. Idem Chrysostomus in Joannem Homil. 77. τί οὖν οἱ μοναχοί, φησι, καὶ τὰς κορυφὰς τῶν ὀρέων κατειληφότες, καὶ αὐτοὶ πάλιν ὑπὲρ ἁπάσης εὔχονται τῆς οἰκουμένης; ὅπερ μέγιστον φιλίας ἐστὶ τεκμήριον. *Quid Monachi montium cacumina habitantes, & ipsi rursum pro universo mundo orant? quod maximæ est dilectionis argumentum.* Idem in Acta Apostolorum Homil. 53. in fin. ἄκουσον τοὺς ἐν ταῖς ἐρημίαις ὄντας· μεγάλη γὰρ ἡ παρὰ τῶν ἁγίων εὐλογία, ἧς ἐπιτυγχάνειν σπουδάζομεν, ἵνα διὰ τῶν εὐχῶν τούτων βοηθούμενοι, τῆς παρὰ τοῦ αὐτοὺς ἐνδυναμοῦντος Θεοῦ φιλανθρωπίας ἀπολαύσωμεν. *Audi eos qui in solitudinibus sunt: magna enim ab illis est benedictio, quam assequi studeamus, ut illorum precibus adjuti, misericordia Dei fruamur.* Monachorum vota salus mundi: his bella, pestes & alia irati Numinis tela avertuntur. Romam jam a multis annis inter hostilia Longobardorum arma, sacrarum virginum

num precibus, quæ in vrbe ad tria millia vſque, tum in vrbe erant, ſalvam & incolumem perſtare credidit Gregorius, vt prædicat ipſe libro 6. epiſtola 23. Indict. 15. Denique virtus Monachorum eſt tutela & præſidium orbis terrarum. Horum virtus tegit malitiam hominum. Chryſoſtomus in Geneſim Homil. 42. *πολλοὶ καὶ ἐν μέσαις ταῖς πόλεσι λανθάνοντές εἰσι δυνάμενοι δυσωπεῖν τὸν Θεὸν, καὶ ἐν ὄρεσι καὶ σπηλαίοις ἕτεροι, καὶ ἡ τῶν ὀλίγων τούτων ἀρετὴ τὴν τῶν πολλῶν κακίαν ἀποκρύψαι δύναται. Multi etiam in mediis civitatibus ignorati, poſſunt placare Deum, & alii in montibus & ſpeluncis, aliorumque virtus multorum tegere valet malitiam.* Conſilio & precibus Monachorum in rebus gerendis vſi ſunt Imperatores & Principes. Joannem Lycopolitam de bello & pace ſæpius conſuluit, ejuſque precibus ſeſe commendavit Theodoſius Magnus. De quo Caſſianus collatione 24. capite vltimo: *Quod evidentius in Abbate Joanne, qui in illa eremo quæ Lyco oppido adjacet, commoratur, poſſumus approbare, qui perobſcuris majoribus natus, ita pro Chriſti nomine vniverſo pene humano generi admirabilis factus eſt, vt eum ipſi quoque rerum præſentium Domini, qui mundi hujus atque imperii gubernacula retinentes, etiam potentibus cunctis regibuſque terrori ſunt, velut dominum venerarentur, & oracula ejus de tam longinquis regionibus expetentes, imperii ſui apicem, & ſtatum ſalutis, bellorumque proventus, illius orationibus meritiſque committerent.* Idem refert idem 4. inſtitut. capite 23. & Rufinus de vit. Patrum libro 1. capite 1. Quid Epiſcopi perſecutionem patientes, a Monachis præſentem opem experti ſunt. A Valente pulſo Meletio Antiocheno Epiſcopo in publicum proſiliit Aphraates Monachus, vt laboranti Eccleſiæ ſubveniret: & Imperatori objectanti probrum relictæ ſolitudinis, factum tuitus eſt exemplo puellæ prodeuntis in publicum e conclavi ad incendium ædium paternarum reſtinguendum. Quo reſponſo tractus Imperator ſiluit. Theodoritus libro 4. capite 24. & idem de vit. Patrum capite 8. Nec Monachi ſolum voce & precibus, ſed & opera Eccleſiæ mirum in modum profuere. Sarracenorum Epiſcopus lectus eſt Moſes Monachus, vt eos in fide chriſtiana inſtitueret. Socrates libro 4. capite 29. Theodoritus libro 4. capite 21. Auguſti-

num, Mellitum & alios clariores Monachos in Angliam misit Gregorius Magnus, ad gentis conversionem. A Simpliciano & ejus sociis Monachis ad fidem perductus Augustinus. Quoties discordiæ ortæ sunt inter Episcopos & laicos, Monachi pacis arbitri fuere. Hoc officio functus est Bernardus Abbas Clarevallensis inter Remensem Episcopum & cives suos. Vita Bernardi libro 1. capite 13. *Contigit aliquando dissentientibus Archiepiscopo & populo Remensi, ad conciliandos eos adesse virum Dei.* Eodem quoque medio facta est pax inter Ludovicum Juniorem Regem, & Theobaldum Comitem Campaniæ. Robertus Montensis anno 1144. *Mediante Abbate Clarevallis simultas quæ inter Regem Ludovicum & Comitem Theobaldum incanduerat, sopitur.* Monachis vsi sunt Romani Pontifices in rebus publicis gerendis. Cyriacus Abbas monasterii beati Gregorii responsalis seu nuncius in Hispaniam missus a Gregorio I. Testis ipse libro 7. epistola 23. Indictione 15. Pro rebus Ecclesiarum Orientis Romam proficiscentes Paulinus Antiochenus, & Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopi, Hieronymum vnum e Monachis Bethleemiticis sibi ascivere comitem itineris, & rerum gerendarum socium. Testatur ipse Hieronymus epistola ad Principiam in Epithaphio Marcellæ: *Denique cum & me Romam cum sanctis Pontificibus Paulino & Epiphanio ecclesiastica traxisset necessitas, quorum alter Antiochenam Syriæ, alter Salaminam Cypri rexit Ecclesiam.*





CAPUT III.

Monachi intercessores pro reis, & pro plebe. Intercessiones Ecclesiasticæ.

A Monachis varia in Ecclesiam & plebem redundarunt solatia & auxilia. Alii ægrorum curationi & visitationi dabant operam: alii pro reis apud judices, vel pro oppressis apud potentes, intercessiones adhibere solebant. Joannes Cassianus collatione 14. capite 4. *Quidam eligentes ægrotantium curam, alii intercessionem quæ pro miseris atque oppressis impenditur, exequentes, aut doctrinæ instantes, aut eleemosynam pauperibus largientes, inter magnos ac summos viros pro affectu suo ac pietate viguerunt.* Et idem collat. 1. capite 20. vbi ait dæmonem sæpius prætextu pietatis Monachis illudere, vel cum intercessiones ac visitationes pias persuadet impendere, quibus nos a spiritualibus monasterii claustris & secreto amicæ quietis excutiat. Theodosio valde indignante in Antiochenos, ob dejectam humi statuam Placillæ conjugis, & per vrbem reste collo injecto tractam, & Præfectis missis ad coercendos seditiosos: Monachi qui in jugis montium circa vrbem habitabant, e sedibus suis descendentes accessere ad vrbem, pro reis apud Præfectos intercessere, nec prius recessere quam venia impetrata. de quo fuse Joannes Chrysostomus orat. 17. & 18. ad populum Antiochenum, cui lucem affert Theodoritus libro 5. capite 19. Nicephorus Callist. libro 12. capite 44. Intercedentium pro vinctis & miseris Monachorum ea fiducia fuit, vt si non audirentur, sæpius damnatos, cum ad supplicium ducerentur, e manibus judicum & lictorum eximerent: & in casu Antiochenorum Monachos ad hoc paratos fuisse, insinuat ipse Chrysostomus prædicta orat. 17. *καὶ γὰρ διημερεύον πρὸς τὰς θύρας τοῦ δικαστηρίου καθήμενοι, τοὺς ἀπάγεσθαι μέλλοντας ἐξαρπάσαι τῶν δημίων παρασκευαζόμενοι. Etenim ante Prætorii januas totos dies agebant sedentes, abducendos de carnificum manibus eripere parati.*

Ideo Constitutione Arcadii & Honorii vetitum, ne Clericis vel Monachis, etiam his quos Synoditas vel Cœnobitas vocant, damnatos & addictos supplicio per vim & vsurpationem eripere liceat. L. *Addictos.* C. Theod. *De pœnit.* L. *Addictos.* C. eodem *De appellat.* L. *Addictos.* C. Justinian. *De Episc. audient.* Pari etiam pietatis officio Episcopi & Clerici pro vinctis apud judices intercedere solebant: etiam pro Donatistis, ne in eos sæviretur vsque ad sanguinem, intercessit Augustinus, vt testatur ipse epistola 127. ad Donatum Proconsulem Africæ: *Quæsumus igitur, vt cum Ecclesiæ causas audis, quamlibet nefariis injuriis appetitam vel afflictam esse cognoveris, potestatem occidendi te habere obliviscaris, & petitionem nostram non obliviscaris.* Pro eisdem intercessit idem apud Marcellinum Tribunum epistola 158. *Pœna sane illorum, quamvis de tantis sceleribus confessorum, rogo te, vt præter supplicium mortis sit, & propter conscientiam nostram, & propter catholicam mansuetudinem commendandam.* Et rursus idem epistola 159. ad eundem: *Noli perdere paternam diligentiam, quam in ipsa inquisitione servasti, quando tantorum scelerum confessionem non extendente equuleo, non sulcantibus vngulis, non vrentibus flammis, sed virgarum verberibus eruisti: qui modus coercitionis, & a magistris artium liberalium, & ab ipsis parentibus, & sæpe etiam in judiciis solet ab Episcopis adhiberi.* Unde desumpti sunt can. *Circumcelliones.* & can. *Pœna* 23. quæst. 5. Intercessionum Clericorum frequentem vsum signat idem Augustinus in Joannem Homil. 25. *Alius negotium habet, quærit intercessionem Clericorum: alius premitur a potentiore, fugit ad Ecclesiam.* Has intercessiones pro miseris studio habuit Epiphanius Ticinensis Episcopus, de quo Ennodius in ejus vita: *Intercessionum tantam sibi proposuit curam, vt ipsam se miseris inferre crederet molestiam, quam per negligentiam a quibuscumque permisisset inferri.*



CAPUT IV.

Monachi possunt curam animarum exercere, ex dispensatione Apostolica. Habent jus prædicandi, & pœnitentias ministrandi, de licentia ordinarii.

EX quo Monachi in Clerum admissi sunt, ex dispensatione pariter admissi sunt ad Ecclesiastica ministeria, & ad regimen parochialium Ecclesiarum in subsidium Clericorum. Can. *Doctos.* can. *Si Monachus.* can. *Moderamine*, & sequent. 16. quæstione 1. Et quidem olim Episcopus poterat dispensare cum Monachis, vt promoverentur ad Ecclesiam parochialem, ob necessitatem vel vtilitatem Ecclesiæ. Hodie vero ex Concilio Lateranensi Monachi non admittuntur ad parochialem Ecclesiam, nisi ex dispensatione Summi Pontificis. Cap. 2. *De statu Monach.* Excipe Canonicos regulares, quibus Ecclesias parochiales sui Ordinis licet obtinere, quia inserviunt regulæ laxiori. Cap. *Quod Dei timorem* eodem tit. Ivo Carnotensis epistola 69. ad Galterum Stirpensem Præpositum: *Quantum intellexi ex literis ex vestra parte mihi nuper oblatis, graviter fert vestra fraternitas, quod Lemovicensis Episcopus in Synodo agens, interdixit omnibus regularibus Clericis & regimen parochiarum, & confessiones pœnitentium. Hoc vero interim ad inquisita respondeo, quia Clerici regulares ab hoc officio nec penitus sunt removendi, nec indiscrete admovendi: nam si penitus removentur, Canonico Ordini indigna fit injuria, cui tanto securius est credenda correctio vitæ alienæ, quanto majorem diligentiam adhibuit vitæ suæ corrigendæ; si vero indiscrete regularibus Clericis hoc onus imponitur, in quibusdam Ecclesiastica disciplina frangitur, & ipsi fratres, qui in claustris tanquam in castris, contra tentationes fortiter stabant, & vincebant, cum soli ad pugnam prodeunt, in tentationibus facile superantur.* Et idem epistola 213. *His rationibus & auctoritatibus freti, constanter asserimus, non esse audiendos, qui Clericos regulariter viventes a regimine animarum judicant repellendos,*

quia sæculo renunciaverunt; sed ideo potius ad hoc assumendos, quia voluptates & pompas sæculi contempserunt. Hodie ex Concilio Tridentino sessione 14. *De reformat.* capite 11. Regulares etiam, si sint Canonici regulares, sunt incapaces beneficiorum sæcularium, etiam curatorum: sed hoc non servatur in Gallia in Canonicis regularibus, quibus beneficia, etiam curata, sui Ordinis obtinere fas est, permissu sui Abbatis. Selva de beneficio part. 3. capite 70. Chopin. 1. Monastic. tit. 3. numero 24. Brodeus in litt. B. numero 12. Presbyteri regulares habent jus prædicandi, & sæcularium confessiones audiendi, non sine licentia ordinarii. Can. *Interdicimus.* can. *Juxta.* can. *Adjicimus.* qui desumptus est ex epist. Leonis 62. & 63. can. 16. quæstione 1. Concilium Tridentinum sessione 24. *De reformat.* capite 4. & 15. Balsamo in can. 6. Synodi Carthaginensis. Monachis non licet prædicare verbum absque auctoritate Episcopi, quia Monachi non docentis, sed lugentis, id est, pœnitentis, est officium. Hieronymus ad Riparium Presbyterum: *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium.* Can. *Monachus* 16. quæstione 1. Unde Bernardus in Cantic. serm. 64. *Et scimus Monachi officium esse, non docere, sed lugere. Ex his nempe claret & certum est, quod publice prædicare nec Monacho convenit, nec Novitio expedit, nec non misso licet.* Monachi officium esse lugentis, id est, pœnitentis, probat & Chrysostomus in primam ad Timoth. Homil. 14. *ὄντως οἰκία πένθους τὰ μοναστήρια. Vere domus luctus monasteria sunt.* Presbyteri regulares habent jus pœnitentes audiendi & absolvendi, ex privilegio Apostoli, id est, Summi Pontificis. de quo carmen vernaculum, quod vocant Rosæ, ex persona Monachi:

Et peulx confesser & absoudre,
Ce ne me peult nul Prelat touldre,
Fors l'Apostole seulement,
Qui fit cét establissement.

Sed hoc intelligendum est, petita prius licentia ordinarii, cujus est noscere an regularis sit idoneus ad officium pœnitentias dandi.

❧



CAPUT V.

Scholæ in monasteriis. Scholæ exteriores, interiores.

LICET Monachi officium esset lugentis, non docentis: tamen ob necessitatem & vtilitatem Ecclesiæ ac reipublicæ, cum litterarum regnum fere esset penes Monachos, primum in monasteriis Orientis institutæ sunt scholæ, etiam pro institutione puerorum sæcularium, quas non probat Basilius Regular. brevior. cap. 292. suspecto sibi contubernio sæcularium cum Monachis, ob contagium morum sæcularium. In Occidente assurgente Benedictino Ordine, in ejus monasteriis claruere scholæ, tum sacrarum, cum sæcularium literarum. De Cassinensi monasterio testatur Leo Ostiensis Chronic. Cassinens. lib. 3. cap. 21. *Ego ipse memini, cum adhuc in schola monasterii degerem.* De monasteriis Angliæ, Galliæ & Germaniæ Trithem. Abbas in Chronic. Hirsaugiens. ad ann. 890. *Erat autem his temporibus in monasteriis nostri Ordinis, (alterius in Europa, Germania & Gallia nulla fuerunt) hæc consuetudo celeberrima, vt scholæ Monachorum in singulis pene cœnobiis haberentur, quibus non sæculares homines, sed Monachi moribus & eruditione præficiebantur ornatissimi, qui non solum in divinis scripturis docti essent, verum etiam in mathematica, astronomia, arithmetica, geometria, musica, rhetorica, poesi, & in cæteris omnibus sæcularis literaturæ scientiis eruditissimi haberentur.* Hæc autem consuetudo sanctissima primum in Anglia cœpit, vbi venerabilis ille Monachus & Presbyter Beda Monachorum institutor factus, multos post se doctissimos reliquit discipulos. In monasterio S. Galli apud Helvetios fuere scholæ interiores, quæ erant in gratiam juniorum Monachorum, intra metas claustri: exteriores seu canonicæ, quæ addictæ erant pueris sæcularibus, & positæ erant juxta monasterium. Ekkeard. Junior de casib. monast. S. Galli cap. 1. apud Goldastum. *Traduntur post tempus Marcello scholæ claustri, cum Notkero, postea cognomine Balbulo, & cæteris monachici habitus pueris: exteriores autem,*

id est, canonicæ, Isoni cum Salomone & ejus comparibus. Et idem cap. 6. ejusdem lib. *Erant disciplinæ loci ut semper & tunc, non modo in claustro, sed & in scholis exterius.* Sed quia vsu obseruatum disciplinam monasticam labefactari consuetudine sæcularium, quæ in scholis contrahebatur: in monasteriis tantum oblatis, id est, his qui religionis causa oblati essent monasterio a parentibus, voluit Capitulare Aquisgranense ann. Christ. 817. editum pro reformatione Ordinis Benedictini, can. 45. *vt schola in monasteriis non habeatur, nisi eorum qui oblati sunt.* Unde desumptum Capitulare Ludovici Pii addit. 1. cap. 45. iisdem verbis repetitum. In scholis tamen Ecclesiarum & monasteriorum non admittebantur nepotes vel consanguinei Clericorum vel Monachorum, nisi prius impetrata licentia Episcopi. Theodulfus Aurelianensis Episcopus ad Presbyter. suos cap. 19. *Si quis a Presbyteris voluit nepotem suum aut aliquem consanguineum ad scholam mittere in Ecclesia sanctæ Crucis, aut in monasterio sancti Aniani, aut sancti Benedicti, aut sancti Lifardi, aut in cæteris de iis cœnobiis, quæ nobis ad regendum concessa sunt, ei licentiam id faciendi concedimus.* Diu in monasteriis Galliæ claruere scholæ in omni genere litterarum, vt in majori monasterio S. Martini Turonensis, magistro Alcuino viro Anglo. Testatur ipse epist. ad Carolum Magnum: *Ego Flaccus vester secundum exhortationem & bonam voluntatem vestram aliis per tecta S. Martini sanctarum mella scripturarum ministrare satago, alios vetere disciplinarum mero inebriare studeo, alios grammaticæ subtilitatis enutrire pomis incipiam, quosdam stellarum ordinem, ceu picto cujuslibet magnæ domus culmine illuminare gestio.* In claustro S. Genovefæ Parisiis floruit schola publica, frequens scholaribus, docente Petro Abelardo. Vit. D. Gosuini lib. 1. capite 4. *Tunc temporis magister Petrus Abailardus, multis sibi scholaribus aggregatis in claustro S. Genovefæ, schola publica vtebatur.* In Aquicinctensi monasterio claruit schola magistro Gosuino. Ejusdem vit. lib. 1. cap. 6. *Habebat contiguam Ecclesiæ mansionem, vnde ad legendum scholaribus suis pergens, per transversum chori transitum faciebat.* Ex Conc. Viennensi in singulis monasteriis, quibus suppetunt facultates, idoneus magister eligendus est, qui eos in primitivis scientiis in-

struat

ſtruat diligenter. Clem. *Ne in agro.* §. pen. *de ſtat. Monach.* Imo & ſi domi idoneus magiſter non ſit, Abbas tenetur Monachis præſtare ſumptum in ſtudia. Cap. *Ex parte.* cap. *Olim. de accuſat.* Quod ſi idoneæ ad hoc non ſint facultates monaſterii, parentes vel alii tenentur eis præſtitare penſionem annuam, ſtudiorum cauſa, ex bonis quæ eorum profeſſione ad eos pervenerunt. Chopin. 1. Monaſtic. tit. 3. num. 12. Carond. 1. reſponſ. 67. Ciſtercienſes, ne Fratribus Prædicatoribus & Minoribus ſtudiorum laude impares viderentur, ex privilegio Pontificis manſiones ſibi pararunt Pariſiis & aliis locis, vbi ſcholæ, id eſt, ſtudia vniverſalia viguerunt, vt facilius eis pateret copia ſtudendi in Theologia, Decretis & Legibus. Matthæus Pariſ. ad ann. 1249. *Temporibus etiam ſub eiſdem Ciſtercienſes Monachi, ne amplius forent contemptui Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, & ſæcularibus litteratis, præcipue Legiſtis & Decretis, novum impetrarunt privilegium: & ad hoc nobiles ſibi Pariſiis & alibi, vbi ſcholæ viguerunt, paraverunt manſiones, vt ſcholas exercendo, in Theologia, Decretis & Legibus ſtuderent liberius, ne viderentur aliis inferiores.* In Caſſinenſi monaſterio jam ab ætate Petri Damiani deſierunt eſſe ſcholæ puerorum ſæcularium, de quo gaudet ipſe Damianus Opuſcul. 36. cap. 16. *Inter cæteros autem virtutum flores, quos in illo agro pleno, cui benedixit Dominus, reperi, fateor; hoc mihi non mediocriter placuit, quod ibi ſcholas puerorum, qui ſæpe rigorem ſanctitatis enervant, non inveni, &c.*

CAPUT VI.

Baptizandi vel ordinandi inſtituti in monaſteriis.

NEc modo litterarum ſacrarum & ſæcularium gymnaſia fuere monaſteria, ſed etiam rectæ fidei & diſciplinæ Eccleſiaſticæ. Monaſteriis traditos obſervo pueros paganos, inſtituendos Chriſtiana in fide. Cum de promovenda converſione Anglorum viſis adoleſcentibus Anglis qui venales in foro proſtabant, eorum formæ elegantia motus, conſilium cepiſſet Gregorius M. Candido Preſby-

Hhh

tero defensori Patrimonii Ecclesiæ Romanæ in Gallia, in mandatis dedit, ut e reditu sacri patrimonii pueros Anglos qui erant captivi, coemeret, eosque in monasteriis Galliæ instruendos in fide collocaret. Testem ipsum habemus lib. 5. epist. 14. Indict. 14. Et ambientes Clericatum, priusquam ordinarentur, disciplinæ clericalis addiscendæ gratia per multos annos initiabantur in monasteriis. Hac disciplina vsi sunt Patres Orientis. Ideo parentes ne liberos disciplinæ causa traditos monasterio immaturius revocent, hortatur Jo. Chrysostom. adversus vituper. vit. monastic. lib. 3. cap. 16. *μὴ τοίνυν μηδὲ ἡμεῖς πρὸ ὥρας ἀπάγωμεν τὰ κατὰ τὴν ἐρημίαν διατελοῦντας τοὺς υἱούς, ἀλλ' ἐάσωμεν αὐτοὺς ἐμπαγῆναι τὰ μαθήματα, καὶ ῥιζωθῆναι τὰ φυτά, κἂν δέκα, κἂν εἴκοσιν ἔτη τρέφεσθαι αὐτοὺς ἐν μοναστηρίῳ δέῃ, μὴ θορυβώμεθα, μηδὲ ἀλύωμεν. Ergo ne nos quidem intempestive liberos nostros ab deserti commoratione revocemus: verum studii cælestis disciplinam in eis solidari permittamus, altisque radicibus arbusta firmari; & sive decem annis, sive etiam viginti, nutriendi illi sint in monasterio, non perturbemur, non mœrore vllo afficiamur.* Minores Clericos in Ecclesiis & monasteriis probari, antequam majores ad ordines ascendant, voluit Conc. Nicæn. ex Arabico can. 5. Hoc ingenio Photius, vt Ignatii Patriarchæ CP. sedem occupare laicus posset, neve inordinate promotus videretur, primo Monachus, deinde Clericus ordinatus est per gradus. Eandem disciplinam in ordinandis coluere Patres Occidui, in primis Gallicani. Gregor. Turon. Hist. lib. 5. cap. 14. *Post hæc Merovethus cum a patre in custodia retineretur, tonsuratus est, mutataque veste, qua Clericis vti mos est, Presbyter ordinatur, & ad monasterium Cœnomannicum, quod vocatur Anisola, dirigitur, vt ibi sacerdotali erudiretur regula.* Idem lib. 7. cap. 1. de B. Salvio ex Abbate Albigensi Episcopo: *Relicta sæculari militia monasterium expetivit, in quo monasterio diu sub regula a Patribus instituta versatus est.* Lupus Ferrariens. Abbas epist. 115. *Vt ergo particeps efficiatur doctrinæ memoratus puer, cui juste consulitis silentium, & litteras sui habet Episcopi, perducatur ad nos.* Ejusdem disciplinæ argumentum est, quod ex Constitutione Urbani II. filii Presbyterorum non admittuntur ad sacros ordines, nisi prius in cœnobiis aut cano-

niis probati fuerint. Can. *Presbyterorum.* Can. *Nisi* 56. dist. Clero devoti claustrali disciplina instituebantur in monasterio, vel apud Episcopum. Abbas Urspergens. in Lothario Saxone: *Chunradus in Clericum ordinatus, cum sub puerilibus annis domi litterarum studiis informaretur, tempore maturo Coloniensi Archiepiscopo, altiori studio & disciplina claustrali educandus committitur.*



CAPUT VII.

Monachi defensores Romanorum Pontificum in schismate.

INTER proprias Monachorum laudes, vna e potioribus, hæc est, quod Ecclesiæ Romanæ semper devoti & obsequentiores fuere. Unde tot privilegia ob fidem & obsequium meruere a Gregorio I. & aliis Romanis Pontificibus, & quasi in sinu Romanæ Ecclesiæ in hunc diem versantur. Necnon iidem vnanimi studio Ecclesiæ Romanæ assidui vindices & defensores fuere, adversus ejus hostes & persecutores. Innocentio II. electo in schismate cum Petro Leonis, Monachi omnes ejus partes amplexi sunt, Cluniacenses maxime, & tutelæ causa in Galliam venienti maximo cum affectu ei obvii occurrerunt, domi eum reverenter & liberaliter exceperunt, ex quo magna ei accessit auctoritas: & horum exemplo Reges & Episcopi in ejus obsequium certatim coierunt. Orderic. Vitalis. lib. 13. ad ann. 1134. *Porro Cluniacenses vt ejus adventum cognoverunt, sexaginta equos seu mulos cum omni apparatu congruo Papæ & Cardinalibus Clericis destinaverunt, & vsque ad suam basilicam favorabiliter conduxerunt. Tunc ibidem vndecim diebus Papam cum suis detinuerunt, Ecclesiamque novam in honore sancti Petri Apostolorum Principis, ab eodem cum ingenti tripudio populique frequentia dedicari fecerunt. Inde magnam auctoritatem apud Occiduos promeruit, quod a Cluniacensibus Petro præpositus fuerit. Gregorius itaque a Cluniacis, quorum auctoritas inter nostrates Monachos maxime*

præcellit, amicabiliter ut pater patrum susceptus, pontificali stemmate in Galliis enituit, & deinceps ab Occiduis Principibus & Episcopis susceptus in brevi magnas vires impetravit, &c. In ejusdem partes vno voto cum Cluniacensibus convenere Cistercienses & alii omnes Monachi Galliarum: quo argumento electionem Innocentii maxime tuetur Bernard. Abbas Clarevallens. epist. 126. ad Episcopos Aquitaniæ. *Itaque Camaldulenses, Vallumbrosani, Cartusienses, Cluniacenses, & qui de Majori-monasterio sunt, mei quoque Cistercienses, Cistemblenses, Cadumenses, Tironenses & Saviniacenses: universitas denique & vnanimitas fratrum, tam Clericorum, quam Monachorum, regularis vitæ, probatæque conversationis, sequentes Episcopos, tamquam greges pastores suos, Innocentio firmiter adhærent.* Alexandro III. pariter electo in schismate cum Victore, Cistercienses Alexandri partes totis viribus propugnarunt adversus ejus æmulum, & Fridericum ejus defensorem: qua de causa ita Imperatorem infensum habuere, vt de eorum exterminio in vniversis Imperii partibus altum & meditatum corde consilium cepisset, quod ejus morte evanuit. Helmoldus Hist. Slavor. lib. 1. cap. 91. *Insuper Cisterciensis Ordo eidem vniversus accesserat, in quo sunt Archiepiscopi & Episcopi quamplures amplius quam septingenti, & Monachorum inæstimabilis numerus. Hi singulis annis celebrant Concilium apud Cistercium, & decernunt ea quæ vtilia sunt. Horum invincibilis sententia vel maximas vires addidit Alexandro: quamobrem iratus Cæsar proposuit edictum, vt omnes Monachi Cisterciensis Ordinis, qui consistebant in regno suo, aut Victori subscriberent, aut regno pellerentur.* Idem Albert. Krantzius. Metropol. lib. 6. cap. vlt. *Singulari odio insectabatur Fridericus Ordinem Cisterciensium, Alexandro præcipue inhærentem: vnde subversis ejus Ordinis monasteriis, ex Monachis tot fuere satellites, & item ex Monialibus non pauciora scorta.* Inde ob merita in schismate, ab Alexandro III. privilegium super decimis laborum obtinuere Cistercienses. Cap. *Ex parte.* extr. *De decim.* cap. *Cum ordinem. de Rescript.* Per eadem tempora quamplura surrexere monasteria, quæ fuere totidem castra Dei, in quibus excubarunt Christi milites & tyrones, id est, Monachi, quorum jugibus precibus defenditur Ecclesia ab insidiis an-

tiqui hostis, id est, diaboli. Guillel. Neubrigens. rer. Anglicar. libro 1. capite 15. *Quid autem sentiendum est de his & aliis locis religiosis, qui in diebus Regis Stephani copiosius extrui & florere cœperunt, nisi quod castra Dei sunt hæc, in quibus contra spiritualia nequitiæ Regis Christi excubant milites, & exercentur tyrones, &c.*



CAPUT VIII.

Pia instituta monastica suscepta ab Ecclesia. Monachi vtiles Reipublicæ.

MONACHIS accepta refert vniversa Ecclesia quamplura sacra instituta, quæ ab his assumpta ob vtilitatem propria fecit. Commemorationem omnium fidelium defunctorum postridie festi solemnis omnium Sanctorum celebrandam in suo monasterio & aliis Ordinis instituit B. Odilo Abbas Cluniacensis, felici exemplo & propagine, vniversis Ecclesiis statim eundem ritum secutis. Sigebert. ad ann. 998. *Hoc per illum Abbas Odilo comperto, constituit per omnia monasteria sibi subjecta, vt sicut primo die Novembris solemnitas omnium Sanctorum agitur, ita sequenti die memoria omnium in Christo quiescentium celebretur: qui ritus ad multas Ecclesias transiens, fidelium defunctorum memoriam solennizari fecit.* Idem Petrus Damianus in vit. Odilonis: *Tunc venerabilis Pater Odilo per omnia monasteria sua constituit generale decretum, vt sicut die primo mensis Novembris, juxta vniversalis Ecclesiæ regulam, omnium Sanctorum solemnitas agitur, ita sequenti die in psalmis & eleemosynis, & præcipue missarum solemniis, omnium in Christo quiescentium memoria celebretur.* Idem Glaber. lib. 5. cap. 1. Quia Cassinense monasterium crebro fulmine petebatur, consilio Petri Damiani ad avertenda fulmina institutum jejunium in pane & aqua, & disciplina, sexta quaque feria, & triduanum jejunium in capite Quadragesimæ. Leo Ostiens. Chronic. Cassinens. lib. 3. capite 21. *Porro Domnus Petrus Damianus ad monasterium veniens, cum verbo pariter*

& exemplo ad Dei servitium quoscumque posset ferventer accenderet, tandem permissione Domni Abbatis, ab omni Congregatione obtinuit; voluntaria oblatione, in remissionem peccatorum omnium, ut sexta feria per totum annum pane & aqua contenti, disciplinam singuli facta confessione perciperent, insuper & triduanum jejunium in capite Quadragesimæ per annos singulos agerent. In rebus prophanis etiam Reip. vtiles Monachi esse variis probantur argumentis. Tempore Justiniani duo Monachi ex India Bysantium reversi, rationem conficiendi serici, & alendi vermiculos e mori foliis, quorum fœtus est sericum, Romanis tradidere, vt tolleretur quod ante cum Persis celebre erat commercium serici. De quo Procop. de bell. Gothic. lib. 4. cap. 17. Zonar. in Justiniano. Anno Chr. 1028. Guido Aretinus Monachus, musicus, claruit in Italia, & invenit rationem qua in hunc diem vtimur. Sigebert. de illustr. script. cap. 145. & idem in Chronic. ad ann. 1028. In Gallia regnante Ludovico juniore, eoque expeditionis transmarinæ causa e regni finibus migrante, regni procurator electus est Sugerius Abbas sancti Dionysii, non privilegio monasterii sui, vt credidit Ottho Frisingens de gest. Frideric. libr. 1. capite 55. *Sigerius Abbas sancti Dionysii, regni negotia ob absentiam Regis in Occidentali Francia, juxta illius cœnobii prærogativam, administrabat, sed ob merita personæ, & singularem in rebus gerendis peritiam.*



CAPUT IX.

Monachi scriptis illustrant Ecclesiam. Historiæ scriptores.

NEc modo verbo & opere Ecclesiæ profuere Monachi, verum etiam Ecclesiam scriptis illustrarunt & defenderunt. Inter Monachos Ægyptios Pachomius regulam angelo dictante in ærea tabula conscripsit, & Tabennensibus Monachis a se institutis tradidit, quam Latinam

fecit Hieronym. de quo Pallad. Lausiac. capite 38. Sozom. libr. 3. capite 13. Nicephor. libr. 9. capite 14. Gennad. de illustr. Eccles. scriptor. cap. 7. Inter Monachos Orientis coriphæus Basilius, & ex Monacho Cæsariensis Episcopus, præter regulas fusiores & breviores, & alia ascetica quæ tradidit, scripsit & alia elegantia opera, quæ possunt revera dici partus ante actæ vitæ monasticæ, quæ fuit altior meditatio omnium quæ gessit & scripsit post Episcopatum. Quid Hieronymus Presbyter & Monachus, quot & quanta Ecclesiæ profutura scripsit in secessu Bethleemitico, tum in sacram Scripturam, tum adversus Rufinum, Jovinianum, & alios nequiores hæreticos suæ ætatis? eo magis laudandus, quod ex parte hæc scripsit mandato Episcoporum, quibus ita necessaria visa est ejus opera ad religionis cultum, vt sumptum ei ministrarent in notarios & librarios, quibus vtebatur. Testis ipse Hieronymus in Præfat. ad Proverbia Salomonis ad Chromatium & Heliodorum Episcopos. *Commentarios in Osee, Amos & Zachariam, Malachiam quoque poscitis: scripsissem si licuisset præ valetudine: mittitis solatia sumptuum: notarios nostros & librarios sustentatis, vt vobis potissimum nostrum desudet ingenium.* Evagrius Monachus Macarii discipulus scripsit Græce elegantem librum de vitis Patrum, quem Gennadius Latine reddidit: metro scripsit & duos libros; vnum ad Cœnobitas & Synoditas de vita communi, alterum ad sacras virgines: de quo Gennad. de illustr. Eccles. scriptor. *Composuit & Cœnobitis & Synoditis doctrinam aptam vitæ communis.* Idem Socrat. libr. 4. capite 13. ἓν πρὸς τοὺς ἐν τοῖς κοινοβίοις, ἢ ἐν συνοδίαις μοναχούς. *Unus ad Monachos qui in cœnobiis & conventibus ætatem degunt.* Uterque conjunxit Cœnobitas & Synoditas. Monachi in commune viventes promiscue dicuntur Cœnobitæ & Synoditæ ob communis vitæ rationem: itaque quos lex *Addictos. C. De Episcopali audient.* vocat Synoditas, eadem in Codice Theodosiano habet Cœnobitas, vt recte observavit Cujac. in Nov. 3. *De Monachis.* Joannes Cassianus Monachus e discipulo Joannis Chrysostomi, & in Scythi monasterio, quod est in Syria, diu versatus, quo deceptus forte natione Scy-

tham, quod incredibile est, Gennadius credidit; scripsit libros duodecim de institutis cœnobiorum, quos dicavit Castori Aptensi Episcopo, cujus precibus scripti sunt, vt liquet ex epistolis vtriusque, quæ præfixæ sunt operi: collationes Patrum Ægyptiorum & Orientalium, apud quos versatus erat, viginti quatuor, quarum duas priores inscripsit Leontio & Helladio Episcopis. Quæ omnia scripsit in secessu apud Massyliam, vbi eum condidisse duo monasteria, vnum virorum, alterum mulierum, refert idem Gennad. de illustr. scriptor. capite 61. Fulgentius ex Monacho Ruspensis Episcopus, varia & vtilia scripsit: de quibus Gennad. de illustr. script. capite 14. E monasterio Lerynensi, quod situm est in insula maris Mediterranei, quæ objacet oræ Narbonensi, prodiere insignes sanctitate & scriptis, Eucherius ex Monacho Lugdunensis Episcopus, qui scripsit librum de laudibus eremi: Vincentius auctor Commonitorii adversus hæreticos: Hilarius ex Monacho Arelatensis Episcopus, qui scripsit vitam sancti Honorati decessoris sui, & olim Abbatis Lerynensis: Faustus ex Monacho postea Rhegiensis Episcopus, qui scripsit & libellum adversus Arianos, & alia: de quibus omnibus Gennad. de illustr. scriptor. capite 63. 64. 69. 85. Sidonius in Eucharistico ad Faustum Reiensem. Eugipius Abbas Lucullanus prope Neapolim scripsit vitam sancti Severini Noricorum Apostoli, cujus corpus quiescit Neapoli: scripsit & regulam Monachis monasterii sancti Severini, quod est Neapoli, quam eisdem moriens quasi testamentario jure reliquit. Isidor. de scriptor. Eccles. cap. 13. & idem de viris illustr. capite 26. Paulus Diacon. de gest. Langobard. libr. 1. capite 19. Cassiodorus ex Cancellario Theodorici Gothorum Regis Monachus, Abbas & fundator monasterii Vivariensis, scripsit commentarium in Psalmos: scripsit & libros duos divinarum lectionum, & alia plura quæ extant. Paulus Diaconus eod. libr. cap. 2. Sigebert. de scriptor. Ecclesiast. cap. 40. Benedictus Abbas Cassinensis, Occidui orbis Monachorum Patriarcha, scripsit regulam, quam amplexi omnes fere Monachi Occidentales, quam magnopere commendat Gregorius

gorius Dialogor. 2. capite 36. *Inter tot miracula quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit: nam scripsit Monachorum regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam.* Tempore Justiniani Romæ Dionysius Abbas Paschalem Cyclum composuit. Paulus Diaconus de gest. Langobard. libr. 1. cap. 25. Gregorius ex Monacho & Abbate Romanus Pontifex multa scripsit, quæ percensuit Sigebert. de scriptor. Ecclesiast. cap. 41. Isidor. de scriptor. Ecclesiast. cap. 27. Leander ex Monacho Hispalensis Episcopus, Gregorio carus, varia scripsit, de quibus Isidor. cap. 28. Beda Monachus & Presbyter Anglus consenuit in monasterio Apostolorum Petri & Pauli, quod est ad Wirimudam & Ingirvum: Historiam Anglicam & alia quamplurima in omni genere artium scripsit, innumeros docuit. Tanta fuit ejus fama, vt a Sergio Papa Romam evocatus sit, scriptis litteris ad Ceolfridum ejus Abbatem, vt eo vteretur in enodandis variis quæstionibus fidei, vt liquet ex epistola quam edidit integram Continuator Bedæ libr. 1. cap. 6. Trithem. de scriptor. Ecclesiast. capite 155. Alcuinus, vnus e discipulis Bedæ, magister Caroli Magni, & Abbas sancti Martini Turonensis, multa scripsit, de quibus Honorius de scriptor. Ecclesiast. cap. 33. & Sigebert. cap. 82. Rabanus Maurus ex Abbate Fuldensi, Moguntinus Episcopus, varia scripsit. Honor. de scriptor. Ecclesiast. cap. 33. Sigebert. cap. 90. Smaragdus Abbas scripsit insignem commentarium in regulam Benedicti. Honor. cap. 33. Benedictus Abbas Ananiensis scripsit Concordiam regularum. Sigebert. de script. Ecclesiast. cap. 62. Hincmarus ex Monacho sancti Dionysii Parisiensis Remensis Episcopus, multa scripsit pro libertate Ecclesiæ tuenda. Sigebert. de script. Ecclesiast. cap. 100. Adelmus Monachus scripsit librum de laudibus virginitatis. Sigebert. cap. 66. Paulus Monachus Cassinensis scripsit Historiam Longobard. scripsit & carmine vitam Benedicti. Sigebert. de scriptor. Ecclesiast. cap. 80. Paulus ipse de gest. Longobard. lib. 1. cap. 26. Usuardus Monachus exemplo Bedæ edidit Martyrologium. Sigebert. de script. Ecclesiast. cap. 85. Adrevaldus Monachus Floriacensis scripsit libros duos de mira-

culis sancti Benedicti, a tempore quo corpus ejus e cœnobio Cassinensi translatum est ad Floriacense in Gallia. Sigebert. de script. Ecclesiast. cap. 101. Aimonius Monachus Floriacensis scripsit Historiam Francorum: persecutus est historiam miraculorum Benedicti, ab Adrevaldo cœptam. Sigebert. cap. 102. Ericus Monachus Altisiodorensis metro scripsit vitam sancti Germani Altisiodorensis Episcopi. Sigebert. cap. 105. Regino Abbas Prumiensis scripsit Chronicon. Sigebert. cap. 112. Witichindus Monachus Corbiensis Saxoniæ scripsit Historiam Saxonum vsque ad mortem Otthonis I. Sigebert. cap. 130. Flodoardus Monachus Remensis scripsit gesta Episcoporum Remensium. Sigeberr. cap. 132. Herigerus Abbas Lobiensis scripsit gesta Pontificum Leodiensium. Sigebert. capite 138. Hermannus Monachus cognomento Contractus, quod paralysi membris solutus esset, scripsit Chronicon. Honor. de scriptor. Ecclesiast. cap. 33. Lambertus Schafnaburgensis Monachus Hirsfeldensis, scripsit Annales. Marianus Scotus Monachus Moguntinus, scripsit Chronicon. Sigebert. cap. 160. Sigebertus Gemblacensis Monachus scripsit Chronicon, quod persecutus est Robertus Abbas de Monte sancti Michaelis. Testis ipse Sigebert. cap. 172. Inter Græcos Lanfrancus ex Abbate Cadomensi Cantuariensis Archiepiscopus, scripsit contra Berengarium hæreticum, & alia, de quo Honorius de script. Eccles. cap. 33. Sigebertus eodem cap. 156. Hunc fuisse patria Atalum, ortu Papiensem, sæcularium litterarum & juris civilis peritissimum, refert Orderic. Vital. libro 4. ad ann. 1069. *Hic ex nobili parentela ortus, Papiæ vrbis Italiæ civibus: ab annis infantiæ in scholis liberalium artium studuit, & sæcularium legum peritiam ad patriæ suæ morem intentione laica fervidus edidiscit*, &c. Anselmus Lanfranci discipulus, ex Abbate Beccensi Cantuariensis Episcopus, multa singularia scripsit. Honor. de script. Eccles. cap. 33. Sigebertus cap. 169. Rupertus Tuitiensis Abbas in Germania vniversam pene Scripturam exposuit. Honor. d. cap. 33. Gratianus Monachus Bononiensis Decretum compilavit ex sententiis Patrum, epistolis & decretis Romanorum Pontificum, canonibus Conciliorum, legibus & constitutioni-

bus Cæsarum nonnullis locis intertextis : de quo Henric. Gandav. de scriptor. Ecclesiast. capp. 4. 9. & Abbas Ursperg. Matthæus Westmonast. ad ann. 1151. Hugutio vetus Glossator ad Can. *Post appellationem* 2. quæst. 6. Eodem tempore Bernardus Monachus Cisterciensis, Abbas & fundator monasterii Clarevallensis, & Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis, vita & scriptis claruere. De quibus Henric. Gandav. cap. 9. & 29. Hugo & Richardus Clerici regulares sancti Victoris Parisiensis multa scripsere. Gandav. cap. 25. 26. Ex Ordine Prædicatorum prodiere nobilissimi scriptores : Hugo, qui primus illius Ordinis docuit Theologiam : Vincentius Belvacensis, auctor Speculi historialis : Albertus Coloniensis, & Thomas de Aquino, qui magistrum audivit Albertum : Raimundus de Pennaforti, qui jussu Gregorii IX. Decretales collegit. Ex Ordine Minorum Bonaventura, Joannes Scotus, & alii. Gandav. capite 40. 42. 43. 47. 48. 51. Conradus a Liecthenaw, Abbas Urspergensis, scripsit Chronicon. Matthæus Paris. Monachus sancti Albani, Matthæus Westmonasteriensis dictus Florilegus : vterque scripsit Anglicam Historiam. Willelmus de Nangis Monachus sancti Dionysii, scripsit vitam B. Ludovici & Philippi III. cognomine Audacis. Joannes Trithemius Abbas Spanheimensis, scripsit Chronicon Hirsaugiense & Spanheimense, & alia multa. Paulus Langius Monachus Bozawiensis, discipulus Trithemii, scripsit Chronicon Citizense. Denique hæ sunt laudes propriæ Monachorum, quod sacram Scripturam illustrarunt, Historiam sacram & prophanam ab injuria & barbarie temporum vindicarunt, vitas Sanctorum, & tot Episcoporum tradidere : quorum memoriam acceptam fere debemus stylo & diligentiæ & affectui Monachorum.



CAPUT X.

Monachi colunt hoſpitalitatem. Ritus ſuſcipiendi hoſpites. In adventu hoſpitum ſolvebatur jejunium. Hoſpitalitati modus imponendus.

UTILITATIS Monachorum non mediocre argumentum eſt, ſingularis humanitas, qua ſemper vſi ſunt in ſuſcipiendis hoſpitibus, peregrinis & pauperibus: quæ certe tanta fuit, vt monaſteria potius xenodochia & hoſpitalia, quam Monachorum habitacula viderentur. Veteribus Monachis inprimis curæ fuit ſuſceptio hoſpitum, peregrinorum & pauperum. Hieronymus in Apolog. adverſus Rufinum: *Nobis in monaſterio hoſpitalitas cordi eſt, omneſque ad nos venientes læta humanitatis fronte ſuſcipimus: veremur enim ne Maria cum Ioſeph locum non inveniat in diverſorio, ne nobis* JESUS *dicat excluſus: Hoſpes eram, & non ſuſcepiſtis me. Solos hæreticos non ſuſcipimus.* Caſſianus collatione 14. capite 6. *Quoſdam xenodochii & ſuſceptionis pium delectat obſequium, per quod etiam in præteritis Abraham Patriarcham & Lot Domino placuiſſe ſcimus, & nuper beatum Macarium, ſingularis manſuetudinis ac patientiæ virum, qui xenodochio ita apud Alexandriam præfuit, vt nulli eorum qui ſolitudinis ſecreta ſectati ſunt, inferior ſit credendus.* Inde cum inter fratres orta eſſet quæſtio apud beatum Pambonem, quiſnam potior eſſet e duobus fratribus, quorum alter diſperſis rebus in Eccleſiam & pauperes, artificio e quo vitæ ſolatium, & orationi operam dabat, alter condito & inſtructo monaſterio de rebus ſuis, præcipue ſeſe dabat ſuſceptioni hoſpitum & pauperum: Pambo vtrumque perfectum pronuntiavit, alium functum munere Abrahæ, qui obvios quoſque hoſpitio excipiebat; alterum præditum zelo Eliæ. Palladius Hiſtoriæ Lauſiacæ capp. 15. & 16. Exemplo monaſterii Beccenſis hoſpitalitatis ſtudium commendat Anſelmus Abbas Beccenſis libro 3. epiſtola 15. *Memores etiam eſtote, qua ratione ſemper Eccleſiæ Beccenſi amicos acquirere con-*

ſuevi, & hoc exemplo amicos vobis undecumque acquirere feſtinate, hoſpitalitatis bonum ſectando. Singula monaſteria habebant ſuum xenodochium, quo excipiebantur hoſpites & peregrini. Palladius Hiſtoriæ Lauſiacæ capite 6. de monaſterio Nitrienſi in Ægypto: *προσκειται δὲ τῇ ἐκκλησίᾳ ξενοδοχεῖον, εἰς ὃ τὸν ἀπελθόντα ξένον δεξιοῦνται πάντα τὸν χρόνον, κἂν ἐπὶ διετίαν, ἢ τριετίαν μεῖναι θελήσῃ, μέχρις οὗ αὐθαίρετος ἀναχωρῆσαι θελήσῃ. Prope Eccleſiam autem poſitum eſt xenodochium, in quo venientem hoſpitem toto tempore accipiunt, etiam ſi biennium aut triennium voluerit manere, donec velit ſua ſponte recedere.* Advenientibus hoſpitibus occurrebatur cum honore & reverentia, ac ſi Chriſtus in carne ſuſciperetur. Caſſianus collatione 2. capite 26. *Nam & menſuram cibi cauſa continentiæ ac puritatis, cum omni ſcrupulo cuſtodire debemus; & humanitatem atque adorationem advenientibus fratribus caritatis obtentu ſimiliter exhibere.* Inde regula Benedicti capite 53. *Omnes ſupervenientes hoſpites tanquam Chriſtus ſuſcipiantur, quia ipſe dicturus eſt: Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me.* Advenientes hoſpites recipiebantur oratione præmiſſa, quaſi teſſera fraternitatis. Rufinus de vit. Patrum libro 1. capite 1. in Joanne Lycopolita: *Et rogatus eſt a nobis, ut orationem ſimul & benedictionem daret. hic enim mos eſt apud Ægyptum, ut ubi advenerint fratres, ſtatim per orationem ſibi invicem confœderentur.* Et infra: *Propterea enim & forma hujuſmodi inter Monachos obſervatur, ut ſi quis ad eos veniat, ſive vir ille, ſeu mulier ſit, ſive ſenex, ſive juvenis, ſive ignotus, ſive notus, ante omnia ut oratio fiat, & nomen Domini invocetur, quia ſi fuerit aliqua transformatio dæmonis, continuo oratione facta diffugiet.* Idem eodem libro capite 2. de Hor Abbate: *Cumque ſalutans nos oraſſet, more ſibi ſolito pedes hoſpitum propriis manibus lavat, & docere nos ex Scripturis, quæ ad ædificationem vitæ ac fidei pertinent, cœpit.* Caſſianus collatione 18. capite 11. *Cum enim quidam ad eum ſummam ſui abjectionem habitu ac verbis præferens veniſſet, cumque ſenex ſecundum morem ut orationem colligeret hortaretur.* Idem Palladius in Hiſtoriæ Lauſiacæ cap. 43. in eodem Joanne Lycopolita: *καὶ ἠξιοῦμεν αὐτὸν εὐθὺς εὐχὴν τελέσαι, πρῶτον ὑπὲρ ἡμῶν· τοῦτο γὰρ ἔθος τοῖς πατράσιν ἐστὶ πᾶσι τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ. Rogabamus autem eum, ut ſtatim pro nobis per-*

ageret orationem : est enim hic mos Patribus qui sunt in Ægypto. Susceptio hospitum caute fiebat præmissa oratione, ne illusio fieret a dæmone, forte specie hospitis advenientis. Et hoc est quod ait regula Benedicti d. capite 53. *Ut ergo nunciatus fuerit hospes, occurratur ei a Priore, vel a fratribus, cum omni officio caritatis, & primitus orent pariter, & sic sibi socientur in pace, quod pacis osculum non prius offeratur, nisi oratione præmissa, propter illusiones diabolicas.* Hospites sic suscepti præmissa oratione deducebantur in cœnaculum, quod erat destinatum susceptioni hospitum, quod erat seorsim a septis monasterii, haud procul a vestibulo monasterii. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 4. capite 7. *Sed deputatur seniori, qui seorsum haud longe a vestibulo monasterii commanens, habet curam peregrinorum & advenientium deputatam, eisque omnem diligentiam susceptionis & humanitatis impendit.* Capitulare Aquisgranens. anno Christi 817. can. 27. *Ut Abbas vel quispiam fratrum ad portam monasterii cum hospitibus non reficiantur.* Cellam hospitum vocat regula Benedicti loco modo laudato : *Item & cellam hospitum habeat assignatam frater, cujus animam timor Dei possideat.* Domum hospitum vita D. Bernardi libro 1. capite 13. *Quibus adhuc in domo hospitum demorantibus, dum novellas plantationes cælestibus rigaret obsequiis, supervenit Portarius Monachus.* In singulis Ecclesiis & monasteriis, ædibus hospitum & peregrinorum præpositus erat vnus e senioribus, vt nos docuit Cassianus loco proxime laudato, & regula Benedicti, qui magister hospitum dictus est. Cæsarius de Miraculis libro 7. capite 39. *Quia non solum verbis & aspectu, imo etiam odore famæ ejus multi ædificabantur, magister hospitum creatus, vulgo Hospitalarium vocant.* Inde e Pelusiensis monasterii vestibulo hospites verberibus abactos ab eo, cui hospitum cura demandata erat, queritur Isidorus Pelusiota libro 1. epistola 150. Ecclesiæ etiam suum habuere xenodochium, & Præfectum xenodochii, quem Græci ξενοδόχον. Palladius Historiæ Lausiacæ cap. 1. Ἰσιδώρῳ πρεσβυτέρῳ ὄντι ξενοδόχῳ τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας. *Isidoro Presbytero & Hospitalario Alexandrinæ Ecclesiæ.* Susceptorum hospitum ante refectionem pedes lavabantur, ex more Ægyptiorum Patrum. Cassianus collatione 18. capite 11. *Cum vero*

etiam ad ablutionem pedum multo minus præbuisset assensum, tum Abbas Serapion refectione transacta, collationis consuetudine provocante, monere eum benigne ac leniter cœpit. Rufinus de vit. Patrum libro 1. capite 21. *Tunc deinde susceptos nos adducunt primo cum psalmis ad Ecclesiam, lavant pedes, ac singuli quidem linteis, quibus vtebantur, abstergunt, quasi viæ laborem levantes.* Augustinus in Joannem tractatu 18. in illa verba: *Si ergo ego lavi pedes vestros. Didicimus, fratres, humilitatem ab Excelso: faciamus invicem humiles, quod humiliter fecit Excelsus. Magna est commendatio humilitatis, & faciunt sibi hoc invicem fratres, etiam opere ipso visibili, cum se invicem hospitio recipiunt; est enim apud plerosque consuetudo hujus humilitatis vsque ad factum, quo cernatur expressa,* &c. Et Joannes Chrysostomus in Matthæum Homil. 73. ἀλλὰ πάντες τῶν διακονουμένων εἰσὶ, καὶ ἕκαστος τοὺς πόδας νίπτει τῶν ξένων. *Sed omnes ministri sunt, & ab vnoquoque peregrinorum pedes lavantur.* Inde regula Benedicti d. capite 53. *Aquam in manibus Abbas hospitibus det, pedes autem hospitibus omnibus tam Abbas quam cuncta Congregatio lavet.* Cluniacensibus objectabant Cistercienses, quod regula minus servaretur apud eos in ablutione manuum & pedum præscripta in susceptione hospitum. Sed de hoc recte se excusat Petrus Cluniacensis libro 1. epistola 28. propter frequentiam hospitum. *Tanta recte,* inquit, *est adventantium fere semper frequentia, vt si omnibus inclinare, vel ante omnes prosterni oporteat, si omnibus manus & pedes abluere expediat, cum eis ab ortu solis ad occasum fratres omnes esse necessarium sit, & tam in metanœis, quam in ablutione manuum & pedum, totam diem expendere.* Patres Ægyptii auctores fuere pii moris, lavandi pedes hospitum, sed consectanei veteris moris Christianorum, quem indicat Tertullianus libro 2. ad vxorem: *Jam vero alicui fratrum ad osculum convenire? aquam sanctorum pedibus offerre?* Susceptionem hospitum sequebatur lotio pedum, & post eam statim refectio, vt actutum dimitterentur. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 5. capite 24. *Cum de Syriæ partibus seniorum scita discere cupientes, Ægypti provinciam petissemus, ibique tanta cordis alacritate nos suscipi miraremur, vt nulla prorsus, sicut fueramus in Palæstinæ monasteriis instituti, vsque ad præstitutam jejunii horam refectionis re-*

gula servaretur, sed absque legitimis quartæ sextæque feriis quocumque pergebamus, quotidiana statio solveretur. Idem cap. 26. ejusdem libri: *Itaque ut norunt in adventu fratrum indifferenter solvere quotidiana jejunia, ita discedentibus eis refectionem ob illos indultam continentia majore compensant.* Idem collatione 2. capite 25. *Nam nonnumquam hora nona, soluta jam statione jejunii; supervenientibus fratribus, necesse est eorum obtentu, aut adjici aliquid ad statutam solitamque mensuram, aut certe humanitatem, quam jubemur omnibus exhibere, penitus abdicari.* Nec modo in gratiam supervenientum hospitum solvebatur jejunium; sed etiam in refectione hospitum pulmentum, id est, cibus coctus, addebatur. Cassianus collatione 2. capite 21. *Si vultis experiri vim statuti hujus, modum istum jugiter retinete, nullum extrinsecus coctionis pulmentum die Dominico vel Sabbati, neque sub aliqua advenientium fratrum occasione sumentes.* Idem collatione 8. capite 1. *Consummatis quæ diei solemnitas exigebat, & Ecclesiæ congregatione dimissa, reversi ad cellam senis refecti primum lautissime sumus: nam pro muria quæ superjecta olei gutta, quotidianæ refectioni solebat apponi, modicum liquaminis miscuit, & olei quiddam solito propensius superfudit,* &c. Idem collatione 15. capite 10. *Dum advenientibus viris sanctis pulmentum lenticulæ, quod illi atheram nominant, præpararet, manus ejus in clibano, ut assolet, flamma supervolitante combusta est.* Idem collatione 19. capite 6. *Ad hoc generale cunctorum pondus, id est, communem parandi victus sollicitudinem revertamur, quæ eo usque mensuram non dico illius antiquæ districtionis excussit, sed ne hac quidem nostri temporis remissione cœpit esse contenta, in qua uno olei sextario, itidemque lenticulæ modio advenientium usibus præparato, totius annuæ refectionis explebantur officia.* In adventu beati Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis Angliæ finibus exulantis, in monasterium sancti Bertini apud Aretios, poscente quopiam ut liceret fratribus pinguibus, id est, carne vesci, quod forte carne carerent, subito fratribus ad piscatum descendentibus flumen, piscis exiliit de aqua. Alanus vit. beati Thomæ libro 2. capite 5. *In eundo vero ait quidam: Domine, fatigatus es ex itinere, & venturi sumus hodie ad eximiæ humanitatis viros, qui plurimum congratulabuntur tibi in Domino, quia illæsus evasisti:*

fac

fac igitur caritatem eis, vt pro adventu tuo comedant hodie pinguia. Quarta, inquit Archiepiscopus, feria, & opus nos hodie a talibus abstinere. Et subintulit alter: Domine, forsitan, non abundant piscibus, & oportebit nos eis condescendere. Domini est, inquit Archiepiscopus, id providere. Inter loquendum igitur, ad nutum Dei exiliens de aqua grandis piscis, quem Bremam vocant, projecit se cum impetu in gremium viri Dei. Abeuntes hospites, qua suscepti erant comitate, dimittebantur, & a nonnullis fratribus deducebantur: quare inter graviora cœnobiorum incommoda, frequentiam & concursum hospitum, eorum susceptionis & deductionis officium refert Cassianus collatione 19. capite 6. *Vt illa prætermittam, quibus attonita anima, ac spiritalibus theoriis semper intenta, specialius ingravatur, concursus scilicet fratrum, susceptionis quoque ac deductionis officia.* Hospitalitatis studium valde commendatur in monasteriis: sed hospitalitati modus imponendus est pro viribus monasterii, ne hospitalitatis nimio sumptu monasteria depauperentur. Gregorius libro 2. Indictione 11. epistola 3. ad Eusebium Abbatem: *De hospitalitate*, inquit, *esto sollicitus, quantum potes, pauperibus largire, ita tamen vt serves quod Floriano restitui debeat, id est, deducto prius ære alieno.* Monasteria etiam suum habuere ptochotrophium juxta vestibulum monasterii, in quo advenientes pauperes suscipiebantur. Eleemosynæ modum non minui, imo si liceat augeri, præcipit Anselmus Abbas Beccensis, postea Cantuariensis Archiepiscopus, libro 3. epistola 26. *Constitutionem nostram & vestram de eleemosyna pauperum, nullo modo minui permittatis, sed potius si poteritis intelligere, qualiter eam rationabiliter augere possitis, augete.* Ideo in singulis monasteriis eleemosynis pauperum distribuendis præpositus erat vnus e Monachis, qui dictus est Eleemosynarius. Idem libro 3. epistola 97. *Ordinate itaque vos, Domine Prior, de eleemosyna, non per servientes, qui plus quærunt quæ sua sunt, quam quæ Dei sunt, sed per Monachum Eleemosynarium.* Ecclesiis etiam majoribus fuit suum ptochotrophium. Inde pauperes in Ecclesiæ porticu locat Joannes Moschus Limonar. capite 185. ὡς δὲ εἰσῄγαγεν αὐτὸν εἰς τὸν πόρτικα τῆς ἐκκλησίας, ἔδειξεν αὐτῷ τοὺς πτωχούς. *Cum ergo induxisset illum in Ecclesiæ porticum, ostendit ei pauperes.*





CAPUT XI.

Societas cum fratribus. Societas inter monasteria & Ecclesias.

QUAM vtiles & omnium votis desiderabiles essent Monachi, satis constabit & hoc argumento, quod Reges, Principes, Optimates, Pontifices, Episcopi se eorum precibus commendarent, & societatem suffragiorum & precum, quam vocant fraternitatem, ab his expeterent. Beatum Maurum beati Benedicti Patris Vicarium in Gallia, Abbatem & fundatorem Glannafolii monasterii, adiit Theodobertus Rex Francorum, & ab eo petiit vt in societatem fratrum reciperetur. Faustus in vita beati Mauri apud Surium Januar. 14. *Tunc Rex beatum Maurum petiit, vt fratres eum in suam recipere dignarentur societatem, & nomen ejus inter sua nomina scribere.* Hoc exemplo Cluniacenses in fratres & beneficiorum participes sibi ascivere Reges Francorum, Anglorum, Hispanorum, Hungarorum, etiam Reges Romanorum, & Imperatores ipsos. Petrus Cluniacensis lib. 2. epistola 39. *Prioratus de Caritate subditus monasterio Cluniacensi, sicut prædecessores nostri, ac nos ipsi, Reges Francorum, Reges Anglorum, Reges Hispanorum, Reges Germanorum, ipsos Imperatores Romanorum, ac vicinos vobis Reges Ungarorum, confratres ac comparticipes omnium beneficiorum Cluniacensis congregationis fecimus*, &c. Adelæ Comitissæ Carnotensi participium precum fratrum sancti Joannis in valle offert Ivo Carnotensis epistola 92. ad eam scripta: *Pro hoc enim a fratribus prædictæ Ecclesiæ habebitis munus orationum, & a nobis fidele servitium.* Ludovicum Juniorem Regem Francorum in Cisterciensium fraternitatem cooptavit Stephanus Abbas Cisterciensis. Testis Bernardus epistola 45. ex persona Stephani Abbatis: *Cæterum vos quonam consilio eisdem nostris pro nobis orationibus, quas, si recolitis, olim tam humiliter requisistis, modo tam acriter repugnatis?* A Cisterciensibus jure fraterni-

tatis quoque dônatus Episcopus Parisiensis, vt insinuat Abbas Cisterciensis eadem epistola, qua intercedit apud Regem pro Episcopo Parisiensi: *Alioquin si non meremur exaudiri, sed contemnimur, ex hoc jam noveritis, parvitatem nostram, in quibus valuerit, non posse deesse Ecclesiæ Dei, & ministro ejus venerabili, videlicet Patri & amico nostro Episcopo Parisiensi, qui nostram adversus vos humilitatem interpellans, nostras pro se ad Dominum Papam jure fraternitatis literas requisivit.* A Cassinensibus jus fraternitatis impetravit Pandulfus Marsorum Episcopus. Leo Ostiensis libro 2. capite 99. *Sicque societate ac benedictione fratrum percepta reversus, ex eo tempore familiarissimus monasterii fuit.* Anno 1244. Capitulo Cisterciensium interfuit & beatus Ludovicus Rex Francorum, vna cum matre Blancha, & ab eis suffragium precum expetiit. Matthæus Parisiensis: *Imminente vero sancti Michaelis festivitate, convenientibus, vt moris est, de diversis regionibus Abbatibus Ordinis Cisterciensis ad suum Capitulum generale, venit illuc devotissime Dominus Rex Francorum, precum suffragia ab omnibus ipsis Monachis congregatis petiturus.* Anno Domini 1049. Concilio Remensi præfuit Leo IX. Pontifex, & soluto Concilio, processit in Capitulum fratrum sancti Remigii, & societatem precum ab his petiit & accepit, vt legitur in gestis ipsius Concilii. Laicis in societatem fratrum adscitis dabantur literæ fraternitatis, & eo nomine præstabatur annua pensio monasterio, quæ fraternitas dicitur, quod nomine fraternitatis penderetur: & mittebantur nonnulli e fratribus ad exactitandas hujusmodi fraternitates, seu collectas. Cap. *Ut privilegia.* extra *De privileg.* & fratrum nomina describebantur in martyrologio, id est, tabulario monasterii, simul cum nominibus Professorum, & pro his anniversarium celebrari solebat. Tabulæ Guidonis de Noers in monasterii Reomaensis Historia, in Hugone III. Abbate: *Audito autem ejus obitu, & comperto, nomen ejus in regula cum nominibus fratrum scribetur, & sicut de Professis ipsius Ecclesiæ fieri solet, de eodem prosequetur, & vlterius pro ejus anima & antecessorum suorum, missa pro fidelibus Dei in perpetuum celebrabitur, & ejusdem & patris sui anniversarium non prætermittetur.* Hoc genus fraternitatis semel

datæ instaurari quoque moris fuit. Ordericus Vital. libro 5. ad ann. 1074. *Tunc Hugo fraternitatem Monachorum, quam olim in infantia acceperat, renovavit.* Eodem jure fraternitatis inter se vsi sunt Monachi, vt suffragiis precum invicem juvarentur, & qui vniverso orbi proderant, ii sibi invicem non deessent. Fulgentius ex Monacho Ruspensis Episcopus, ante Episcopatum constructo monasterio, imposuit Felicem Abbatem alterius monasterii, cui suffectus est vnus e fratribus, Vitalis nomine: ea lege vt perpetuum fœdus esset inter illa monasteria, vt vtriusque Professi conversionis ordinem inter se servarent, & invicem non vt hospites, sed vt fratres susciperentur. Auctor ejus vitæ apud Surium 14. Januar. *Tali vero caritatis lege monasteria vtraque præcipiebat vniri, vt quasi non fuissent locis divisa, sic essent vnanimitate conjuncta: si quos autem novos Monachos vel in isto, vel in illo monasterio Christus acquireret, tempus inter se conversionis ordinemque servarent; & si quandoque ad se videndos, jubentibus duntaxat Prioribus, venirent, non vt hospites, sed quasi vnius Congregationis homines susciperentur.* Non dispar fuit societas spiritualium inter Cassinense & Cluniacense cœnobia. Leo Ostiensis Chronic. Cassinens. libro 3. capite 50. *His temporibus Hugo venerabilis, Cluniacensis Abbas, vir vitæ ac famæ celebris, ad Patris Benedicti limina devotus advenit, quem venerabilis Desyderius, vt tantum decebat virum, magno cum honore suscipiens, & societatem Cluniacensium fratrum nostræ Congregationi conjungens inito fœdere, & nostræ apud illos, & illorum apud nos Congregationis memoriam perpetuò habendam singulares illi viri decreverunt.* Multis quoque monasteriis & sæcularibus Ecclesiis, Episcopis, Principibus & optimatibus viris fraternitas fuit cum monasterio Hirsaugiensi, quod est in Germania. Trithemius Abbas in Chronic. Hirsaugiens. ad annum 1191. *Multi quoque rectores vna cum subditis sibi commissis, confraternitatem cum ipso & Monachis Hirsaugiensibus perpetuam, pactis suffragiorum interpositis, laudabilem contraxerunt, diversis diversa post mortem subsidia orationum dantes & recipientes. Canonici quoque sæcularium Ecclesiarum, simul & Cathedralium, in diversis provinciis constituti, Principes quoque, no-*

biles, Pontificesque & potentes multi in sæculo, audita conversatione sanctissima Willhelmi Abbatis, & Monachorum Hirsaugiensium, eorum se orationibus devotissime commendantes, orabant instantius in eorum suscipi confraternitatem, &c. Inter monasterium sancti Galli apud Helvetios, & Augiense in Germania, & inter alia monasteria Germaniæ, frequentiores fuere fraternitates: de quibus Goldast. Antiquit. Alemann. tom. 2. pag. 180. Inter Remensem & Treverensem Ecclesiam fuit quoque societas, & eo nomine se excusavit Hincmarus Remensis Episcopus, quod Synodum convocasset de Episcopis vtriusque provinciæ, apud Aimoinum libro 5. capite 21. *Ne alicui forte videatur, inquit, incongrue ac præsumptuose me ac provinciæ nostræ venerabiles Coepiscopos facere, quoniam de altera provincia ordinationi, & causis hujus provinciæ nos immiscemus: sciat nos contra canones sacros non agere, quoniam Remensis & Trevirensis Ecclesiæ in hac regione Belgica, cum sibi commissis Ecclesiis, sorores & comprovinciales habentur, sicut auctoritas ecclesiastica, & antiquissima demonstrat consuetudo: ac per hoc vnanimi consensu & synodalia judicia, & quæ a sanctis Patribus custodita sunt, debent concorditer custodire, hac privilegii conditione servata, vt qui prior de Remensi & Trevirensi Episcopo fuerit ordinatus, prior etiam habeatur.* Hinc in testamento Remigii Remensis Episcopi apud Flodoardum Remensis Historiæ libro 1. capite 18. Remensis Ecclesia dicitur soror Trevirensis Ecclesiæ, propter fraternitatem quæ erat inter eas. *Et deinde Ecclesia Remensis, adjuncta sibi sorore, Ecclesia scilicet Trevirensi, iterum conveniat.*





CAPUT XII.

Monasteria loca pœnitentiæ. Detrusio in monasterium pœnæ causa. Episcopi & Presbyteri depositi traditi monasterio solatii causa.

AD hoc etiam prosunt monasteria, quod sint loca pœnitentiæ, & vivorum quasi purgatoria, peccatorum ergastula. Hieronym. ad Damasum: *Et quia pro meis facinoribus ad eam solitudinem commigravi, quæ Syriam juncto Barbariæ fine disterminat.* Idem ad Augustin. *Ego in parvo tuguriolo cum Monachis, id est, compeccatoribus meis, de magnis statuere non audeo.* Augustin. de vera & falsa pœnitentia capite 15. *In omnibus dolens, aut sæculum delinquat, aut saltem illa, &c.* Bernard. epist. 49. *Degentes in monasteriis, ad quæ nos nostra peccata compulerunt.* Ideo Clerici depositi, pœnæ causa detrudi solebant in monasterium. Conc. Tolet. IV. can. 44. *Clerici qui in quacumque seditione arma volentes sumpserint, aut sumpserunt, reperti, amisso ordinis sui gradu in monasterium pœnitentiæ tradantur.* Can. *Clerici* 23. quæst. 8. Conc. Agathens. can. 50. *Si Episcopus, Presbyter aut Diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsaverit, aut falsum testimonium dixerit, ab officii honore depositus, in monasterium detrudatur, & ibi quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat.* Can. *Si Episcopus* 50. dist. Conc. Aurelian. III. can. 7. *Si quis Clericus adulterasse, aut confessus, aut convictus fuerit, depositus ab officio, communione concessa, in monasterio toto vitæ suæ tempore detrudatur.* Can. *Si quis Clericus* 81. dist. Conc. Tarraconens. anno Domini 516. can. 1. *Si quis hæc a nobis statuta contempserit, si Clericus est, loci sui dignitate privetur: si vero religiosus, vel Monachus, in cella monasterii reclusus, pœnitentiæ lamentis incumbat, ubi singulari afflictione panis & aquæ victum ex Abbatis ordinatione percipiat.* Conc. Cabillonens. II. can. 40. *Unde statuimus ut gradu amisso, agendæ pœnitentiæ gratia, in monasterium aut in canoniam regularem mittantur.*

Quem canonem ex Concil. Moguntino perperam laudat Gratian. in can. *Dictum est* 81. dist. Hac pœna damnatus Riculfus Presbyter in Concilio Turonensi. Gregor. Turon. libr. 5. cap. 49. *Cum consilio comprovincialium eum in monasterium removeri præcipio.* Hoc genus pœnitentiæ a Romanis Pontificibus indici moris fuit. Gelasius ad Rufinum Episcopum : *Hoc tamen sollicitudinis tuæ sit, ut locum ei pœnitentiæ constituas, & in aliquo eum monasterio retrudas, laica tantummodo sibi communione concessa.* Can. vlt. 55. dist. Sic Episcopus non residens a Gregorio I. reclusus in monasterium, lib. 5. epist. 23. Can. *Pervenit* 7. quæst. 1. Et Contumeliosus Regensis Episcopus, ob adulterium submotus Episcopatu, a Ioanne II. P. relegatus in monasterium. Ex ipsius epist. ad Cæsarium Arelatensem tom. 1. Conc. Galliæ. *Sed te ordinante in monasterio dirigatur, vt ibi delictorum memor, in pœnitentia lacrymas effundere non omittat.* Et Stephanus II. consultus de Presbytero, qui non rite baptizavit, depositum ab ordine, sub districta pœnitentia mittendum in monasterium, respondit, Responsorum can. 13. 14. tom. 2. Conc. Galliæ. Hac pœna in hæreticos resipiscentes vsi Syricius & Anastasius. Anastas. in Syricio : *Vt si quis conversus de Manichæis rediret ad Ecclesiam, nullatenus communicaretur, nisi tantum relegatione monasterii diebus vitæ suæ teneretur obnoxius.* Idem in Anastasio : *Multos Cataphrygas in vrbe invenit, quos exilio in monasteriis relegavit.* Anno Domini 1121. Gregorius cognomine Burdinus, pseudo-Pontifex, a Sutrinis Callisto II. traditus, in Canense monasterium detrusus est. Orderic. Vital. libr. 11. ad ann. 1120. Sigon. libr. 2. Histor. Bononiens. Clericos conscios nefariæ cædis Thomæ Cantuariensis Episcopi depositos, in districto claustro Monachorum vel Canonicorum Regularium, si fieri posset, recludi jussit Alexander III. vindex sceleris acerrimus. Cap. *Sicut dignum*, in fin. extr. *De homicid.* Clericos sodomiæ vitio fœdatos, pœnitentiæ causa in monasterium detrudendos censuit idem Pontifex. Cap. *Clerici.* extr. *De excess. Prælat.* Ait Pontifex, si fieri posset, quia Monachi ea ætate ægre ferebant Clericos criminosos in monasteria tamquam in insulam relegari, vixque damnatos in monasterium admittebant. Ex quo ob repu-

gnantiam Monachorum hæc pœna in vsu esse desiit. Hanc vsu desuetam agnoscit Platina in Christophoro: *In monasteria tamquam in insulas Clerici male de Ecclesia Dei meriti tum relegabantur.* Clerici lapsi pœnæ causa cum rebus suis in monasterium relegabantur, ne locis quibus dati erant, onerosi essent. Gregor. libr. 1. epist. 42. Can. *De lapsis* 16. quæst. 6. Aliquando etiam Episcopi vel Clerici depositi, solatii & alimoniæ causa monasterio tradebantur. Hac de causa Theugaudus Trevirensis Episcopus olim cum Gunterio Coloniensi Episcopo a Nicolao I. depositus, ab Adriano II. in monasterio B. Andreæ in vrbe a Gregorio I. constructo mansionem accepit. Jo. Diaconus vit. Gregorii lib. 4. cap. 94. *Alio quoque tempore Thetgaudus quondam Treverensis Episcopus, qui cum Guntario Agripinæ Coloniæ Episcopo, a reverendæ memoriæ Nicolao fuerat sacerdotali privatus officio, liberalitate Adriani Pontificis in eodem monasterio mansionem suscepit.* Etiam Reges hac pœna vsi sunt in Episcopos & Clericos ob crimen perduellionis, vt Guntranus Rex Francorum in Salonium Ebredunensem, & Sagittarium Vapinensem Episcopos. Gregor. Turon. lib. 5. capite 21. *His auditis Rex commotus valde, tam equos, quam pueros, vel quæcumque habere potuerant, abstulit, ipsosque in monasteriis a se longiori accessu dimotis, in quibus pœnitentiam agerent includi præcepit,* &c. Meroveus Chilperici filius, ob incestum connubium Brunichildis, a patre tonsurari jussus, posteaque Presbyter ordinatus, relegatus in monasterium, disciplinæ obtentu. Gregor. Turon. libr. 5. cap. 14. *Post hæc Merovethus cum a patre in custodia retineretur, tonsuratus est, mutataque veste, qua Clericis vti mos est, Presbyter ordinatur, & ad monasterium Cenomannicum, quod vocatur Anisola, dirigitur, vt ibi sacerdotali erudiretur regula.*



CAPUT

CAPUT XIII.

Mulieres reclusæ in monasterium pœnitentiæ causa. μετάνοια.

NON modo viris, sed & mulieribus monasteria sunt loca pœnitentiæ, & ad restituendos muliebres mores aptissima, sublata peccandi potestate. A Justiniano sublatum lupanar, & institutum monasterium mulierum pœnitentium, quod vocavit *μετάνοιαν*. Procop. de ædific. Justinian. libr. 1. capite 9. *διὸ καὶ μετάνοιαν τοῦτο δὴ τῶν γυναικῶν τὸ διαιτητήριον ὁμωνύμως τῷ ἔργῳ ἐπονομάζουσι. Cui rei consentaneo nomine Pœnitentia dicitur, hoc mulierum domicilium.* Ab eodem in monasterium damnatæ mulieres adulteræ. Nov. 134. capite 10. Auth. *Sed hodie.* C. *Ad leg. Jul. de adulter.* In Gallia meretriculæ Parisienses verbo prædicationis a Volcone Presbytero, ad meliorem frugem demutatæ, aliæ tonso capillo, in monasterium pœnitentium reclusæ, aliæ collata dote a civibus & scholaribus Parisiensibus nuptum elocatæ. Auctor Appendic. Otthonis Frisingens. cap. 47. *Meretricum autem sectam, quæ infami commercio vitam suam probrose prostituerant, omnimodis in ea regione deposuit, easque verbo prædicationis conversas, plures truncatis crinibus habitu religionis induit professione perpetuæ castitatis: alias autem quæ continere non præsumebant, casum ex fragilitate timentes, data eis in dotem non modica pecunia, legitimo connubio reformavit, ad quod efficiendum Parisienses scholares ducentas quinquaginta libras erogaverunt argenti, Burgenses quoque mille & amplius.* Paulo post B. Ludovicus mulieribus pœnitentibus Lutetiæ monasterium posuit, quod Filiarum Dei dictum est. Willelmus Nangius de gest. ejus: *Præterea miserandarum mulierum, quæ propter victus penuriam erant publice expositæ ad lupanar, vel ad exponendum paratæ, quæ tantum panem & aquam ab ipso petebant, ut sic a peccato caverent, in domo Filiarum Dei Parisiis magnam multitudinem congregavit, ac eisdem pro su-*

stentatione annuatim quatuor centum libras Parisiis assignavit. Hoc monasterium a Ludovico XII. dote auctum & ampliatum, refert Guaguinus. In Hispania etiam fuere monasteria feminarum pœnitentium, de quibus meminit Conc. Tolet. IV. can. 55. in fin. *Ac pœnitentibus feminis quæ sanctimonialem habitum induerunt.* Harum institutum probavit Concil. Trident. sess. 25. *De Regular.* cap. 18.



CAPUT XIV.

Militiæ munus Regi præstatur ab Abbatibus.

LICET lacrymæ sint arma & munimenta Clericorum & Monachorum, & eorum precibus salva sint regna & imperialia: tamen rebus afflictis Abbates & Monachi militare etiam obsequium Regibus non denegarunt; & quidem ne per se militent vetitum, sed per vassallos, id est, milites qui ab eis feuda tenebant, facile id permissum. Synod. Suessionens. habita anno Chr. 744. *Abbates legitimi hostem non faciant, nisi tantum homines eorum transmittant.* Ne Abbates hostem faciant, id est, per se pergant in expeditionem, vetatur: sed hoc vnum conceditur, vt militare servitium præstent per suos homines, id est, per vassallos seu clientes suos. Sic hominibus suis bello & sumptu fatigatis per biennium, vacationem a bello deposcit Lupus Abbas Ferrar. epist. 25. ad Ludovicum Abbat. *Homines nostri toto hoc fere biennio, aut nobiscum, aut soli generalis expeditionis difficultatibus fatigati, censu rei familiaris in hujusmodi servitio effuso, onere paupertatis gravantur. Subveniat itaque illis vestra insignis clementia, &c.* Et idem propter inhabilitatem se excusat a militia epist. 78. ad Pardulum Laudunensem. Episc. *Quæso vt nunc & quotiescumque possibilitatem Dominus largitus fuerit, tutum vestra intercessione reddere curetis: ego, vt nostis, hostem ferire ac vitare non didici, nec vero cætera pedestris ac equestris militiæ officia exequi.* Per vicarium expeditione functus est Abbas S. Galli. Rappert. de casib. monast. S. Gal-

li cap. 9. *Harmotus vero præcipiente Grimaldo omnes labores & itinera, sive ad curtem, sive in expeditionem, & ad omnes alias necessitates, vice illius strenue complevit.* Idem fuit munus Episcoporum etiam militarem operam cum suis Principi præstare. Hinc querela adversus Episcopos Galliæ, quod vocati ad Synodum Romanam defuissent, obtentu expeditionis Normannicæ. Nicolaus I. epist. 27. ad Ludovic. & Carolum Reges: *Reprehensibile valde constat esse, quod subintulisti dicendo, majorem partem omnium Episcoporum die noctuque cum aliis fidelibus tuis contra piratas maritimos invigilare, ob idque Episcopi impediantur venire, cum militum Christi sit, Christo servire; militum vero sæculi, sæculo.* Can. *Reprehensibile* 23. quæst. 8. Episcopos Gallos & Germanos ad bellum armatos procedere cum audiret Petrus Damiani, rem execratus, epistolam scripsit ad Firminum Episcopum, quæ est 9. lib. 4. in prælio Bovinensi captus memoratur Philippus Belvacensis Episcopus: hunc clava, non gladio usum, ne sanguinem funderet, refert Guill. Brito, Philippid. lib. 11.

Sic plerosque alios clava sternebat eadem,
Militibus super hoc titulum palmamque resignans,
Accusaretur operam ne forte Sacerdos
Gessisse illicitam, cui numquam talibus inter
Esse licet, ne cæde manus oculosque prophanet.





ASCETICΩN
SIVE
ORIGINUM REI MONASTICÆ
LIBER NONUS.



CAPUT I.

Cellæ, monasteria. Horum variæ appellationes, cœnobia, φροντιστήρια, mandræ, ἡσυχαστήρια, ἀσκητήρια. Lauræ quid distent a monasteriis. μοναὶ, casæ Dei. Monasterium vox communis habitaculis Monachorum, & Canonicorum regularium.



MONACHI dum singuli in eremo habitarunt, eorum mansiones dictæ sunt cellæ vel cellulæ. Hieronymus ad Rusticum: *Quamdiu in patria tua es, habeto cellulam pro paradiso.* Rufinus de vit. Patrum libro 1. capite 22. *Alius est locus in deserto interiori, quem locum pro multitudine dispersarum in eremo*

cellularum, Cellia nominaverunt; vnde nomen a cellis servorum. Olim enim cellæ dictæ mansiunculæ servorum; seorsim singulis servis erant cellæ, vno conclavi contentæ, ne fugæ locus esset. Severus de tranquillitate capite 8. *Cui jam dudum divitiæ esse debuerant, duo vicarii, cella laxior.* Columell. de re rustic. libro 1. capite 6. *Optime solutis servis, cellæ meridiem æquinoctialem spectantes.* Et hoc apertius docuit Joannes Chrysostomus in primam ad Timoth. Homil. 16. ἔχει ἕκαστος τῶν οἰκετῶν οἴκημα τὸ νενομοθετημένον, καὶ οὐκ ἐπεμβαίνει τῆς τοῦ πλησίον, οὐδὲ λυμαίνεται τῇ ἐπιθυμίᾳ τοῦ πλείονος. *Habet quilibet servus constitutum habitaculum, nec proximi intrat domicilium, neque majoris substantiæ appetitu corrumpitur.* Ex quo vero Monachi in eremo, vel extra eremum coiere in congregationes & collegia, sub potestate vnius Abbatis vel Præpositi, eorum habitacula dicta sunt monasteria, a solitudine, quæ nomen dedit & Monachis. Hieronymus adversus Rufinum libro 3. *Inde contendi Ægyptum, lustravi monasteria Nitriæ.* Idem de Scriptor. Eccles. capite 11. *Et habitacula eorum dicens monasteria.* Severus Sulpitius Dialog. 1. de virtutibus Monach. Orient. *Haud longe ab eremo contigua Nilo multa sunt monasteria: habitant vno loco plerumque centeni, quibus summum jus est sub Abbatis imperio vivere.* Eadem cœnobia vulgo dicta sunt, a societate communis vitæ. Justinianus Novell. 5. capite 3. ὅσοις εἰς πλῆθος ἡ ἄσκησίς ἐστιν, ἐν τοῖς καλουμένοις κοινοβίοις εἶναι βουλόμεθα. *Aliis quibuscumque inter plebem conversatio est, in iis quæ vocantur cœnobia, id est, communi vita esse volumus.* Palladius Historiæ Lausiacæ capite εἴσελθε εἰς κοινόβιον πλειόνων ἀδελφῶν. *Ingredere cœnobium, vbi sunt plures fratres.* Theophylactus in Marcum capite 4. οἱ μὲν εἰσι παρθένοι καὶ ἐρημικοί. ἄλλοι μιγάδες, καὶ ἐν κοινοβίῳ. *Hi vero sunt virgines & solitarii: alii qui in cœnobiis & congregationibus vivunt.* Cassianus collatione 18. capite 5. *Unde consequens fuit, vt ex communione consortii cœnobitæ, cellæque ac diversoria eorum cœnobia vocarentur.* Eisdem alia varia pro dignitate fuere nomina. Passim enim φροντιστήρια dicta a cura & sollicitudine rerum divinarum. Evagrius libro 1. capite 13. de Symeone Stylite: ἐν μὲν τῷ πρώτῳ φροντιστηρίῳ, ἔνθα τὰ θεῖα κατηχήθη ἔτι ἐννέα. *Nam in monasterio, in quo primum divinas vivendi præceptiones didicit,*

annos vixit novem. Nicephorus Callist. libro 17. capite 4. *συνῆν γὰρ Ζωσιμᾷ κατὰ τὸ φροντιστήριον ὁμιλῶν. Et cum Zozima in phrontisterio erat.* Fuit & aliud genus monasterii, cui nomen *μάνδρα*, id est, ovile: forte quod Monachi ibi essent sub cura pastoris, velut oves. Evagrius loco proxime laudato de Symeone Stylite: *ἐν δὲ τῇ καλουμένῃ μάνδρᾳ ἑπτὰ καὶ τεσσαράκοντα. In mandra autem, sic enim vocatur, quadraginta septem.* Theodorus Anagnost. eclog. 1. *Δανιὴλ ὁ θαυμάσιος ἐκ τῆς Συμεῶνος μάνδρας ἐλθὼν, τῷ στύλῳ ἐπέβη, τῷ ἐν τῷ ἀνάπλῳ.* Vel forte quod mandra hujusmodi esset locus maceria circumseptus, sicut ovile. Dorotheus doctrina 23. *μάνδρα λέγεται τόπος περιτετειχισμένος· ἔνθα συνάγει ὁ ποιμὴν τὰ πρόβατα. Mandra dicitur locus circumseptus: huc congregat pastor oves.* Forte & erat locus sub dio sine tecto, sicut ovile. Eadem *ἡσυχαστήρια* dicta ab otio, quiete, silentio: inde *ἡσυχασταὶ*, Novell. Justin. 5. *ἀσκητήρια* ab exercitatione perpetua orationis vel laboris manuum: inde *ἀσκηταὶ* passim. Fuit & aliud genus monasteriorum, quibus a Græcis inditum nomen *λαύρα*, *laura.* Evagrius libro 1. capite 21. *ὥστε καὶ δειμαμένη φροντιστήρια, καὶ τὰς καλουμένας λαύρας. Nam sancta ædificavit monasteria, & loca illa quæ lauras vocant.* Novell. Nicephori Phocæ apud Balsamonem. Synodus Constantinopolitana I. & II. can. 1. *κελλεῖα καὶ τὰς καλουμένας λαύρας ἐν ἐρήμοις.* Joannes Climac. scala 4. *καὶ αἰτησάμενος τὸν τῆς λαύρας ἡγούμενον. Et petens a lauræ Præfecto.* Paulus Diaconus libro 24. *Similiter & lauræ eremi opinatissimæ sancti Caritonis, & sancti Sabæ, & reliqua monasteria, & Ecclesiæ desertæ facta sunt.* Inde laurarum coloni *λαυρῖται* dicti. Joannes Moschus Limonar. capite 4. *ὅτι μετὰ τὸ διωχθῆναι τοὺς νέους λαυρίτας, ἐκ τῆς νέας λαύρας. Post fugati sunt juniores Monachi ex nova laura.* Ita interpretatur Suidas: *λαύρα ἡ στενὴ κατοικία τῶν μοναχῶν. Laura angusta Monachorum domus.* Laura hoc distabant a monasteriis, quod monasteria erant constructa continentibus ædificiis; lauræ erant cellulæ Monachorum sejunctæ & sparsæ per eremum, sub vno Superiore positæ. Alia significatione *λαύρα* Græci vicos vocitabant. Suidas: *λαύρα δημόσιος στενωπὸς, ἄμφοδος ῥύμη δι' ἧς οἱ λαοὶ ῥέουσι. Publica angusta via, bivium, vicus, per quem populi fluunt.* Arnobius adver-

ſus Gent. libro 3. *Poſſumus, ſi videtur, ſummatim aliquid & de laribus dicere, quos arbitratur vulgus vicorum atque itinerum deos eſſe, ex eo quod Græci vicos cognominant lauras.* σαμίων λαύρα Atheneo libro 12. erat Angiportus, in quo habitabant mulieres cibariorum magiſtræ. Aliis laura erant latrinæ, fimeta. Ariſtophanes in Pace: τούς τε κοπρῶνας, καὶ τὰς λαύρας, *latrinas & fimeta.* Et ibi Scholiaſt. Monaſteria etiam ſimpliciter dicta μοναί. Gregorius Nazianzenus Carmine 15. μονὴ δέ μοι σύνταγμα πρὸς σωτηρίας. *Monaſterium eſt quæ ſoli ſaluti ſtudet cohors.* Inde μονασταί. Idem Nazianzenus eodem Carmine: τί ἐστι μονασής, ὃς Θεῷ ζῇ καὶ νόμῳ. *Quid Monachus eſt, qui vivit & legi & Deo?* Idemque oratione 21. μονασταὶ καὶ μιγάδες. *Monachi, & cœnobitæ*, & μονάζοντες. Caſſianus collatione 18. capite 5. *Monachi ſive Monazontes ſingularis ac ſolitariæ vitæ diſtrictione nominati ſunt.* Monaſteria etiam Græci vocant ἐσκλείστρας, *clauſtra*, quæ eſt pars monaſterii. Synodus VI. in Trullo capite 41. ex parte totum ſcilicet ſignificantes. Latinis caſæ Dei appellatione intelliguntur monaſteria. Joachim Vadian. de monaſter. German. libro 2. apud Goldaſt. tom. 3. rerum Alemannicarum: *Ut ab hac die ipſa caſa Dei, vel congregatio quæ ibidem adeſt, vel deſerviunt ipſam, rem ſuperius nominatam habeant, teneant & poſſideant.* Monaſterium eſt nomen commune Monachis & Canonicis regularibus. Concilium Arelatenſe VI. can. 8. *Non amplius ſuſcipiantur in monaſterio Monachorum aut Clericorum, ſeu etiam puellarum, quam quot ſe regere de bonis Eccleſiæ, abſque penuria poſſint.* Cap. 1. extra *De inſtitut.* Capitul. addit. 3. capite 76. *Ut Canonici Clerici qui in civitatibus vel in monaſteriis degunt.* Synodus Sueſſionenſis act. 1. capite 1. quam Jacobus Sirmondus edidit inter Capitula Caroli Calvi: *Ut miſſi noſtri per civitates & ſingula monaſteria tam Canonicorum, quam Monachorum, ſive Sanctimonialium*, &c. Idem ſignat cap. *Intelleximus. de ætate, qualit. & ordin. præfic.* Hinc Eccleſiæ Epiſcopales, quæ erant penes Canonicos regulares, dici placuit monaſteria Epiſcopalia. Marianus Scotus in Chronic. ad ann. 1081. *Moguntia civitas ex parte majore, & monaſterium Epiſcopale, aliaque tria monaſteria igne conſumpta ſunt.* Vel monaſteria principalia. Sic vocat Dodechinus in Appendice Mariani ad

annum 1137. *Monasterium principale in Moguntia cum aliqua parte ciuitatis combustum est.*



CAPUT II.

Monasteria non debent construi sine auctoritate Episcopi: etiam desideratur auctoritas pontificia & regia.

MONASTERIA primum in eremo assurgere cœperunt nullis legibus, sola pietate & studio fundatorum, sine Episcoporum arbitrio. Ubi vero Monachi ex eremo migrarunt, & passim in ciuitatibus & vicis constructa sunt monasteria, quia plerumque Monachi propria præsumptione excitabant monasteria, vnde sæpius oriebatur scandalum & confusio: huic rei modus impositus est, ne monasteria vsquam construerentur sine consensu & auctoritate Episcopi. Synodus Chalcedonensis can. 4. ἔδοξεν μηδένα μὲν μηδαμοῦ οἰκοδομεῖν, μηδὲ συνιστᾶν μοναστήριον, ἢ εὐκτήριον οἶκον, παρὰ γνώμην τοῦ τῆς πόλεως ἐπισκόπου. *Placuit neminem vsquam ædificare, nec construere monasterium, aut oratorii domum, sine conscientia ipsius ciuitatis Episcopi.* Can. *Quidam* 18. quæstione 2. Ne quis monasterium ædificet, priusquam Episcopus crucem fixerit, statuit Synodus Carthaginensis can. 86. Synodus Constantinopolitana I. & II. canone 1. Nicæna II. can. 17. Novell. Justinian. 67. capite 1. & Novell. 131. cap. 7. Eadem fuit sententia Synodi Agathensis canon. 27. & 58. Can. *De Monachis*. can. *Cellulas* 18. quæstione 2. Et quia primis sæculis plerumque idem erat fundator & primus Abbas monasterii, & Abbas antequam discipulus, vt ait Cassianus de institutione Cœnobiorum libro 2. capite 3. simul statutum est, ne monasterium ædificaretur, nec liceret fundatori se ipsum ἡγούμενον, vel pro se alium constituere, præter sententiam Episcopi, d. canone 1. Synodi Constantinopolitanæ I. & II. Hodie in erectione Ecclesiæ conventualis vel monasterii, præter consensum Episcopi desideratur auctoritas Romani Pontificis. Cap. vnic. in fin. *De religios. domibus* in 6. cap.

cap. vnic. *De excess. Prælat.* eodem, & ex decreto Congregationis Cardinalium ad Concilium Tridentinum sessione 25. *De regular.* capite 3. Et quia novâ collegia coire non possunt sine auctoritate Principis, L. *Collegia. ff. de collegiis.* Guido Papa quæstione 106. legibus Francicis, ne Ecclesiæ vel monasteria ædificarentur absque auctoritate Principis, vetitum fuit. Formul. Marculf. libro 2. capite 1. Monasterium condidit beatus Walericus consensu Ambianensis Antistitis, & Clotharii Regis. In vita sancti Walerici apud Surium 1. Aprilis: *Porro Clotharius Rex ex consensu Ambianensis Antistitis, ita vt petierant* (Walericus & Waldolenus) *locum eis secretum largitus est, remotiori ab hominum consuetudine, vitæ & monastico instituto bene opportunum, quem antiquitus Lenconaum dicere consueverant.* Duo monasteria, Stabulense & Malmundarium, in proprio solo construxit, & adjacentibus prædiis dotatum, beato Remaclo ad instituendam ibi congregationem Monachorum, sub firma adstipulatione, & regii sigilli impressione contradidit, vt refert Stephanus Leodiensis in vita sancti Modoaldi Trevirensis apud Surium 12. Maii. Monasterium Casæ-Dei in Arvernis fundavit Robertus, ejusdem primus Abbas, assensu & consilio Renconis Arvernensis Episcopi, Henrici I. Francorum Regis, & Leonis IX. Romani Pontificis. In vita ejusdem Roberti apud Surium 24. Aprilis: *Habita super hoc cum fratribus suis deliberatione, assensu etiam & consilio Arvernensis Episcopi bonæ memoriæ Renconis, cœpit monasterium ædificare cum summa omnium gratulatione, juxta loculum in quo prius habitaverat, & prospere consummavit. Eo tempore Francis imperabat Henricus, Sedem Apostolicam Leo IX. tenebat. Papam igitur supradictus Episcopus adiit, vir sanctus Regem Francorum: vtrique super novi loci stabilitate auctoritatis robur, & congrua privilegia petituri, &c.*





CAPUT III.

Ne monasteria construantur sine dote idonea. Doti Ecclesiarum & monasteriorum consultum.

IN Ægypto & Oriente monasteriorum non alia fere dos fuit, quam census pauperum, id est, industria & labor manuum Monachorum, quo se ipsos sustentabant, necnon supervenientibus hospitibus & pauperibus sufficiebant. Labente vero sæculo Monachis a labore manuum cessantibus, ne monasteria egestate deficerent, vtraque lege, civili & canonica, sancitum est, ne quis ædificaret monasterium sine consensu Episcopi, & dote idonea: id est, priusquam qui ædificaturus est monasterium, dotem congruam constituerit ad luminaria & sarta tecta, & alimoniam Monachorum. Novell. 67. & Synodi Constantinopolitanæ I. & II. can. 1. Can. *Nemo. de consecrat.* distinct. 1. can. *Placuit* 1. quæst. 2. Cap. *Sicut. de consecrat. Eccles. vel altar.* Imo vt dos tuta esset a vi & manu fundatoris vel heredum, sancitum est ne monasterium prius ædificaretur, quam donatio fundatoris referretur ἐν τῷ βρεβείῳ, id est, in libello seu chartula, & deponeretur, perpetuæ memoriæ causa, ἐν τοῖς ἐπισκοπικοῖς ἀρχείοις, *in Episcopalibus archivis.* d. can. 1. Synodi Constantinopolitanæ. Item eodem consilio statutum est, ne dos semel data & tradita esset in potestate fundatoris; sed ejus ordinatio & administratio esset penes Episcopum. Concilium Toletanum IV. can. 32. Can. *Noverint* 10. quæst. 1. Et hæc fuit lex communis Ecclesiis, ne consecrentur priusquam Episcopus dotem Ecclesiæ, & obsequium ipsius, id est, professionem subjectionis, per donationem, id est, traditionem chartulæ, confirmatum accipiat Episcopus. d. can. *Placuit.* Ac ne dos Ecclesiæ vel monasterii ab ipso Episcopo minuatur, Episcopus vetatur aliquid a monasterio exigere, oblationis vel eulogiæ nomine, præter conditiones quæ impositæ sunt in die dedicationis. Can. *Eleutherius* & sequent. 18. quæstione 2. Gregorius libro 12. epistola 20.

CAPUT IV.

Iura patroni seu fundatoris monasterii.

QUAMVIS dos Ecclesiæ vel monasterii semel data & tradita non esset in potestate fundatoris, ei tamen non defuere sua iura, a lege vel consuetudine, vel ex pacto initio fundationis debita. Primum, fundatoribus monasteriorum debetur suffragium precum a Monachis. Monasterium construxit Colmannus Episcopus Scotus in Hibernia, in loco cui nomen Mageo, & partem soli emit a domino, ea lege, inquit Beda libro 4. Historiæ Anglicanæ capite 4. *vt pro ipso etiam qui eis locum commodaret, consistentes ibi Monachi Domino preces offerrent.* Nec modo pro fundatoribus, verum etiam pro benefactoribus monasteriorum missæ & orationes fiunt, veluti pro Monachis Professis. Ordericus Vital. lib. 3. ad ann. Domini 1063. de Willelmo de Ros Abbate Fiscanensi: *Nomen ejus pro multis beneficiis, quæ Uticensibus contulit, in rotulo generali scriptum est, & pro ipso missas & orationes & eleemosynas, sicut pro Monacho Professo, prorsus agi statutum est.* Patronus quidem non habet jus eligendi Abbatis vel Præpositi in conventuali vel collegiata Ecclesia. Cap. *Sacrosancta.* cap. *Massana.* extra *De elect.* Nec electioni Prælati faciendæ, sed jam factæ, patroni desideratur assensus, nisi aliter dē sua jurisdictione obtineat, id est, ex lege fundationis, vel consuetudine, vel privilegio aut prærogativa dignitatis. Cap. *Nobis.* extra *De jure patronat.* Sic in monasterio Augustodunensi quod a Brunichilde Regina, & Syagrio Episcopo exædificatum est, jus eligendi Abbatis datum Regi simul cum Monachis, ex privilegio Gregorii I. libro 11. epistola 10. Can. *Hinc est etiam* 16. quæstione 1. Fundatori quoque Ecclesiæ vel monasterii honor processus, id est, solemnis occursus debetur. d. cap. *Nobis.* Et ita Theobaldus Comes Campaniæ & Carnutum, Monachis sancti Petri Carnotensis indixit, vt sibi proxime adfuturo occurrerent cum

processione. Fulbert. epist. 21. ad Abbonem Abbatem Floriacensem. *Die proxima*, inquit, *Comes Theobaldus redit; se in monasterium recipi cum processione præmandat. Monachi respondent, se libenter hoc agere, si præsumptorem illum non adduxerit secum.* Item status Ecclesiæ vel monasterii non potest mutari sine consensu patroni. Cap. *Suggestum.* extr. *De jure patronat.* cap. *Pervenit. de censib.* cap. *Dilectæ. de excess. Prælat.* Can. *Monasterium* 16. quæst. 7. Panormit. in cap. *Cum accessissent. de Constitut.* Joan. Saresber. epist. 126. *Non assentiente, nedum reluctante fundatore, status Ecclesiæ mutari non potest aut subjici.*

CAPUT V.

Episcopi fere singuli habuere suum monasterium. Zelus Episcoporum in construendis monasteriis. Romanorum Pontificum, Regum & privatorum in eadem re Zelus laudatur.

EPISCOPI omnes fere suum habuere monasterium intra septa Episcopii, suos Monachos, testes conversationis. Tantum erat studium Episcoporum erga Monachos, vt ipsimet gauderent haberi pro Monachis, vel probari Monachis. Basilius ex Monacho Episcopus factus, memor & amans veteris propositi, non alios habuit contubernales quam Monachos, τῆς εὐσεβείας ἀσκητὰς: quod cum iniquius ferrent Clerici, eos redarguit epist. 63. Suum monasterium, suos Monachos habuit Gregor. Nyssenus, & in itinere ipso, cum Concilii causa Hierosolymam proficisceretur, in curru publico, quo vsus est, Clericos & Monachos vna psallentes sibi adjunxit. Testis ipse, vel alius quisquis est, epist. de adeuntibus Hierosolymam: τὸ γὰρ ὄχημα ἡμῖν ἀντὶ ἐκκλησίας καὶ μοναστηρίου ἦν, διὰ πάσης τῆς ὁδοῦ συμψαλλόντων πάντων καὶ συννηστευόντων τῷ κυρίῳ. *Vehiculum enim nobis pro Ecclesia & monasterio erat, omnibus per totam viam simul psallentibus & jejunantibus Domino.* Suum monasterium quoque habuit Theo-

doritus Cyrensis Episcopus, & in Ephesina Synodo per injuriam Episcopatu depositus, Anatolium Patricium rogavit per epist. quæ est 119. vt eo intercessore apud Augustum ei saltem liceret habitare in suo monasterio, *οἰκῆσαι γοῦν μὲ κελευσθήτω τὸ ἡμέτερον μοναστήριον.* Suum monasterium habuisse Domnum Apameensem Episcopum insinuat ipse Theodorit. epist. 87. ad ipsum: *ἐδεξάμην δὲ οὐδεμίαν, καίτοι παραγενομένων ἔναγχος πρὸς ἡμᾶς τῶν τε θεοσεβεστάτων μοναζόντων τῆς ὑμετέρας μονῆς, καὶ τοῦ θεοσεβεστάτου Ἠλίου πρεσβυτέρου. Ego vero nullas litteras prorsus accepi, tametsi nuper ad nos venerint religiosissimi Monachi monasterii vestri, & religiosissimus Helias Presbyter.* Suum monasterium statim posuit Augustinus Episcopus ordinatus, in domo Aurelii Episcopi. Testis ipse sermon. 49. de divers. *Volui habere in ista domo Episcopi mecum monasterium Clericorum.* Ex quo Pseudo-Augustinus serm. 21. ad fratres in eremo: *Ad hanc vineam vos elegi, ad hanc Dei hereditatem vos convocavi, licet favoratus a sancto Episcopo Valerio, qui de bonis Episcopatus, vt monasterium in eremo ædificarem, mihi multa donavit,* &c. Romanum ipsum Pontificem alios in ministerio cubiculi, quam Clericos vel Monachos electos habere non licuit. Gregor. libro 4. epist. 44. ex Synodo Romana: *De qua re præsenti decreto constituo, vt quidam ex Clericis, vel etiam ex Monachis electi, ministerio cubiculi Pontificalis obsequantur, vt is qui in loco regiminis est, tales habeat testes, qui vitam ejus in secreta conversatione videant, qui ex visione sedula exemplum profectus sumant.* Can. *Cum Pastoris* 2. quæst. 7. Quantus fuerit zelus Episcoporum in construendis & ordinandis monasteriis, satis prædicant antiquiora & insigniora monasteria orbis Christiani, quæ ipsos patronos & fundatores colunt. Idem satis prædicant leges, quibus nimio Episcoporum zelo pro fundatione monasteriorum non parcentium rebus Ecclesiæ, modus imponendus fuit. Hinc Synodus Constantinopolit. I. & II. can. 2. districte cavit, non licere Episcopo monasterium ædificare, *ἐπὶ καταλύσει τῆς ἐπισκοπῆς ἰδίας, in eversionem proprii Episcopatus.* Ne pro fundatione monasterii vltra quinquagesimam rerum Ecclesiæ partem impendatur ab Episcopo, vetuit Synod. Tolet. IX. can. 5. *Quisquis itaque Episcoporum in*

parochia sua monasterium construere forte voluerit, & hoc ex rebus Ecclesiæ, cui præsidet, ditare decreverit, non amplius ibidem quam quinquagesimam partem dare debebit, vt hac temperamenti æquitate servata, & cui tribuit, competens subsidium conferat, & cui tollit, damna gravia non infligat. Can. *Bonæ rei* 12. quæstione 2. Inter tot Pontifices & Episcopos, quos hic percensere fas non est, vnus mihi celebrandus est Gregorius I. qui ex proprio patrimonio septem monasteria construxit, & singula prædiis & possessionibus luculentis dotavit, vnum Romæ, sex in Sicilia, teste Joanne Diacono ejus vit. libr. 1. cap. 5. & 6. Inter laicos quot & quantorum Regum, & maxime nostrorum, æterna laus erit, qui infinita prope modum monasteria construxerunt, dotarunt, quæ etiam sua sepultura & cinerum deposito illustrari voluerint. Nec hac laude carent etiam privati, qui in fundatione monasteriorum regios revera animos ostenderunt, quos cedris Libani comparat Augustinus in Psalm. 103. concione 3. explanans illud: *Cedri Libani quas plantavit, illic passeres nidificabunt. Cedri Libani,* inquit, *nobiles & divites excelsi hujus sæculi, quoniam cum timore audiunt: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem; attendunt res suas, villas suas, & omnes superfluas copias, quibus videntur excelsi, & præbent illas servis Dei: dant agros, dant hortos, ædificant Ecclesias, monasteria, colligunt passeres, vt in cedris Libani nidificent.* Nec inter mulieres tacenda hoc loco Paula, quæ vna erit pro multis, quæ e rebus suis quatuor monasteria ædificavit & sustentavit, vnum virorum, quatuor sacrarum virginum, teste Hieronymo ad Eustochium de ipsius obitu.





CAPUT VI.

Situs monasteriorum in montibus & insulis qualis eligendus, ex regulis Joannis Chrysostomi & Benedicti. Insana ædificia Monachis prohibentur.

IN extruendis monasteriis maxime habita est situs ratio a Patribus. Primum, quæ fuere in Ægypto & Syria monasteria, posita sunt in eremo, in locis squalidis & incultis, vt assueta asperitate cæli & soli, & vestis & victus asperitas tolerabilior fieret. Inde vbi Basilius & alii Episcopi ex eremo Monachos evocarunt, ne mutatione mitioris cæli emolescerent, monasteria posita sunt extra vrbes & oppida in montibus. Athanas. in vit. Antonii: *ἦν οὖν ἐν τοῖς ὄρεσι τὰ μοναστήρια ὡς σκηναὶ πεπληρωμέναι θείων χορῶν ψαλλόντων. Monasteria ergo in montibus tanquam tabernacula fuerunt divinis choris plena psallentium.* Joannes Chrysostomus in Joannem Homil. 77. *τί οὖν οἱ μοναχοί φησι, καὶ τὰς κορυφὰς τῶν ὀρέων κατειληφότες. Quid Monachi montium cacumina habitantes?* Idem ad Antiochen. orat. 6. *ἀνάβηθι πρὸς τὰς κορυφὰς τῶν ὀρέων, καὶ κατάμαθε τοὺς ἐκεῖ μοναχούς. Ad montium vertices ascende, considera illic morantes Monachos.* Idem ad Antiochen. orat. 17. & advers. vituper vit. monastic. libro 2. In Atho monte duo & viginti sunt monasteria Græcorum Monachorum Ordinis D. Basilii, qui Turcarum Despotæ ex vinetis & olivetis pensitant sex millia obolorum Turcicorum. Mons hic a Christianis dicitur *ἅγιον ὄρος*, *Mons sanctus*, a Rutemis *Sunata hora.* Inde crescente multitudine Monachorum, monasteria pene implevere insulas. Ambros. Hexamer. libro 3. capite 5. *Quid enumerem insulas, quas velut monilia plerumque prætexit, in quibus ii, qui se abdicant intemperantiæ sæcularis illecebris, fido continentiæ proposito, eligunt mundum latere, & vitæ hujus declinare dubios anfractus?* Hieronymus ad Julianum: *Extruis monasteria, & multus a te per insulas Dalmatiæ sanctorum numerus sustentatur.* Augustinus contra Faustum

libr. 3. cap. 8. *In insulam relegatus est, quod sua sponte quotidie servi Dei faciunt, se a turbulento strepitu populorum removere cupientes.* Cassian. in præfat. collat. 18. *Ea namque collationes istæ summorum Patrum disputatione contextæ sunt, & ita in omnibus temperatæ, vt vtrique professioni, qua non solum Occiduas regiones, verum etiam insulas maximis fratrum catervis fecistis florere, conveniant.* In Capraria & Gorgonia, & aliis insulis quæ sunt in ora maris Italici, fuere celeberrima monasteria, de quibus Rutilius Numat. itiner. lib. 1.

Processu pelagi jam se Capraria tollit,
Squalet lucifugis insula plena viris.
Ipsi se Monachos Graio cognomine dicunt,
Quod soli nullo vivere teste volunt.

De his Augustin. epist. 81. Auctor. vit. S. Aigulfi Abbatis Lerynensis apud Surium 2. Sept. In eisdem Monachos ante 18. annum recipi vetat Gregorius I. ob asperitatem cæli, lib. 1. epist. 58. Can. *Quia autem* 20. quæst. 1. E Capraria insulæ monasterio fratres aliquot comites expeditionis secum deduxit Macezil, Legatus Theodosii, in Gildonem Comitem Africæ perduellem, quorum precibus incruentam victoriam reportavit. Paulus Diac. lib. 13. In insula Lerynensi, quæ objacet oræ Narbonensi, celeberrimum fuit cœnobium, fundatore beato Honorato, de quo Sidon. in Eucharistico ad Faustum:

—— Quantos illa insula plana
Miserit in cælum montes.

De eodem Hilar. Arelat. serm. de vit. & mort. S. Honorati, Gregor. lib. 9. epist. 8. Indict. 4. Nec procul ab eo abfuere insularum Stoechadum monasteria, a Minervio, Joviniano, Leontio, & Theodoro instituta, vt tradit Cassian. in præfat. collat. 18. De vtrisque Ennodius in vita Epiphanii. *Tolosa*, inquit, *regrediens singula sanctarum habitationum loca visitavit, medianas insulas Stoechades, Lerum, ipsamque nutricem summorum montium planam Lirinum.* Aspera montium & insularum electa sunt a Monachis, vt homines mundò demortui, omne vitæ solatium viderentur rejicere, & vnum Deum in votis habere. Eodem fere consilio, quo Plato locum pestilentem elegit, vt ibi doceret, quo discipuli nihil amarent

amarent præter sapientiam, vt ait Hieronym. adverſ. Jovinian. lib. 2. Fragilitati humanæ tamen conſulens Chryſoſt. monaſteria in locis ſalubribus collocari ſuadet lib. 6. de Sacerdot. cap. 6. *ὁ μὲν γὰρ μοναχὸς καὶ τῆς σωματικῆς εὐπαθείας προσδεῖται, καὶ τόπων πρὸς τὴν διαγωγὴν ἐπιτηδείων, ἵνα μήτε ἄγαν ἀπῳκισμένοι τῆς τῶν ἀνθρώπων ὦσιν ὁμιλίας, καὶ τὴν ἀπὸ τῆς ἐρημίας ἔχωσιν ἡσυχίαν, ἔτι δὲ καὶ τῆς ἀέρος μὴ ἀμοιρῶσι κράσεως τῶν ὡρῶν. Sic & hic Monachus eo amplius bona indiget corporis habitudine, & convenientia item rerum locorumque ad vitam illam commodorum, vt ii loci neque ita multum ab hominum conſpectu remoti ſolitudinis, tamen otium quietemque habeant, neque iidem optima anni atque aeris temperie careant.* Item monaſteria conſtruenda ſunt in loco idoneo, & omnibus neceſſariis inſtructo, puta aqua, molendino, horto, piſtrino, & aliis, ne fratribus ſit neceſſitas vagandi. Regul. Benedict. cap. 66. *Monaſterium autem ſi poſſit fieri, ita debet conſtrui, vt omnia neceſſaria, id eſt, aqua, molendinum, hortus, piſtrinum, vel artes diverſæ intra monaſterium exerceantur, vt non ſit neceſſitas Monachis vagandi foris, quia omnino non expedit animabus eorum.* Ædificia autem monaſteriorum debent eſſe humilia, & colonorum humilitati convenientia. Theonem Monachum, vt Elizæi tenuitatem ac frugalitatem, nihil vltra cœnaculum ac lucernam requirens, imitetur, nec magnis ſubſtructionibus velut alter Pharao intabeſcat, ipſiſque Monachos addicens & conficiens, veram operationem evertat, hortatur Iſidor. Peluſ. libr. 1. cap. 498. Inſanas ſubſtructiones monaſteriorum vehementer arguit Petrus Cluniacenſis libr. 1. epiſt. 28. *Poſt de cura pauperum ad culmina transfertur ædificiorum, Eccleſias ædificat, vrbes mœnibus ambit, flumina pontibus obnubit, & ſe ſolum deſtruens vniverſa conſtruit.* Fratrum Prædicatorum & Minorum inſana ædificia cenſorio ſtylo deprædicat Petrus de Vineis lib. 1. epiſt. 57. *Ipſi vero Prædicatores & Minores, imo noſtri Prælati potius & majores, qui a domiciliis & tuguriis ſuſceperunt domos regias, & palatia ſubnixa altis columnis, & officinis diſtincta variis erexerunt, quorum impenſæ deberent in vſus pauperum erogari.*





CAPUT VII.

Officinæ & partes monasteriorum, Oratorium, Claustrum, Capitulum.

EXPLORATO veterum monasteriorum situ, quænam esset structura, quænam partes & officinæ eorumdem, hoc loco investigare opportunum erit, & perspiciendæ disciplinæ monasticæ aptissimum. Certa fuit forma & typus monasteriorum, & ad proprium vivendi genus composita: habentibus omnia communia fuere officinæ communes, ut oratorium, refectorium, dormitorium, valetudinarium, seu infirmaria, & alia, de quibus singulis dicendum est. Certam formam ædificiorum non continet Regula Benedicti Patris: certa forma tamen eum vsum inde constat, quod a quodam fideli viro rogatus, vt in ejus prædio juxta Terracinam vrbem monasterium construeret, missis discipulis suis, euntibus spopondit dicens: Ite, & die illo ego venio, & ostendo vobis, in quo loco oratorium, in quo refectorium fratrum, in quo susceptionem hospitum, vel quæque sunt necessaria, ædificare debeatis. Nocte vero qua promissus illucescebat dies, servo Dei, quem illic Patrem constituerat, atque ejus Præposito, vir Domini in somnis apparuit, & loca singula, vbi quid ædificare debuissent, subtiliter designavit. Gregor. Dialog. lib. 2. cap. 22. Et vbi de reformando Ordine Canonicorum Regularium & Monachorum cogitatum est, primum de restituendis officinis monasteriorum, sine quibus vita communis transigi non potest, consultatum est. Conc. Moguntin. can. 20. Aquisgranens. can. 117. Quia monasteria construuntur, vt fratres ibi congregati Deum colant precibus & vigiliis, præcipua & primaria cujusque monasterii pars est oratorium. Monachi Ecclesiam non habuere, sed oratorium, εὐκτήριον. Pallad. Histor. Lausiac. capite 20. vbi Pachomius Abbas, inquit, Deo revelante agnovit Macarium apud se diu latentem, ὃ ἐξα-

γῇ αὐτὸν ἔξω, ϗ εἰσαγαγὼν αὐτὸν, εἰς τὸ εὐκτήριον οἶκον, ἔνθα ἀπέκειτο αὐτῷ τὸ θυσιαστήριον. *Et eum foras educit, deducens in domum oratorii, vbi eſt ara.* Caſſian. de inſtit. Cœnobitar. lib. 3. cap. 7. *Is vero qui in tertia, ſexta, vel nona, priuſquam pſalmus cœptus finiatur, ad orationem non occurrerit, vlterius oratorium introire non audet.* Rufin. de vit. Patr. libr. 1. capite 5. *Exceptis monaſteriis, in quibus per ſingula orationum domus ſunt.* Auguſtin. epiſt. 109. ad Sanctimoniales quaſdam: *In oratorio nemo aliquid agat niſi ad quod eſt factum, vnde & nomen accepit orationibus inſtare horis & temporibus conſtitutis.* Sic vocat Reg. Benedict. cap. 52. *Oratorium hoc ſit quod dicitur, nec ibi quicquam aliud geratur, aut condatur.* Can. *Oratorium* 42. diſtinct. præter officia ſacra in oratorio fiebat Profeſſio religioſorum. Eadem regul. cap. 58. *Suſcipiendus autem, in oratorio coram omnibus promittat de ſtabilitate ſua.* In oratorio ſilentium ſervatur. Dicta regul. cap. 52. Cap. *Cum ad monaſterium. de ſtat. Monach.* Etiam foris revertentes fratres ad oratorium accedere ſolebant, orandi cauſa. Gregor. libr. 9. Indict. 4. epiſt. 38. *Qui mox vt ad monaſterium ſunt reverſi, atque ad oratorii limen venerunt,* &c. Oratorio proximum erat clauſtrum: hic eſt locus quatuor partibus ſeu lateribus membriſve diviſus, quibus continentur variæ officinæ Monachorum. Petrus Bleſenſ. ſermon. 25. *Inde eſt, inquit, quod in clauſtris conventuum quatuor loca cum propriis deputantur officiis. In latere clauſtri Occidentalis eſt ſcholaris ſubjectio: in eo quod contingit Eccleſiam, lectio moralis: in ipſa Eccleſia lectio ſpiritualis: ad Orientem in Capitulo correctio materialis. In parte Orientali erat cella ſcholarium, id eſt, Novitiorum.* Cellam Novitiorum vocat Regula Benedicti cap. 58. *Poſtea autem ſit in cella Novitiorum, vbi meditetur & manducet & dormiat.* Et infra: *Si adhuc ſteterit, tunc ducatur in ſupradictam cellam Novitiorum.* Apud Ægyptios cella Novitiorum per annum probationis erat haud procul a veſtibulo monaſterii, juxta cellam peregrinorum & hoſpitum. Caſſian. de inſtit. Cœnobitar. libr. 4. cap. 7. *Cum igitur quis ſuſceptus, & hac perſeverantia quam diximus comprobatus, ac depoſitis propriis veſtimentis, habitu monaſteriali fuerit accinctus, non ſtatim congregationi fratrum commiſceri permittitur, ſed deputatur ſeniori, qui ſeor-*

sim haud longe a vestibulo monasterii commanens habet curam peregrinorum & advenientium deputatam. In latere claustri quod Ecclesiam contingit, erat cella, in qua fratres functi sacris officiis, lectioni sacrorum librorum dabant operam. Epitome Ludovic. Imper. in Regulam Benedicti: *Certis iterum horis lectioni pleniter vacent, & si fieri potest, in vno claustro sedeant.* Syn. Meld. can. 53. *Atque in claustris horis congruis degant, & sub custodia canonica lectionibus & cæteris diuinæ institutionis insistant officiis.* Concordia S. Dunstani cap. 5. *Tertia vero peracta, & missa subsequente celebrata, vti regula præcipit, sedentes in claustro vacent lectioni.* In Orientali parte claustri erat Capitulum: id nomen loco, vbi disciplina & correctio fratrum fiebat. Inde haud dubito, quod priusquam in conventu fratrum tractaretur de emendatione morum & disciplina, legebatur Regula Benedicti Patris. Capitular. Aquisgran. can. 69. & seq. aut certe capitulum regulæ. In monasterio S. Galli apud Helvetios, propter frigiditatem cæli Capitulum habebatur in pyrali seu stuba conventuali, vt jam obseruatum est ex Ekkeardo de casib. monast. S. Galli cap. 3. & 16. Pyrale est stuba, hypocaustum. Anonymus scriptor vitæ sancti Otthonis Babenbergensis Episcopi lib. 2. capite 14. apud Canisium tom. 2. antiq. Lect. *Stuba vel pyrale vocant*, Galli *estuve.* Claustrum est locus proprius Monachorum. Conc. Moguntin. can. 9. *Et vt simul manducent & dormiant, & in suo claustro maneant.* Idem in Clericis Regularibus Eugenius II. & Leo IV. in can. *Necessaria* 12. qu. 1. *Necessaria etenim res exigit, vt juxta Ecclesiam claustra constituantur, in quibus Clerici disciplinis Ecclesiasticis vacent.* Ita propria sedes Monachorum erat claustrum, vt extraneis siue laicis, siue Clericis, non liceret ingredi claustrum sine cuculla, & duce vno e fratribus. Ekkeard. de casib. monast. S. Galli cap. 1. *Locum autem nostrum sibi præ omnibus habitum subinde adiit,* (Salomon Capellanus Ludovici Pii) *claustrumque ille, quia potens erat, absque duce, & quod magnæ confusionis tunc erat, cum lineis vestibus diatim introiit.* Et infra: *Pelliceum, ait ille, tuum, si volueris, tibi optime repretiabor: nam duas cucullas ab Abbate habeo, quarum vnam tibi vt claustrum decentius nobiscum in ea introeas, in-*

duendam trado. Et infra : *Sed nos in fraternitatem interdum & laicos recepimus , quibus tamen in laico habitu nequaquam ,* inquit, *in claustro abutimur.* Et infra : *Abstinuit tandem absque aliquo Patrum, vt moris est , praeduce claustrum introire : nimis tamen insolens semper erat , & est praeter consuetudinem monachici nostri habitus , quemquam introire intima nostra , maxime noctibus.* Inde severiorum querela , secreta monasteriorum patere laicis, etiam mulieribus. Ordericus Vitalis lib. 12. ad ann. 1120. *Dormitorium & crontochium , & reliqua Coenobitarum abdita , quae hactenus laicos latuerunt , nunc viris & mulieribus , non solum honestis , sed etiam scurris ac meretricibus patuerunt.* Claustrum locatur juxta Ecclesiam : ad hoc enim maxime positum , vt procedentibus de Ecclesia solemnis processio fieret per claustrum ex more solemni , cujus elegans vestigium extat apud Petrum Damiani opusc. 14. *Claustrum quoque juxta Ecclesiam construi hac intentione censuimus , vt si quem adhuc inclita monasterialis ordinis consuetudo delectat , habeat vbi in praecipuis festivitatibus solemniter ex more procedat.* Denique claustrum ita est pars notabilis monasterii , vt plerumque accipiatur pro ipso monasterio. Synod. VI. in Trull. can. 41. ἐν τῇ ἐγκλείστρᾳ , *in monasterio.* In claustro silentium certis horis servatur. d. cap. *Cum ad monasterium.*



CAPUT VIII.

Aliae officinae monasteriorum : Refectorium , Dormitorium, Cellarium , Coquina , Vestiarium. Cellerarii , Camerarii officium.

PROPTER communem vitam Monachorum institutae sunt variae officinae communes , aliae majores , aliae minores. Majores sunt , refectorium & dormitorium. Monachis omnia communia habentibus vnum est refectorium & dormitorium. Conc. Moguntin. can. 9. *Et vt simul manducent & dormiant.* Aquisgranens. ann. Chr. 816. can. 117. *Sint etiam interius dormitoria , refectoria , cellaria , & caetera*

habitationes vsibus fratrum in vna societate viventium necessariæ. Idem can. 123. *Ut omnes in dormitorio, nisi quem infirmitas aut senectus id facere prohibuerit, dormiant.* In refectorio quotidie vna reficiantur, nisi forte quem necessitas abesse compulerit: & hoc non sine licentia magistri fiat. Turon. III. can. 23. *Ut in claustris habitantes simul omnes in vno dormitorio dormiant, simulque in vno refectorio reficiantur, quo facilius possint ad horas canonicas celebrandas occurrere*, &c. Meldens. can. 53. *Ut canonici in civitate, vel monasteriis, sicut constitutum est, in dormitorio dormiant, & in refectorio comedant.* Eugenius II. in can. *Necessaria* 12. quæstione 2. *Omnibus vnum sit refectorium, ac dormitorium, seu ceteræ officinæ ad vsus Clericorum necessariæ.* Refectorium est locus, in quo fratres in commune reficiebantur. Tricorium quibusdam, a forma ædificii, quod tribus exedris seu finibus esset distinctum. Ordericus Vitalis libr. 3. ad ann. 1066. *Matildis vero Regina pretiosam infulam dedit & cappam ad Dei servitium, & centum libras Rodomensium ad agendum tricorium.* Apertius idem lib. 6. *Tunc Mathildis Regina orationis gratia Uticum venit, seque cum filia sua Constantia precibus fratrum commendavit, eisque datis sumptibus lapideum tricorium, vbi vna reficerent, construi præcepit.* Dormitorium est locus vbi fratres simul cubabant. Regul. Benedict. capite 22. *Si potest fieri, omnes in vno loco dormiant.* Et ideo dormitorium conclave dicitur, quia vna clavi claudebatur. Conc. Tolet. IV. can. 23. *Omnes in vno conclavi atrii commaneant.* Can. *Omnis ætas* 12. quæstione 1. Non vnum tamen erat dormitorium: seniorum peculiare erat dormitorium, & hoc est, si quid conjectura assequi valeo, quod crontochium appellat Ordericus loco proxime laudato. *Dormitorium & crontochium*, quasi gerontochium, id est, dormitorium seniorum. Unum & commune est dormitorium omnibus: singuli cubabant in lectulis ordine dispositis in eodem conclavi, nec licebat singulis aut binis habere cellas, in quibus cubarent: sed locus quietis erat schola communis. Conc. Turon. II. can. 15. *Nec liceat Monachis cellulas habere communes, vbi aut bini maneant, aut singulares reponi possint. Sed schola labore communi construatur, vbi om-*

nes jaceant, aut Abbate, aut Præposito gubernante. Quanta esset cura pudoris tuendi, & malæ suspicionis vitandæ, intelliges ex his duobus, quod fratres omnes simul cubabant in vno conclavi singulis lectulis, vna cum Abbate & Præposito. Thomas Cantipratensis libro 1. capite 10. de vita Gentæ Abbatissæ Vallis-Floridæ: *Lectus ei in dormitorio communis, refectorium in conventu.* Et quod per noctem candela vel lucerna jugis ardebat in dormitorio. Regula Benedicti capite 22. Erat & aliud dormitorium fratrum extraneorum juxta oratorium. Capitulare Aquisgranens. can. 58. *Vt dormitorium juxta oratorium constituatur; vbi supervenientes Monachi dormiant.* Quod optima ratione institutum, ne fratres Monachis extraneis supervenientibus commiscerentur. Cellarium est cella communis, in qua custodiæ causa reponuntur victualia & necessaria in sumptum fratrum. Concilium Aquisgranense loco modo laudato: *Dormitoria, refectoria, cellaria*, Græcis, ἀποθήκη. Basilius sermon. de institutione Monachorum: ἀποθήκη δὲ τοῖς πᾶσιν ἔςι μία. *Apotheca vero omnibus sit vna.* Cellarium est cella, vbi reponuntur esculenta & potulenta. Donat. in Adelphis: *Cella & cellarium a reponendis celandisque rebus esculentis & poculentis dicitur.* Quid distet cellarium a penu, Servius in primum Æneid. *Inter penum & cellarium hoc interest, quod cellarium est paucorum dierum, penus vero temporis longi.* Alias cellaria sunt tabernæ, in quibus pretiosæ merces reponuntur. Hieronymus in cap. 27. Ezechiel. *Et prætoriola sive cellaria, in quibus merces pretiosissimæ reponuntur.* Inde Cellerarius est qui præpositus est cellario, & necessaria ministrat fratribus: cujus officium & dotes depingit regula Benedicti capite 31. Concil. Aquisgranens. canone 140. Vita Bernardi libro 1. capite 6. *Cum vero ante instantem hiemem Gerardus frater ejus, Cellerarius domus, apud eum durius quereretur, ad necessaria domus & fratrum multa deesse.* Ejusdem est custodire pecunias monasterii. Cæsarius de Miraculis libro 2. capite 35. *Vsurarius quidam cuidam Ordinis nostri Cellerario quandam pecuniæ suæ summam commisit reservandam, quam ille signatam in loco tuto juxta pecuniam monasterii reposuit.* Idem libro 4. capite 71. *Abbati rem per ordinem retu-*

lit, qui misso Cellerario pecuniam ibidem recepit. Idem erat munus Cellariorum apud veteres. Columella libro 11. capite 1. *Vt cibus & potio sine fraude a Cellariis præbeatur.* Idem libro 12. capite 3. *Promis quoque & Cellariis aliquid attendentibus, aut metuentibus intervenire.* Cellarius eligendus erat vnus e fratribus, non ex laicis. Thomas Cantipratensis libro 1. capite 16. *Nullum de his qui religiosi non erant, ministrare in aliquo officio obedientiæ, vt est cellarium, vel rerum procuratio permittebat.* Et quia in Cellerario requiritur peritia, eum sine causa deponi vetat Capitulare Aquisgranens. can. 56. *Vt Præpositus, Decanus, Cellerarius, de eorum ministerio, nisi causa vtilitatis aut necessitatis, non removeantur.* Cellerarii officium erat ministrare necessaria fratribus: inde ne obmurmuretur Cellaritæ a fratribus, si quidquam e petitis neget, monet Dorotheus doctrin. *ἄρα ἤτησα τὸν κελλαρίτην πρᾶγμα, καὶ οὐκ ἔδωκέ μοι, καὶ ἐγόγγυσα κατ᾽ αὐτοῦ. An si quid petii a Cellarita, & ipse mihi negavit, murmuravi adversus ipsum.* Cellario contermina est coquina: id nomen loco, vbi cibus in esum fratrum coquitur. Coquinam per vices & hebdomadas exercebant fratres: vnde cujus erant vices, Hebdomadarius dicebatur. Regula Benedicti capite 35. *Fratres sic sibi invicem serviant, vt nullus excusetur a coquinæ officio.* Regino 2. Chronic. ad annum 746. de Carlomanno Monacho Cassinensi incognito. *Accidit autem, vt juxta quod mos est, ad coquinæ officium Hebdomadarius deputaretur.* Bernardus in vita Malachiæ: *Ipse in ordine vicis suæ coquinæ ministerio inserviebat, ipse fratribus, cum recumberent, ministrabat.* Cæsarius de Miraculis libro 1. capite 35. *Cum esset tempore quodam Hebdomadarius coquinæ, & Sabbato secundum consuetudinem lavaret pedes Monachorum.* Apud Ægyptios cellarii nec coquinæ cura non erat hebdomadaria, sed perpetuum munus vnius e fratribus. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 4. capite 22. *Cæterum apud Ægyptios, quibus maxima cura est operis, non est hebdomadarum mutua vicissitudo, ne sub occasione hujus officii omnes ab operis canone impediantur: sed vni probatissimo fratrum cellarii vel coquinæ cura committitur, qui perpetuo, donec vires ejus, vel ætas admittit, jugiter opus istud exerceat.* Cellario etiam adjungitur vestia-

veſtiarium : is eſt locus, in quo deponuntur veſtes in vſus Monachorum. Regula Benedicti cap. 58. *Illa autem veſtimenta quibus exutus eſt, reponantur in veſtiario conſervanda.* Auguſtinus epiſtola 109. ad Monachas quaſdam : *Et ſicut paſcimini ex vno cellario, ſic induamini ex vno veſtiario.* Auctor ſermonis ad fratres in eremo ſermone 22. *Centum & quinquaginta veſtimenta cum calciamentis vobis delectis fratribus deportari præcepi, vt tempore frigoris quantum neceſſe fuerit, vnuſquiſque recipiat, reponentes ea, & cuſtodientes in communi veſtiario cum omni diligentia & caritate.* Apud Ægyptios vicaria, id eſt, nova pro veteribus, vel nitida & munda pro ſordidis, fratribus miniſtrabat Præpoſitus cujuſque Decaniæ. Caſſianus de inſtitutione Cœnobitarum libro 4. capite 10. *Nec laneis indumentis vtuntur, ſed lineis tantum, & ne ipſis quidem duplicibus, quibus vicaria Præpoſitus vnuſquiſque ſuæ Decaniæ ſubminiſtrat, cum illa quibus veſtiti ſunt, ſorduiſſe conſpexerit.* Apud noſtros veſtem & alia neceſſaria miniſtrat vnus e fratribus, qui dicitur Camerarius. Ekkeardus de caſibus monaſterii ſancti Galli capite 5. apud Goldaſtum : *Ego quidem, quia corium meum ad calceos Camerarius hoc anno non dedit, nuſquam fugiam.* Innocentius III. epiſtolar. libro 1. epiſtola 46. *Camerarius ſiquidem omnia debet recipere, & etiam ei convenit reſignari quicquid ad manus devenerit aliorum : ipſe vero quod cuique opus erit, juxta facultates domus provide diſpenſabit ; mancias & alia quæ fuerint neceſſario danda, intus & foris cum conſilio Archipreſbyteri ſine murmure tribuet : quo abſente recipiet hoſpites, & iis hilariter miniſtrabit.*



CAPUT IX.

Aliæ officinæ monasteriorum : Valetudinarium seu Infirmarium. Infirmarii officium. Auditorium seu Locutorium, Lavatorium seu Balneum, Cella hospitum. Hospitalarius. Cellarium seu Custodia, Armarium, id est, Bibliotheca.

BENE valentibus vnum & commune est refectorium & dormitorium : ægris propria est mansio, vbi curantur, quæ dicitur infirmaria. Regula Benedicti capite 36. *Fratribus infirmis sit cella super se deputata, & servitor timens Deum ac diligens, ac sollicitus.* Concilium Aquisgranense can. 142. *Debet tamen a Prælato mansio infirmorum & senum intra claustra Canonicorum fieri.* Thomas Cantipratensis libro 1. capite 7. *Cum cucullam sancti habitus exuisset, fragor tantus auditus est, vt subito domus infirmorum corruisse, ab his qui jacebant in dormitorio, putaretur.* Idem capite 10. ejusdem libri : *Si hora prandii fessa itinere a foris advenisset, Conventum intrabat, & socias Moniales ad infirmariam mittebat.* Idem libro 2. capite 1. *Hic vsque ad præcedentem diem mortis suæ per sex dies occultasse conventum suum, cum acuta febre secutus, in infirmarium deportatus est.* Dorotheus doctrina 4. Ἀπὸ τοῦ νοσοκομίου ἕως τῆς ἐκκλησίας περιτρέχων. *Ab infirmaria ad Ecclesiam circumcursans.* Eadem est, ni fallor, quæ domus quietis. Ekkeardus Junior de casibus monasterii sancti Galli capite 16. *Sed pro hospitii tui commodis satagere Portanarium volo, teque, quia forte lassus es, dies aliquos, vt post expeditior sis, in domo quietis pausare.* Apud veteres servis languentibus fuit locus, in quo curabantur, qui valetudinarium dicebatur. Columella de re rustica libro 11. capite 1. *Sive alter languidior est, in valetudinarium confestim deducat.* Idem libro 12. cap. 5. *Etsi compererit vel simulantem languorem, sine cunctatione in valetudinarium deducat.* Et infra : *Valetudinaria quoque vel si*

vacent ab imbecillis, identidem aperire, & immunditiis liberare, & cum res exigerit, bene ordinata & ornata, & salubria languentibus præbeantur. Quintilianus de orator. *Nec unum de populo Canuti, aut Aride, Furnio & Toravio, quique alios in eodem valetudinario, hæc ossa & hanc maciem probant.* Senec. de ira libro 1. capite 16. *Si intrassem valetudinarium exercitatus & sciens, aut domum divitis, non idem imperassem omnibus per diversa ægrotantibus.* Quia silentium in claustro, refectorio & dormitorio servatur, erat locus vbi locutio admittebatur cum extraneis & hospitibus: auditorium vocabant. Ekkeardus loco modo laudato: *Abbas autem post laudes egressus in auditorio eum salutat.* Alii locutorium. Thomas Cantipratens. libro 2. capite 53. *Observans ergo die quadam fenestram locutorii, summo mane quendam leviter pulsantem audivit.* Olim & in ædibus privatorum erat locus, in quo cum extraneis confabulatio seu colloquium fiebat. Hieronymus in epistolam ad Ephesios capite 2. *λαλητήριον*, id est, *collocutorium.* Erant & aliæ officinæ communes, lavatorium & scriptorium. Ekkeardus de casibus monasterii sancti Galli capite 10. *Veniunt in pyrale, & in eo lavatorium, necnon & proximum pyrali scriptorium.* Pyrali seu stubæ conjungitur lavatorium: vsus enim balnei infirmis permittebatur. Regula Benedicti capite 36. *Balnearum vsus infirmis quoties expedit, offeratur.* Capitulare Aquisgranens. canone 7. *Ut balnearum vsus in arbitrio Prioris consistat.* Scriptorium erat locus, in quo juniores fratres dabant operam conscribendis libris, ex quo pervenit magna copia librorum in cœnobiis Monachorum, necnon honesta ratio curandæ pecuniæ in sumptum Monachorum. Quia in monasteriis erat maximus cultus hospitalitatis, erat & propria mansio, in qua recipiebantur & exhibebantur supervenientes hospites, ne fratrum secessus turbaretur. Cellam hospitum vocat regula Benedicti capite 58. *Et sit in cella hospitum paucis diebus.* Apud Ægyptios hic locus erat seorsim ab habitaculis fratrum, haud procul a vestibulo monasterii. Cassianus de institutione Cœnobitarum libro 4. capite 7. *Sed deputatur seniori, qui seorsum haud longe a vestibulo monasterii commanens, habet curam peregrinorum & advenientium deputatam.* Et qui præpositus erat cellæ hospi-

tum, dicebatur Magister hospitum vel Hospitalarius. Cæsarius de Miraculis libro 7. capite 39. *Quia non solum verbis & aspectu, imo etiam odore famæ ejus, multi ædificabantur, Magister hospitum creatus est.* Hospitalarii electio pertinebat ad Abbatem de consilio seniorum. Dorotheus doctrina 11. ὅτε ἤμην ἐν τῷ κοινοβίῳ, ἐποίησέ με ὁ Ἀββᾶς ξενοδόχον μετὰ γνώμης τῶν γερόντων. *Cum essem in cœnobio, fecit me Abbas xenodochum de consilio seniorum.* In cœnobiis erat & locus seu custodia, in qua delinquentes emendationis causa recludebantur: pulsatorium vocant. Conc. Vernens. quod ann. 755. habitum est, can. 6. *Et si tales feminæ velatæ ad præsens ibidem congregatæ inveniuntur, quæ regulariter vivere non velint, nec ad hoc dignæ sint, ut cum illis aliis habitent, Episcopus vel Abbatissa prævideant locum aptum, ubi separatim cum custodia in pulsatorio habitare debeant.* Cellam vocat Synod. Turon. II. can. 20. *Retrudantur in cellam, ibique mense integro panem cum aqua manducent.* Cellarium Anastasius in vita Stephani IV. in fin. *Sergius vero in monasterium Clivi Scauri deportatus, & postmodum in cellarium Lateranense deductus, illicque usque ad transitum prænominati Pontificis extitit.* In monasteriis etiam fuere insignes bibliothecæ, studio Monachorum, religionem & literas æquo fere studio amplectentium. Vivariense monasterium construxit, & librorum copia adornavit Cassiodorus, de quibus suum judicium reliquit libro divinarum institutionum. Triplicem bibliothecam habuit monasterium Viennense, quam Claudianum fratrem Mammerti Episcopi Viennensis, tum Monachum, totam hausisse refert Sidonius libro 4. epistola 11.

Hoc dat cespite membra Claudianus.
Triplex Bibliotheca quo magistro
Romana, Attica, Christiana fulsit,
Quam totam Monachus virente in ævo
Secreta bibit institutione.

Suam bibliothecam habuit monasterium S. Martini Turon. quam ab Alcuino Abbate collectam credimus. Armarium S. Martini vocat Lupus Ferrariensis epist. 16. *Impendio supplicamus, ut Commentarios Boetii in Topica Ciceronis, quos in chartatio codice, sive, ut emendatius alius dicendum videtur, chartinatio, Amalricus in armario sancti Martini habet obtentos ab eo,*

per hunc, quem ob hoc direximus, nuncium dirigatis. Suum armarium, id est, bibliothecam, habuit & cœnobium sancti Galli apud Helvetios: de quo Ekkeardus Junior de casibus monasterii sancti Galli capite 10. *Itur in armarium, sed & in augustum sancti Galli thesaurarium.* Sic vocabant ea ætate bibliothecas Ecclesiarum vel monasteriorum. Nec barbara fuit vox: armarium enim etiam veteribus est loculus, in quo libri reponuntur. L. 3. §. *Præterea. ff. De supellectil. legat.* L. *Librorum.* §. *Sed si bibliothecam. de legat.* 3. Savaro in Sidon. libro 2. epistola 9. Lipsius de bibliothecis capite 9. Bibliothecam Ecclesiæ Romanæ armarium vocat Anastasius in Gregorio III. *Hic in Ecclesia prædicti Principis Apostolorum omnes codices domus suæ proprios, qui in circulo anni leguntur, ad matutinos in armarii opere ordinavit.* In monasteriis fuere bibliothecæ exemplo insigniorum Ecclesiarum. Bibliothecæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ, per Alexandrum Episcopum collectæ, meminit Eusebius libro 6. capite 14. Cæsariensis bibliothecæ meminit Hieronymus in epistolam ad Titum capit. 3. *Inde & nobis curæ fuit omnes veteris legis libros, quos vir doctus Adamantius in exempla digesserat, de Cæsariensi bibliotheca descriptos, ex ipsis authenticis emendare.* Ecclesiarum bibliothecas celebrat idem epistola ad Pammachium adversus Jovinianum: *Ecclesiarum bibliothecis fruere,* &c.



CAPUT X.

Officiales monasteriorum, Cellerarius, Camerarius, Hospitalarius, Infirmarius, OEconomus seu Procurator monasterii, Hebdomadarius.

ALII sunt Prælati cœnobiorum, alii Officiales. Prælatorum appellatione continentur Abbates, Præpositi, id est, Priores, Decani, qui præsunt cuique Decaniæ: de quibus primo libro satis fuse diximus. Officiales sunt Cel-

lerarius, Camerarius, Hofpitalarius, Infirmarius, & alii, de quibus modo diximus. Qui fingulis officinis monafterii præponuntur, Officiales dicuntur. De his Bernardus in Cantica fermone 47. *Nec folas dico vitandas cogitationes vanas, & otiofas: vitandæ funt & illæ, illa dumtaxat hora, & illo loco, quas officiales fratres pro communi neceffitate, quafi neceffario frequenter admittere compelluntur.* Præter præfatos non funt omittendi alii hoc loco, inter quos eft OEconomus feu Procurator, Apocrifiarius, feu Refponfalis monafterii, qui curat res & negotia monafterii. L. *Qui in monafteriis.* C. *De Epifcop. & Cleric.* Novell. Juftinian. 133. capite 5. Ideo vt exemplo Epifcopi quifque Abbas fuum habeat OEconomum, ftatuit Synodus Nicæna II. can. 11. Res enim monafterii a laicis adminiftrari, nefas vifum eft, vt recte ait Balfamo hic. Ita res omnes & actiones monafterii funt in poteftate OEconomi, vt initio litis Monachi non jurent per fe de calumnia, fed per OEconomum & Procuratorem monafterii. Cap. 1. *De jurament. calumniæ.* Et in Appendice Concilii Lateranenfis part. 23. capite 4. *Eis præcipimus vt in fuo monafterio, ficut Imperiales Conftitutiones confentiunt, OEconomum ftatuant, qui pro eis petere & excipere, atque juramentum de calumnia, cum neceffe fuerit, valeat exhibere.* Apud Orientales OEconomus monafterii erat vnus e fenioribus, qui votis fratrum eligebatur: ejus erat oblationes & ftipes fidelium fufcipere. Caffianus collatione 21. capite 1. *Venit ad Abbatem Joannem, qui tunc temporis merito fanctitatis electus Diaconiæ præfidebat: non enim ad hunc gradum quilibet propria voluntate aut ambitione provehitur, fed is quem cunctorum feniorum cœtus, ætatis prærogativa, & fidei atque virtutum teftimonio, excellentiorem omnibus fublimioremque cenfuerit: ad hunc, inquam, beatum Joannem, cum piæ devotionis ftudio prædictus tum juvenis adveniffet, deferens religiofa munera, inter cæteros poffeffores, qui certatim decimas vel primitias frugum fuarum memorato feni de fuis fubftantiis offerebant*, &c. Et idem capite fequenti: *Delector quidem, o filii cariffimi, pia veftrorum munerum largitate, & devotionem fciens oblationis, cujus difpenfatio mihi credita eft, gratanter amplector, quia fideliter primitias veftras & decimas indigen-*

tium vsibus profuturas, velut sacrificium Domino bonæ suavitatis offertis. Oblationes scilicet & stipes fidelium referebantur in Diaconiam, id est, in ærarium & arcam monasterii, vt impenderentur in vsus fratrum, vel peregrinorum & pauperum. Idem collatione 18. capite 7. *Tempore siquidem Lucii, qui Arianæ perfidiæ Episcopus fuit, sub Valentis imperio, cum Diaconiam nostris fratribus deferremus, his videlicet qui de Ægypto ac Thebaide fuerant, ob Catholicæ fidei perseverantiam, metallis Ponti atque Armeniæ relegati.* Ejusdem OEconomi erat res monasterii curare, & Hebdomadarium coquinæ curare, an suo officio diligenter fungeretur. Idem de institutione Cœnobitarum libro 4. capite 20. *In septimana cujusdam fratris, cum præteriens OEconomus tria lenticulæ grana vidisset jacere in terra, quæ Hebdomadario festinanti, dum ea præparat coctioni, inter manus cum aqua, qua diluebantur, elapsa sunt, confestim super hoc Abbatem consuluit,* &c. Apud OEconomum servandæ deponebantur vestes Novitiorum. Idem de institutione Cœnobitarum libro 4. capite 6. *Illa vero quæ deposuit vestimenta, œconomio consignata, tamdiu reservantur, donec profectus & conversationis ejus, ac tolerantiæ virtutem diversis tentationibus ac probationibus evidenter agnoscant.* In Oriente per singulas hebdomadas vicissim fratres ad necessaria ministeria cœnobii constituebantur. Idem libro 4. capite 19. *Per cunctam namque Mesopotamiam, Palæstinam & Cappadociam, ac totum Orientem, singulis hebdomadibus vicissim fratres ad hæc officia sibi reddenda succedunt, ita vt secundum cœnobii multitudinem, ministrorum quoque numerus deputetur.* Inde officium Hebdomadarii apud Basilium in constitution. monastic. Apud Ægyptios non erant Hebdomadarii: sed cellarii vel coquinæ cura committebatur vni fratrum in perpetuum, donec ætas vel vices ferrent, ne alternantibus vicibus fratres ab opere prohiberentur. Idem capite 22. ejusdem libri: *Cæterum apud Ægyptios, quibus maxima cura est operis, non est hebdomadarum mutua vicissitudo, ne sub occasione hujus officii omnes ab operis canone impediantur: sed vni probatissimo fratrum cellarii vel coquinæ cura committitur, qui perpetuo, donec vires ejus vel ætas admittit, jugiter opus istud exerceat.*

In Oriente, vt eo redeam, OEconomus monasterii eligebatur suffragiis fratrum. Post Joannem & Eliam, Theonam ad Diaconiæ ministerium communi suffragio fratrum electum tradit idem Cassianus collatione 21. capp. 8. 9. & 10. In Occidente Procurator monasterii ab Abbate ordinabatur. Gregorius libro 2. Indictione 11. epistola 3. ad Eusebium Abbatem : *Non frequenter foras egrediaris, in causis istis Procuratorem institue, & tu ad lectionem atque orationem vaca.* In monasteriis inter officia, licet vltimus ordine, vtilitate & necessitate post Abbatem seu Præpositum primus ponitur Ostiarius, qui observat fores monasterii, ne quis e fratribus exeat sine licentia Abbatis. Regula Benedicti capite 66. Novell. 133. capite 1. Apud antiquos non vnum, sed duos fuisse Janitores monasterii cujusque, signat Rufinus de vit. Patrum libro 2. capite 34. *Cumque nuntiassent ei de adventu sororis ejus, misit continuo duos Monachos, qui observabant ad januam monasterii.* In monasteriis omnimodi generis artifices esse e fratribus, voluit regula Benedicti cap. 66. ne sit occasio vagandi, & ne necesse sit laicis vti. Inde in monasterio Floriacensi fuit Præfectus cæmentariorum. Aimoinus Floriacensis de Miraculis sancti Benedicti libro 3. capite 26. *Unus ex fratribus, cognomento Gillebertus, qui cæmentariis fuerat præfectus.*



CAPUT



CAPUT XI.

Cellæ seu Prioratus. Obedientiæ ad tempus dari solitæ ad nutum Abbatis. Præstant censum majori monasterio. μετόχιον. Cellæ extra monasterium synagogæ diaboli.

EXCRESCENTE in dies multitudine Monachorum, cum cœnobium vnum tot non caperet, cœperunt ædificari cellæ, id est, minora monasteria, quasi coloniæ in prædiis & villis, quæ subjacebant majori monasterio. Capitulare Aquisgranens. can. 45. *Ut Abbatibus liceat habere cellas, in quibus aut Monachi sint, aut Canonici: & Abbas provideat, ne minus de Monachis ibi habitare permittat, quam sex.* Cellulas aut congregatiunculas Monachorum vocat Synodus Agathensis can. 58. Can. *Cellulas* 18. quæstione 2. Sic Cellam sancti Judoci monasterio Ferrariensi paruisse tradit Lupus Abbas Ferrariensis epistola 11. ad Lotharium: *Cellam sancti Judoci, quam Magnus Carolus quondam Alcuino ad eleemosynam exhibendam peregrinis commiserat, beatæ memoriæ pater vester nobis ea ratione concessit, sicut edictum illius attestatur, vt quod eleemosynæ superesset, in nostrum vsum cederet.* Quamplures fuere cellæ Cassinensis monasterii per varias provincias Italiæ. Leo Ostiensis Chronic. Cassinensis libro 4. capite 102. *Omnes dehinc cellæ monasterii per Apuliam, Campaniam, Picenum, Samnium, Lucaniam atque Calabriam captæ, atque a nostro jure subductæ sunt.* Obedientias vocabant, quod subessent majori monasterio. Fulbertus epistola 2. *Ambo Præpositi simulantes causa communis commodi, ad Obedientias suas se velle exire, ac ne aliorum pergerent sibi interdicente Decano monasterii.* Goffridus Vindocinensis libro 4. epistola 7. *Ad Obedientiam vestram de Pinu, quam obviam habuimus, hospitandi gratia divertere dignum duximus.* Prioratum de Pinu intelligit, vt mox ostendit his verbis: *Quo intratis, Prior abest.* Eisdem ab Abbate majoris monasterii præficiebantur Præpositi seu Prio-

res. Leo Ostiensis Chronic. Cassinens. libro 3. capite 13. *Sed cum amoto Abbate Præpositus ibi juxta cellarum nostrarum morem constitutus esset.* Idem libro 4. capite 86. *Ejus donationis & mutui gratia, Leo cum filio omnes cellas cœnobii istius, & omnia quæ intra ditionis suæ terminos possidet, beato Benedicto dimisit liberas, vt ibidem ordinandi Præpositos, omniaque faciendi liberam habeat Abbas Cassinensis facultatem.* Imo Præpositi cellarum ita parebant Abbati, vt alii cuiquam fide & sacramento se obstringere non liceret, inscio & invito Abbate. Anselmus libro 3. epistola 90. ad Ernulfum Priorem: *Si quis exegerit ab aliquo Monacho Ecclesiæ vestræ sacramentum, aut fidei alligationem, aut pactum aliquod, quod contra ordinem sit, propter tenendam aliquam potestatem, quam dicimus obedientiam, considerate*, &c. Adeoque hujusmodi Obedientiæ ab Abbate dabantur ad tempus, & ad nutum Abbatis poterant revocari. Innocentius III. in cap. *Cum ad monasterium. de statu Monachor. Nec alicui committatur aliqua Obedientia perpetuo possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur: sed cum oportuerit amoveri, sine contradictione qualibet revocetur.* Idem in capp. 5. & 6. *De confirmat. vtil.* Clement. vnic. *De supplend. negligent. Prælat.* Hinc Ivo Carnotensis epistola 163. ad Goffridum Abbatem Vindocinensem: *De Monacho illo quem juramento constrinxisti, ne vltra illam administraret Obedientiam, quam aliquandiu sibi vsurpaverat per inobedientiam, consilium meum est, vt vlterius eam non habeat*, &c. Goffridus ipse libro 5. epistola decima octava: *Rogastis itaque vt Rainaldum Quartaldum in Obedientiam, de qua eum amovimus, remitteremus.* Soli Romano Pontifici licebat Monacho Prioratum seu cellam concedere in perpetuum, id est, quoad viveret. Cap. *Cum inter. de elect.* Innocentius & Joannes Andreas in cap. *Nisi essent. de præbend.* Sed novissimis sæculis in Gallia hujusmodi cellæ & Prioratus desiere in titulos perpetuos: vix enim fuit vt a suis cellis removerentur, saltem non sine gravi causa. Rebuff. de pacific. possess. num. 329. & sequent. Cellæ præstabant annonam & copiam frumenti & vini majori monasterio, vnde nomen cellæ, quæ apud Latinos pro apotheca sumitur, in qua reponuntur esculenta & poculenta in vsum quotidianum inde promenda: ideoque sine sub-

ſidio cellæ ſancti Judoci monaſterium Ferrarienſe fratribus non ſufficere ſcribit Lupus Ferrarienſis epiſtola 43. Hujus juris memoria in ſignum obſequii & ſubjectionis Prioratus Cluniacenſis & Ciſtercienſis Ordinis præſtitant annuum cenſum ſuo quiſque Principi Ordinis. Chopin. de S. Polit. libro 2. tit. 8. Idem monaſtic. libro 2. tit. 1. numero 6. & 9. Sic cella de Wimundham præſtabat annuam marcam argenti Abbati ſancti Albani. Matthæus Pariſienſis in Roberto XVIII. Abbate: *Tu enim in Eccleſia de Wimundham nullum omnino habes dominium, niſi quod in ſignum ſubjectionis & ordinis debet tibi ſucceſſoribuſque tuis Prior loci reddere annuam marcam.* Inde Obedientias Præſterias vocant, quod ex his præſtarentur annonæ & alimenta Cœnobitis. Innocentius III. libro 2. epiſtola 227. *Obedientiam quæ Præſteria nuncupatur, obtinuit ſibi dari.* Et infra: *Cum de proventibus illius Præſteriæ illis, qui aſſidue in Eccleſia ſerviunt, conſueverint neceſſaria miniſtrari.* In monaſterio de Waltham in Anglia, ſinguli Prioratus aſcripti in proprios vſus monaſterii, puta vnus ad cellarium, alius ad veſtiarium, alius ad ſacriſtiæ ſumptum. Innocentius III. libro 2. epiſtola 111. Ne Obedientiæ & Prioratus laicis ſub quocumque cenſu concedantur, ſed per Monachos regantur, cavit Innocentius III. libro 1. epiſtola 136. Idem regiſtro 14. epiſtola 129. Nec modo monaſteria, verum & aliæ Eccleſiæ habuere Obedientias & Prioratus, vt Lugdunenſis Eccleſia. Gregorius VII. libro 5. epiſtola 36. *Ut quicumque ex Canonicis Lugdunenſis Eccleſiæ Obedientias, vel cætera beneficia eccleſiaſtica, per ſimoniam adepti fuerant, dimittant.* Apud Græcos quoque majoribus monaſteriis fuere Obedientiæ & cellæ, quæ μετόχια dicebantur. Manuel Patriarcha in ſolutionibus quarumdam quæſtionum apud Leunclavium: ὑποθεῖναι εἰς μετόχιον τῇ ἐν τῷ θέματι τῶν Σερβίων πατριαρχικῇ μονῇ. Et infra: ὁ γὰρ ἐκδεδωκὼς τοῦτο τοῖς μοναχοῖς εἰς μετόχιον, τὴν χρηματικὴν μόνην δεσποτείαν ἐκδοῦναι ἠδύνατο. *Subjeciſſe in metochium Patriarchali monaſterio, quod eſt in themate ſeu provincia Serviorum. Nam qui illud Monachis in metochium largitus eſt, pecuniarium ſolum dominium tribuere potuit.* Germanus Patriarcha apud eundem ſentent. ſynod. libro 3. κἂν δὲ παραλαύρια τυχὸν τυγχάνουσι τῶν μονῶν, ἢ μετόχια.

Et infra : περὶς καὶ τῶν εὐκτηρίων, μετοχίων τε καὶ παραλαυρίων. *Sive etiam paralauria forte sint, aut metochia. Praeterea etiam oratoriorum, metochiorum, paralauriorum.* Hujusmodi cellas extra monasterium non probavit Bernardus epistola 252. ad Abbatem Alpensem : *Synagogas sathanae, id est, cellulas extra coenobium, in quibus tres vel quatuor fratres sine ordine, sine disciplina habitare solent, destruis*, &c. De cellarum origine & vsu Brower. Antiq. Fuldens. capite 7.





ASCETICΩN
SIVE
ORIGINUM REI MONASTICÆ
LIBER DECIMUS.



CAPUT I.

Stipes fidelium in Monachos, quas Diaconiam vocabant. Monasteria accipiunt annonas e fisco. Possessione prædiorum interdictum Monachis. Portiones fratrum ἀδιλφάτα. Præbendæ fratrum. Præbendæ Monachis concessæ in Ecclesiis sæcularibus.



PRIMIS sæculis Ægypti & Orientis Monachi suo sumptu sese exhibebant, nimirum labore manuum, & industria sua, viventes in commune, omnibus in commune collatis, ita vt inter eos nihil proprium audiretur. Sub Valentis imperio Ægyptii Monachi a Lucio pseudo-Episcopo Ale-

xandrino & Ariano diram persecutionem passi, & ad metalla Ponti & Armeniæ damnati, annonam e stipibus fidelium collectam accepere a fratribus, quam Diaconiam dicebant. Cassianus collatione 18. capite 7. *Temporibus siquidem Lucii, qui Arianæ perfidiæ Episcopus fuit, sub Valentis imperio, cum Diaconiam nostris fratribus deferremus, his videlicet qui de Ægypto ac Thebaide fuerant ob catholicæ fidei perseverantiam metallis Ponti atque Armeniæ relegati.* Occidui Monachi laboris manuum pertæsi, vel potius orationem & psalmodiam, & sacrorum librorum lectionem vitæ proposito congruentiores arbitrati, omisso labore manuum, orationi, & diurnis nocturnisque officiis, & lectioni totos sese dedere, in commune vescentes & orantes. Ex his multi annonas e fisco accepere. Lupicino Abbati petenti necessaria pro sustentatione fratrum, cum Chilpericus Rex Burgundiæ agros & vineas dari jussisset, oblatis rejectis, annonam annuam rogavit: cui annuens Rex, e fisco quotannis ei dari præcepit trecentos modios tritici, tot amphoras vini, & centum aureos annuos pro vestiario. Gregorius Turonensis de vit. Patrum capite 8. apud Surium. Temporibus Gregorii I. in vrbe Romæ tria fuere millia sacrarum virginum, quæ sumptu Pontificio alebantur. Testis ipse Gregorius libro 6. epistola 22. *De medietate vero ancillis Dei, quas vos Græca lingua Monastrias dicitis, lectisternia emere dispofui. Nam juxta notitiam, qua dispensantur, tria millia reperiuntur, & quidem de sancti Petri Apostolorum Principis rebus octoginta annuas libras accipiunt. Sed ad tantam multitudinem ista quid sunt, maxime in hac vrbe, vbi omnia gravi pretio emuntur?* Manuel Comnenus cum intelligeret Monachos rerum temporalium cura a Dei cultu avocari, nulla eis prædia assignavit, sed e fisco tantum pensitari jussit quantum ad victum & cultum opus esset. Nicetas in ejus vita libro 7. Labente religione, & Monachis prædiis & latifundiis auctis, vbi a communione rerum discessum, & quisque suum dicere & habere cœpit, portiones singulis fratribus assignatæ sunt, quas Græci vocabant ἀδελφᾶτα, portiones fraternas, vt sublata communione rerum, ejus imago remaneret in nomine portionum quæ eis obtingebant. Balsam. in canone 37. Synodi VI.

in Trullo, ex Novell. Alexii Comneni, qua cavetur Monachos electos Episcopos in Orientis Ecclesiis, quibus propter barbaricam hostilitatem potiri non licebat, retinere ea quæ sibi suppetebant in monasteriis, quæ dicuntur ἀδιάφατα, κ, τῶν ἁπλοϊκως λεγομένων ἀδιαφάτων. Et idem in canone 19. Synodi VII. de non suscipiendis sæcularibus, vel Monachis alterius monasterii, ne gravetur monasterium ἀπὸ τῶ ἀδιαφάτε. In Occidente Monachis pari lapsu attributæ sunt Præbendæ, veluti Clericis sæcularibus. Cap. vltim. §. *Præcipimus. de statu Monachor.* Chronic. Laurishamens. *Cum mansiunculis, & cæteris necessariis hortis, & pratis, cumque duabus servilibus Præbendis, & vna monachica sibimet ipsi præbenda.* Baldricus. Noviomensis libro 3. capite 51. *Ad præbendam fratrum Ecclesiam in villa majoris.* Monachis etiam ex privilegio Episcoporum vel ipsorum Romanorum Pontificum tributæ Præbendæ in Ecclesiis sæcularibus in vsum ipsorum, vt monasterio sancti Remigii Remensis. Tributæ Præbendæ seu Canoniæ Ecclesiæ de Marsna in diœcesi Leodiensi. Petrus ex Abbate Cellensi Abbas sancti Remigii, libro 8. epistola 15. ad Albertum Cancellarium: *Hoc anno Dominus Papa vestro interventu privilegium suum Ecclesiæ nostræ indulsit, in quo specialiter expressit Canonias seu Præbendas de Marsna, & quas in vsus proprios a multis retro temporibus retinemus, tenendas in perpetuum confirmavit: quæ etenim quondam fuerunt Canonicorum Præbendæ, a longissimis retro temporibus donatione Episcoporum Leodiensium, & confirmatione Papæ Innocentii in proprietatem transierunt & possessionem monasterii nostri*, &c. Monasterio Scotorum apud Herbipolim plenam, id est, integram & perpetuam Præbendam in Ecclesia Herbipolensi tradidit & concessit Embricho Herbipolensis Episcopus, consensu totius Cleri, auctore Trithemio in Chronic. Hirsaugiensi ad annum 1130. Monachis Cluniacensibus concessæ quoque Præbendæ in variis Ecclesiis Galliæ, vt Trecensi, Carnotensi, Aurelianensi. Petrus Cluniacensis libro 1. epistola 2. *Domnus Trecensis Episcopus paratus est, vt dicit, dare nobis in Ecclesia sua vnam Præbendam, sicut Carnoti vel Aurelianis antiquitus datæ sunt, vt reditu illius multa, quam non ignoratis, Cluniacensium fratrum indigentia relevetur.* Quem

locum illustrat Quercetanus; & Chopin. 2. monastic. capite 1. numero 6.



CAPUT II.

Distinctio beneficiorum sæcularium & regularium. Status beneficiorum præscribitur quadraginta annis. Regularia regularibus, sæcularia sæcularibus. Beneficia regularia ad tempus. Monachi possunt eligi in Episcopos.

ALIA sunt beneficia sæcularia, alia regularia. Sæcularia sunt, quæ Clericis sæcularibus addicta sunt, qualia censentur omnia, nisi aliud probetur, quia Ecclesia fundata est in ordine sæculari. Regularia sunt, quæ ex fundatione, vel statuto, vel consuetudine præscripta ad minus possessione quadraginta annorum consulta sunt regi per regulares: status enim beneficiorum præscribitur possessione quadraginta annorum. Cap. *Cum de beneficio. de præbend.* in 6. Clement. *Quia regulares. de supplend. neglig. Prælat.* Glossar. in Pragmat. de collat. §. *Et idem ordo.* verb. *Regularibus.* Rebuff. in Concord. §. *Volumus.* verb. *Regularia. de collat.* Idem de nominat. quæstione 15. numero 26. & in Prax. tit. *Regular. beneficia multiplicia*, numero 1. Ut beneficium regulare intelligatur, sufficit vt sit fundatum in monasterio, cum sæcularis ibi consistere non possit. Cap. vltim. §. *Præcipimus. de statu Monachor.* Status beneficiorum mutatur præscriptione quadraginta annorum: verum ad hoc non sufficit, vt beneficium quadraginta annis possideatur per regularem, nisi possideatur cum titulo, vt regularis beneficii. Lappus Abbas in d. cap. *Cum de beneficio.* Felin. in cap. *In nostra. de rescript.* Nec sufficit, vt tanto tempore per commendatarium possideatur tanquam regulare; sed requiritur, vt possideatur a vero titulari, vt tale. Rebuff. in Concordat. §. *Volumus. de collat.* verb. *Tertio requiritur.* Hoc distant beneficia sæcularia a regularibus, quod sæcularia beneficia sæcularibus,

ribus, regularia regularibus tantum conferri possunt. d. cap. *Cum de beneficio.* d. Clem. *Quia regulares.* Conc. Trident. sess. 14. *De reform.* capite 10. sess. 25. *De Regular.* capite 21. Eodem jure regulares regularia, sæculares sæcularia expetere debent, in vim graduum & nominationum. §. *Volumus. de collat.* in Concord. Pragmat. tit. *De collat.* §. *Illi vero.* Selva de benefic. 3. part. quæstione 58. Rebuff. de nominat. quæstione 9. num. 51. Hoc interest, quod sæcularis repletus non intelligitur, nisi in vim gradus obtinuerit beneficium annui reditus quadringentarum librarum: regularis repletus intelligitur, qualecumque, id est, etiam modicum, beneficium obtinuerit in vim gradus, ex constitutione regia anni Christi 1606. quæ derogavit Concordato in §. *Volumus. de collat.* quo in graduales vitium repletionis non contrahitur, nisi in vim gradus adepti sint beneficium ducentorum florenorum auri annui reditus. Sæcularia sæcularibus, regularia regularibus conferri debent, nisi in defectum Clericorum sæcularium: tunc sæcularia regularibus conferri possunt, & e converso regularia sæcularibus. Cap. *Inter quatuor.* §. *Sed si regulares. de Religios. domib.* cap. *Abbate* in fin. *De VS.* cap. *Relatum. ne Cleric. vel Monachi.* Rebuff. in Prax. *De dispens. cum Regular.* numero 40. part. 3. Idem in Concord. *De collat.* §. *Volumus*, verb. *& conformitatem*, & *de nominat.* quæstione 5. Quam in rem adducitur L. *Ut gradatim.* §. *Quoties. de muner. & honor.* Olim Monachi & Religiosi poterant promoveri ad Ecclesias parochiales & beneficia sæcularia, ex dispensatione ordinarii, ob penuriam Clericorum. Can. *Doctos.* can. *Si Monachus.* & dd. seqq. can. *In Parochia.* can. *Cum pro utilitate* 16. quæstione 1. Sed hoc vetitum fuit Conc. Lateranensi. Cap. *Monachi. de stat. Monach.* Ab hac regula excepti Canonici regulares, quibus ex privilegio Ordinis integrum fuit regere Ecclesias parochiales, quia regulæ inserviunt laxiori. Cap. *Quod Dei. timorem. de stat. Monach.* Quod cautius intelligendum est de Ecclesiis parochialibus annexis monasterio, in quo professi sunt, vel aliis monasteriis ejusdem Ordinis: ad alias enim Ecclesias parochiales non admittuntur, & hoc jure utimur. Selva de benef. part. 3. quæst.

70. Brodæus in Loetium in litt. B. num. 12. Sane Monachi sine dispensatione possunt eligi in Episcopos propter excellentiam dignitatis Episcopalis. Can. *De Monachis* 16. quæst. 1. can. *Statutum* 18. quæstione 1. cap. *Quorumdam.* cap. *Si religiosus.* cap. *Nullus. de Elect.* in 6. Clem. 1. eodem tit. Beneficia sæcularia sui natura sunt perpetua, & dantur in titulum. Regularia sunt amovibilia ad nutum Abbatis, non dantur in titulum; sunt nudæ administrationes. Cap. *Cum ad monasterium.* §. *Tales. de stat. Monach.* cap. *Ad nostram.* cap. *Porrecta. de confirm. util.* capite 1. in fin. *De privileg.* in 6. Clem. *Quia regulares.* §. *Præmissa. de supplend. neglig. Prælat.* Gloss. in Pragmatic. tit. *De collat.* §. *Et idem ordo*, verbo, *perpetuis.* Tamen in Gallia beneficia regularia desiere in perpetua, ex consuetudine præscripta, & a Prioratibus vix amoventur sine causa, alias appellatur tamquam ab abusu ad Curiam. Rebuff. de pacific. possess. num. 329. & seqq. Nec omittendum, quod beneficia regularia quidem cadunt sub gradus & nominationes, prælaturæ regulares non item. Gloss. in Pragmatic. tit. *De collat.* §. *Et idem ordo*, verbo *Regularibus.*



CAPUT III.

Collatio portionum & beneficiorum regularium pertinet ad Abbatem. In his fit devolutio.

COLLATIO beneficiorum jure communi pertinet ad Episcopum. Can. *Omnes basilicæ.* can. *Nullus* 16. qu. 7. cap. *Cum olim de caus. possess. & propriet.* cap. *Cum ex injuncto.* in fin. *De hæretic.* vel ad alium inferiorem, ex privilegio vel consuetudine præscripta, puta ad Capitulum. Cap. *Cum Wlterana. de Elect.* vel ad Canonicum hebdomadarium. cap. *Mandatum. de præbend.* in 6. Collatio portionum monachalium & beneficiorum regularium pertinet ad Abbatem. Cap. vlt. *De Regular.* in 6. Clem. *Quia Regulares. de supplend. neglig. Prælat.* Gonzal. in reg. 8. Cancell. gloss. 7. Beneficia

regularia ab ordinario conferri non possunt, nisi expresse Professis. Cap. *Officii*. cap. *Cum in magistrum. de Electione*. cap. *Nullus* eodem tit. in 6. Clem. *Ne in agro. §. Sane Prioratus. de stat. Monach.* Solus Summus Pontifex potest conferre beneficia regularia profiteri volentibus, ea lege vt habitum illius Ordinis suscipere, & protectionem emittere teneantur. Conc. Trid. sess. 14. *De reform.* cap. 10. Beneficia regularia non possunt conferri Monachis alterius monasterii, & alterius Ordinis, quia idem non potest habere locum in diversis monasteriis, quorum vnum ab alio non dependeat: & hoc nisi ex dispensatione Summi Pontificis. Cap. *Cum singula. §. Prohibemus. de præbend.* in 6. Clem. 1. *De Elect.* Rebuff. in. Prax. *De dispensat. cum regular.* num. 1. part. 2. Joan. Papon. in Syntagm. Arrest. tit. *de capacité*, Arr. 7. Regularis non potest obtinere duo beneficia regularia: nam quodlibet ei est incompatibile cum primo. d. cap. *Cum singula. §. Prohibemus.* d. Clem. *Quia regulares. §. Præmissa.* Nec regulari solet concedi dispensatio, vt possit duo beneficia sui Ordinis retinere in titulum, secus in sæculari: sed cum regulari dispensatur, vt vnum habeat in titulum, alterum in commendam. Ratio est, quia si regularis haberet duo beneficia in titulum in diversis monasteriis, esset sub diversa obedientia, & diversis pareret, quod esset absurdum. Rebuff. d. tit. *De dispensat. cum regular.* num. 8. & 9. Mendicantes etiam ex dispensatione transeuntes ad non mendicantium Ordinem, Prioratus, administrationes, officia ibi consequi non possunt, ne detur occasio transeundi per ambitionem. Clem. *Ut professores. de regularib.* In beneficiis regularibus locum habet devolutio juxta Lateranense Concilium: id est, si Abbas vel alius Prælatus regularis beneficia vacantia non conferat intra tempus Lateranensis Concilii, collatio devolvitur ad Superiorem. d. Clem. *Quia regulares.*



CAPUT IV.

Beneficia regularia alia ſunt majora, vt Abbatia, Prioratus conventualis & clauſtralis : alia minora, vt Prioratus extra clauſtrum, ſeu Obedientiæ.

BENEFICIA regularia, alia ſunt majora ſeu duplicia, alia minora ſeu ſimplicia. Majora ſeu duplicia ſunt I. Abbatia regularis, quæ eſt dignitas electiva : Abbatis enim electio pertinet ad Monachos vel Canonicos regulares. Can. *Congregatio* 16. quæſt. 7. cap. *Cum dilectus. de conſuetud.* cap. *Ne pro defectu. de Elect.* Et in electione Abbatum ſervatur forma cap. *Quia propter* eodem tit. II. Prioratus conventualis : eſt enim dignitas electiva pariter atque Abbatia, & Prioris conventualis electio pertinet ad Capitulum. Cap. *Niſi eſſent. de præbend.* cap. *Monachi. de ſtat. Monach.* Clem. *Ne in agro.* §. *Cæterum* eodem tit. Clem. *Etſi principalis. de reſcript.* Prior conventualis eſt Præpoſitus monaſterii ſui, ſuper ſe Abbatem non habet. Cap. *Cum in Eccleſiis. de majorit. & obedient.* Hodie in vtriſque, id eſt, monaſteriis, quæ per Abbatem reguntur, & Prioratibus conventualibus, ſublata electione nominatio pertinet ad Regem, & collatio ad Summum Pontificem. §. *Monaſteriis.* Rubr. *de reg. ad Prælat. nominat.* in Concordat. III. Prioratus clauſtralis : Prior clauſtralis poſt Abbatem Monachis præeſt in clauſtro & monaſterio. Cap. *Cum ad monaſterium.* §. *Prior autem. de ſtat. Monach.* Clem. *Ne in agro.* §. *Abbate* eodem tit. Minora vel ſimplicia beneficia regularia, ſunt quæ conferuntur ab Abbate vel alio Prælato regulari, vt Prioratus ſimplices, qui ſunt extra monaſterium, & pendent a monaſterio, vnde dicuntur Obedientiæ. d. cap. *Cum ad monaſterium.* §. *Tales.* d. cap. *Monachi.* & qui his præponuntur, Obedientiarii. Matth. Pariſ. ad ann. 1244. *Depoſitus tamen & alii cum eo, quos idem Prior temere inſtituerat, Obedientiarii & miniſtri ſæculares.* Idem ad

ann. 1254. *Omnes quoque Obedientiarios Ecclesiæ sancti Albani, etiam Eleemosynarios convocans, fecit taxare bona sua districte & fideliter.* Prioratus & administrationes. Cap. *Ad nostram.* cap. *Porrecta. de confirmat. util.* Clem. *Ne in agro.* §. *Sane. de stat. Monach.* quia sunt nudæ administrationes, quæ conceduntur ad tempus, non in perpetuum, ad nutum Abbatis amovibiles. De his Rebuff. in Prax. part. 2. tit. *Regularia beneficia multiplicia.*



CAPUT V.

Inter beneficia regularia censentur Præceptoriæ seu Commendæ Ordinis sancti Joannis Hierosolymitani : hæ sunt ad vitam. Harum collatio pertinet ad Magistrum Ordinis. In his non fit devolutio.

BENEFICIIS regularibus accensentur & Præceptoriæ seu Militiæ Ordinis sancti Joannis Hierosolymitani, quas vulgus Commendas vocitat, quia milites Hierosolymitani gaudent omnibus privilegiis regularium. Tria vota solemnia, obedientiæ, continentiæ, & paupertatis, emittunt: habent Priorem, & Fratres dicuntur, sicut alii regulares. Cap. *Uxoratus. de Convers. conjugat.* cap. *Tuarum. de privileg.* cap. *Canonica. de sentent. excommunicat.* Præceptoriæ licet sint nudæ & simplices administrationes, tamen conceduntur ad vitam, nec adimuntur sine causa, & Præceptores pro titularibus habentur, & eo jure possunt agere & defendere in jure & judicio pro rebus suis : & licet sint extorres & peregrini, & alias incapaces beneficiorum, Præceptorias hujusmodi obtinere non prohibentur, quia favor religionis & militiæ purgat vitium peregrinitatis. Cap. *Cum deputati. de judic.* Collatio hujusmodi Præceptoriarum pertinet omnino ad Magistrum Ordinis : vnde, ni fallor, dictæ sunt Præceptoriæ, quia obtinentur ex præcepto, id est, mandato Ma-

giſtri Ordinis. Nec Summus Pontifex vel Legatus Sedis Apoſtolicæ poteſt his manum injicere, nec in his locum habet devolutio, quæ in aliis beneficiis regularibus. Clem. *Quia regulares. de ſuppl. negligentia Prælat.* Nec judicium poſſeſſorium poteſt moveri pro his coram judicibus ordinariis, ſed res diſceptatur apud Magiſtrum Ordinis. Chopin. *De S. Polit.* lib. 3. tit. 3. num. 11. & hujuſmodi Præceptoriæ non poſſunt vniri beneficiis Eccleſiaſticis. Joan. Gallus quæſt. 249. Molin. in reg. *De infirm.* num. 221. Rebuff. de pacific. poſſeſſ. numero 91. Item Præceptoriæ ejuſdem Ordinis non ſunt affectæ graduatis vel nominatis. Rebuff. de nominat. quæſtione 15. num. 6. Chopin. monaſtic. libro 1. capite 1. num. 8.



CAPUT VI.

Peculium Monachorum acquiritur monaſterio vel Abbati; Vitium peculiaritatis, jus ſpolii.

PRIORATUS & alia beneficia regularia ſunt nudæ adminiſtrationes, & Monachi ſi quid parſimonia ex his quæſierint, habent tantum adminiſtrationem & vſum, & quicquid acquirunt, id acquirunt monaſterio. Can. *Statutum* 18. quæſt. 1. Nec enim Monachis licet quidquam habere in peculio, id eſt, in proprio. Can. *Non dicatis* 12. qu. 1. Regul. Bened. cap. 55. & cap. *Monachi.* cap. *Super quodam. de ſtatu Monach.* Et vitium peculiaritatis in Monachis valde deteſtatur Gregor. I. lib. 10. epiſt. 22. *Fratri & Coepiſcopo noſtro omnino dicere ſtude, vt peculiaritatem a quatuor aut quinque monaſterii Monachis ſtudioſiſſime compeſcat, quia ſi illic peculiaritas a Monachis habetur, nec concordia, nec caritas in congregatione eadem poterit permanere.* Idem lib. 1. epiſt. 40. *Sed & quod non licere notum eſt, peculiaritati eorum ſingulos ſtudere.* Et ſi Monachi in vltimo vitæ ſpiritu deprehenſi fue-

rint cum peculio, sepeliuntur in sterquilinio extra monasterium, nec oblatio pro eis fit. Cap. *Monachi.* cap. *Cum ad monasterium. de stat. Monach.* Et hac disciplina in Monachos vsum Gregorium, testis ipse Dialogor. 4. cap. 55. & Joan. Diacon. ejus vit. lib. 4. cap. 76. Monachi dum spirant & vivunt, habent vsum & administrationem rerum, sed in morte amittunt omnem dispositionem, & eis aptatur quod dicitur de libertis qui aureis annulis donati sunt a Principe: *Vivunt quasi ingenui, moriuntur vt liberti.* L. 3. *De bon. libert.* L. vlt. C. eodem tit. Monachus quidquid est in peculio acquirit monasterio. d. can. *Statutum.* vel Abbati, ex consuetudine, vel statuto, vel privilegio. Cap. *Præsenti. de offic. Ordinar.* in 6. Sic Abbatem sancti Antonii Viennensis habere jus spolii in Præceptoriis Ordinis, auctor est Marcus decis. 1069. part. 1. Spolium jus succedendi in peculio Monachi, quod competit monasterio seu Capitulo vel Abbati, voce desumpta a spolio quod proprie significat vestem quæ detrahitur. Tertull. de resurrect. carn. capite 7. *Ita quod hodie spolium efficitur, si detrahatur, hoc fuit indumentum.* Et idem cap. 12. ejusdem libri: *Quippe etiam terræ de cælo disciplina est arbores vestire, post spolia.* Eadem analogia spolia mortuorum dixit Cyprian. ad Demetrianum. *Fugientes morientium funera, & appetentes spolia mortuorum,* & spolia latronum. Tryphoninus in L. *Bona fides. ff. Deposit. exempli loco latro, spolia quæ mihi abstulit, posuit apud Seiam.* Cum vero Capitulum vel Abbas succedit in spolio defuncti, quia jure suo succedit, & spolium occupat jure peculii, non tenetur creditoribus defuncti vltra vires peculii. Marcus qu. 96. part. 1. Redoan. *De spoliis* quæst. 9.






CAPUT VII.

Prædia Monachorum grangiæ. Ecclesiæ parochiales & decimæ tributæ Monachis. Harum regimen penes Vicarium perpetuum. Redemptio altarium.

NON vna fuit dos monasteriorum : alia enim variis a fundatoribus dotata sunt prædiis, Cistercienses grangias vocabant, in quibus oratoria constructa sunt in vsum Monachorum. Cap. vlt. *De censib.* Hinc frequens mentio grangiarum apud scriptores ejus ævi. Jacob. a Vitriac. Hist. Occident. lib. 2. cap. 14. *Fratres eorum in grangiis & mansionibus suis extra Abbatiam vinum non bibunt.* Cæsarius de Miracul. lib. 3. capite 25. *Eadem nocte cum Abbas in quadam sua grangia dormiret.* Et idem lib. 4. capite 62. *Præpositus ad vnam grangiarum suarum venit, in qua pullum equinum pulcrum satis vidit.* Inde manarunt cellæ & Prioratus, de quibus superius diximus. Præter prædia & possessiones, beneficio Episcoporum, necnon laicorum militum, Monachis attributæ sunt decimæ, & vna cum his Ecclesiæ parochiales : de quo cum Cistercienses Cluniacensibus obstreperent, hac de re apologiam scripsit Petrus Cluniacens. lib. 1. epist. 28. ad Bernardum Abbatem Clarevallensem. *Deinde subjungitis interrogando, quæ ratio vel auctoritas possessiones Ecclesiarum parochialium, primitiarum & decimarum nobis contulerit, cum hæc non ad Monachos, sed ad Clericos canonica sanctione pertineant. Nos vero sicut in supradictis, sic & in istis Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem prætendimus, atque ipsius sanctionibus nos parochiales Ecclesias, & idcirco ipsarum primitias & decimas legitime possidere confirmamus*, &c. Sed quia Monachi Ecclesias parochiales per se, vel per conductitios Presbyteros regebant, in Concilio Claromontensi, præside Urbano II. vetitum est, ne parochiales Ecclesias regerent per se, vel per conductitios Presbyteros, sed per Vicarios perpetuos, quos designarent instituendos per Episcopum. Can. *Sane* 16. qu. 2.

can.

can. *Capellanos* 13. quæſt. 2. cap. 1. *De capel. Monachor.* De quo Ivo Carnot. epiſt. 69. ad Gualterum Præpoſitum Stirpenſem. *Quantum intellexi ex litteris ex veſtra parte mihi nuper oblatis, graviter fert veſtra fraternitas, quod Lemovicenſis Epiſcopus in Synodo agens, interdixit omnibus regularibus Clericis & regimen Parochiarum, & confeſſionem pœnitentium.* Aliquando tamen ab Epiſcopis, Monachis permiſſum regimen parochialium Eccleſiarum. Trithemius Abbas in Chronic. Spanheimenſ. ad ann. 1130. ex Tabulis Adelberti Archiepiſcopi Moguntini. *Parochianus quoque Presbyter a fratribus & eorum Patre de eorum collegio conſtituatur, vt omni remota inquietudine ſecura libertate perſeveret in Dei laudibus.* A regimine Parochiarum per ſe vel conductitios Preſbyteros ægre abſtinuere Monachi. De Monachis ſancti Bertini teſtatur Stephanus Tornacenſ. epiſt. 200. *Eccleſiam habent apud Coclech, in qua per annuos & conductitios mercenarioſque Sacerdotes ſæpe & per ſe ipſos, quod ſacris canonibus inhibitum eſt, parochialia miniſtrant.* Hoc vnum interdictum eſt, ne a laicis decimæ & Eccleſiæ darentur monaſteriis ſine conſenſu Epiſcoporum. Can. *Congregato.* can. *Decimas* 16. quæſt. 7. cap. *In Lateranenſi. de præbend.* Monachi ad hoc conſenſum Epiſcoporum redemerunt, in ſingulis mutationibus Preſbyterorum conceſſo pretio redemptionis altarium nomine, quod vetuit Urbanus II. in Concilio Claromontenſi, ſalvo cenſu annuo qui Epiſcopo præſtari ſolebat. Can. *Quæſitum* 1. quæſtione 3. De quo Joannes Sareſber. Policratic. lib. 7. capite 17. Goffrid. Vindoc. libro 3. epiſt. 12. Gregor. VII. libro 4. epiſt. 7. Ivo Carnot. epiſt. 12.



CAPUT VIII.

Monachi dotati latifundiis. His interdictum Monachis, Conſtitutione Manuelis Comneni.

PRÆTER prædia & decimas, Monachi ex donationibus Principum, & aliorum fidelium, etiam feuda, homines & colonos, & ditiones omnimoda juriſdictione præ-

ditas accepere : ex quo ita intumuere, vt non amplius Monachi, id est, lugentes & pœnitentes, sed Dynastæ & reguli viderentur. Cistercienses Benedicti Regulæ sequaces & vindices, abjectis his omnibus, loca squalida & inculta elegere, quæ per fratres laicos, quibus Conversi nomen erat, excolebant, ex statuto seu regula Stephani Abbatis Cisterciensis, quæ dicta est Regula Caritatis. Sigebert. ad ann. 1107. *Stephanus Abbas Cisterciensis regulam composuit, quam voluit nominari Chartam Caritatis.* Et infra : *Tuncque definierunt se suscepturos quoque terras ab habitatione hominum remotas, & vineas & prata & silvas, aquasque ad faciendos molendinos, ad proprios tamen vsus & ad piscationem, & equos pecoraque diversa necessitati hominum vtilia ad exercendas agriculturas instituissent : decreverunt vt prædicti Conversi domos illas regerent, non Monachi, quia habitatio Monachorum secundum regulam debet esse in claustro ipsorum.* Sub initio Cistercienses Cluniacensibus obmurmurabant, quod castra & latifundia possiderent : de quo sese & suos tuetur Petrus Cluniacens. libro 1. epist. 28. *Monachi cuncta fidelium oblata, sive in mobilibus, sive in immobilibus, suscipiunt, atque orationibus jejuniorum, & cæterorum bonorum instantiam benefactoribus recompensant.* Et infra : *Si castrum aliquod Monachis detur, jam castrum esse desinit, & esse oratorium incipit,* &c. Sed vt mores hominum in lubrico sunt, nec diu sibi constant, & disciplina re recenti incalescit, & brevi refrigescit, Cistercienses ipsi non longe post a proposito defecere, & pari lapsu cum Cluniacensibus feudis & ditionibus aucti : de quo eis acerbius succensuit Alexander III. in cap. *Recolentes. de stat. Monach. Dolentes dicimus, quod etsi non ab omnibus, neque in omnibus, a plerisque tamen & in pluribus, ab illa sancta institutione dicitur declinatum, in tantum vt aliqui ex vobis patriæ institutionis obliti, contra Ordinis vestri regulam, villas, Ecclesias & altaria possident, fidelitates, & hominia benigne suscipiunt, justitiarias & tributarias tenent,* &c. Eodem vitio Monachos notat Petrus Blesensis scriptor ejusdem ætatis, epist. 102. *Delectabile quippe est in Monacho, & sub quocumque coloris habitu, honore, aut titulo potestatis habeat feuda, servos & ancillas, homa-*

gia & fidelitates atque ligantias, vt hominibus angarias & parangarias extorqueat, onera publicæ functionis imponat. In Oriente Manuel Comnenus cum intelligeret Monachos cura agrorum a Dei cultu avocari, eis prædia & possessiones ademit, & eis e fisco præstari jussit quantum ad victum & cultum opus esset: & sanctionem Nicephori Phocæ olim abolitam de non augendis monasteriorum latifundiis, quasi postliminio revocavit, auctore Niceta in ejus vit. libro 7.



CAPUT IX.

In monasteriis Præbendæ adscriptæ etiam fidelibus laicis egentibus, vel Episcopis sedibus suis pulsis, fundatoribus vel beneficis, quæ Græcis ἀδελφᾶτα. In Gallia juris regii est militem veteranum imponere singulis monasteriis, quem vocant Oblatum.

PRÆTER Præbendas fratrum olim in majoribus monasteriis etiam statutæ fuere Præbendæ in solatium fidelium laicorum egentium, qui inde Præbendarii dicti, vt distinguerentur a Monachis. Bernard. in sermon. in obitum Humberti Monachi, dicebat se monasterii hujus Præbendarium esse, & nullius tamquam vtilitatis hominem. Suasque Præbendarias habuere etiam monasteria virginum. Engelhardus Abbas in vit. S. Mechtildis apud Canisium tom. 5. antiquar. lect. *Filia cujusdam carnalis erat dæmonium habens, cui locum pater impetraverat in monasterio Præbendariæ, non sororis; sed a sororibus sequestratum, & hoc prece, non pretio factum.* In monasteriis quoque fundatoribus vel benefactoribus Præbendas impensas Precariæ nomine, observo ex Chronic. Laurishamensi, vbi Adelberonem Augustensem Episcopum, traditis monasterio rebus suis, vicissim per Precariam suscepisse vnam monachicam Præbendam, id est, vnam sibi, qualem habebant fratres, & duas ser-

viles in sustentationem duorum servulorum, qui in ejus obsequio essent, dum esset in monasterio. Apud Græcos etiam in Patriarchicis monasteriis Patriarchæ CP. licebat fidelibus laicis casu in egestatem lapsis, vel Episcopis in barbarica sedibus suis pulsis, ἀδιλφάτα, fraternitates seu portiones fraternas erogare: quod probatum Novell. Alexii Comneni, quæ extat apud Balsomon. in can. 19. Synodi Nicænæ II. & libro 2. Juris Græco-Rom. pag. 142. In Gallia in monasteriis Regiæ, Ducalis vel Comitatensis fundationis, Reges nostri jam olim vtuntur jure imponendi militem veteranum in alimentarium. Eodem jure potiti Reges Anglorum. Eodem abusum Eduardum III. in gratiam veterum Palatinorum, refert Matthæus Westmonaster. ad annum 1305. Hoc onere tenentur etiam Prioratus conventuales electivi, modo reditus non sit minor mille, vel ducentarum & mille librarum, ne si forte sint minores; nimium graventur. Prioratus vero collativi vacant ab onere, etiam si pendeant e monasterio Regiæ, Ducalis vel Comitatensis fundationis. Nec onus monasteriis remittitur ob sæcularisationem, quia mutatio status, quæ non fit absque consensu Regis, intelligitur fieri cum sua causa & onere. L. *Legatum sub conditione. ff. De adimend. legat.* & salvo jure regio, quia Princeps vel Pontifex non concedit privilegium contra se ipsum. L. *Jubemus.* C. *De SS. Eccles.* Cap. *Suborta* extra *De re judic.* cap. *Dilectus. de capell. Monach.* cap. *Cum instantia. de censib.* Prioratus Cluniacensis Ordinis, Celestini & Cartusiani ab hoc onere soluti. Hac de re passim Chopin. 2. monastic. tit. 1. numero 6. Idem S. Polit. libro 3. tit. 2. Pasquier libro 3. disquisit. capite 30. Loetius in litt. O. num. 7. & ibi Brodeus, Canut. libro 1. capite 8. & nos ipsi libro 1. de Ducibus & Comit. capite 12.

FINIS.



Typis Viduæ EDMUNDI MARTINI, via Jacobæa, sub Sole aureo.